Moral-

1661.

Mon.

Ad Conventu Monacensem D.E. 1 Aug. 1713.

THEOLOGIÆ MORALIS

PARS TERTIA

IN QUA

JUSTA JURIS, DOMINII, CONTRACTUUM, &c.

STATERA

APPENDITUR,

PRÆSERTIM

Ex irrefragabili Veritatis & Charitatis Doctore M. P. Augustino,

LIBRATA,

AUTHORE

Reverendo Adm. & Eruditissimo Patre

F. LEONARDO VAN ROY, *Ord. Erem. S. Augustini, in Alma Universitate Lovaniensi S.T. Licentiato, & Professore.*

ANTVERPIÆ,

Typis Viduæ BARTHOLOMÆI FOPPENS, in foro Ovorum sub signo trium Monachorum. 1702.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

TRACTATUS
DE
JURE, ET JUSTITIA.
PRÆLOQUIUM.

PRæsens materia uti scitu necessaria, ità variis est implexa ambagibus, & involuta obscuritatibus, quas tamen succinctè juxtà, ac distinctè evolvere, Deo adjuvante, enitar. Sed quià irritus est omnis Magistri exteriùs docentis, aurесque corporis pulsantis conatus, nisi æterna Veritas ad cordis aurem loquatur, in ipso limine Vos moneo, & hortor, ut frequenti, & ardenti prece gratiæ cælestis illuminationem, & justitiæ incommutabilis irradiationem postuletis, quâ, quid justum sit cernere, & discernere, justitiamque agnitam stabiliter tenêre valeatis. Et cum Sapientia mundi cordis habitaculum quærat, Theologo potissimùm incumbit animum sedulò emaculare, & ab omni inquinamento mundum conservare.

CAPUT I.

CAPUT PRIMUM

De Justitiâ, & Jure in genere, nec non de Dominio, usu, usu-fructu, &c.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex Justitia?

Justitia variè accipitur. *Primò*, pro statu *amicitiæ divinæ*, sive pro ipsâ justificatione. *Secundò* pro *observantia* mandatorum Dei. *Tertiò* pro *ratione incommutabili*, in quâ mens humana conspicit, quid æquum sit, quid iniquum, quæ justitia æterna est, & incommutabilis. *Quartò*, generaliter pro *complexione omnium virtutum*, quâ fit, ut voluntas nostra perfectè, & adæquatè commensuretur, sive correspondeat legi divinæ, tanquam suæ regulæ. *Quintò*, pro *virtute speciali*, quæ inter Cardinales secundum locum obtinet, de quâ.

Resp. & *Dico* 1. Justitia passim ità definitur: *perpetua, & constans voluntas jus suum cuique tribuendi.*

Per *voluntatem* non intelligitur ipsa potentia, seu naturalis facultas, quæ etiam in homine injustissimo reperitur, sed habitus, sive affectio quædam, quâ voluntas inclinatur, & firma, constansque redditur ad cuique jus suum, id est, quod strictâ obligatione illi debetur, tribuendum.

Perpetua, id est, omni tempore, & in omnibus negotiis.

Per ly *unicuique* intelligi solet alter, seu altera persona, quià ejusdem ad seipsum non est propriè dicta

cta justitia. Porrò tunc unicuique jus tribuere censemur, quando juri alterius non contràvenîmus, illudque, si fortè læsum fuerit, ad æqualitatem, quantùm nobis incumbit, resarciri curamus Ex dictis

Collige 1. Justitiam veræ virtutis titulo meritò decorari, quià jus suum unicuique tribuere, quod justitiæ est officium, honestum, & rationi consentaneum est.

Collige 2. Justitiam esse virtutem specialem, quandoquidem speciale habeat objectum, scilicet jus alterius, sive ejusdem conservationem, & reparationem, ab aliarum virtutum objectis distinctum.

Observandum tamen, quod virtutis *Augustinianæ* nomen non mereatur, nisi ejus officia, & actus charitate virtuali ad Dei gloriam destinentur, quod in *Tractatu de Actibus Humanis* demonstratum est liquidò.

Neque prætereundum, quod actum justitiæ exercens venialis culpæ labeculam contrahat, si eundem ad Deum non referat, quamvis actus ipse in se bonus, & honestus permaneat, quod in *tractatu* jam memorato affatim ostensum est.

Collige 3. Quâ ratione justitia passim dicatur non versari primariò circà passiones animi, sed circà actiones, quià scilicet nos ordinat ad alterum, ut constituatur æqualitas nos inter, & illum, quemadmodum jus ejus requirit, sed passiones animi non moderatur, uti cæteræ virtutes Cardinales; quamquam secundariò, & indirectè has quandoque moderari possit, quatenùs in sui officii exercitio ab ipsis impeditur: sic V. G. justitia nonnumquam imperat temperantiam, ut suppetat, quo creditori satis fiat.

Dico 2. Justitia dividitur in *Commutativam*, & *distributivam*.

Prior est, *quæ dirigit commutationes*, *scilicet ut in illis*

illis ponatur perfecta æqualitas datum inter, & acceptum; V. G. mercem, & pretium: undè hæc disponit *privatum* ad *privatum*, sive eos, qui instar privatorum se habent in aliqua communitate cum altero.

Posterior autem dirigit distributiones, *quæ spectant Communitatem, procuratque, ut in illis servetur debita proportio inter ea, quæ distribuuntur, & inter conditiones personarum, quas distributio respicit*: V. G. ut de bonis communibus plus detur pauperiori, quam minùs pauperi: undè hæc justitia primariò residet in Communitate, vel in illo, qui curam Communitatis habet

Petes 1. *An præter justitiam distributivam, & commutativam non detur vindicativa, quâ scilicet puniuntur malefactores.*

Resp. *affirmativè*, sed hæc ad distributivam reducitur, quià sicuti Principis, aut Superioris est bonis præmia largiri, ità ad ipsum pertinet malè meritis debitam imponere pœnam, conformiter ad gravitatem delicti perpetrati.

Petes 2. *An præter justitiam particularem jam explicatam, quæ privatum ad privatum, & Communitatem respectu privatorum benè disponit, detur alia generalis, quæ privatum in Ordine ad Communitatem rectè componat?*

Resp. talem dari, & passim vocari Legalem, quià est ea, quâ legibus paretur. Cæterùm nonnulli existimant justitiam ità sumptam à complexione aliarum virtutum non distingui. Alii Pietatem, alii Obedientiam putant, cum hoc tamen discrimine, quod Obedientia quatenùs Obedientia exhibeat opus tanquam à Superiore præceptum, justitia autem legalis tamquam debitum bono, & statui Communitatis, cujus membrum est Operans.

Petes 3. *Quomodo medium justitiæ appellatur medium*

dium rei, non rationis, sicut aliarum virtutum ?

Resp. quià justitia respicit debitum alteri ad æqualitatem juris ejus, V. G. ut solvantur centum, cui debentur centum, aliæ autem virtutes spectant quid attentâ subjecti sui conditione, aliisque circumstantiis secundùm rectæ rationis præscriptum conveniat: V. G. Temperantia considerat, quæ mensura cibi, & potûs huic personæ attentis circumstantiis expediat.

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex Jus?

REsp. & *Dico* 1. *Jus* præcipuè tripliciter accipitur. *Primò*, pro lege, & tunc derivatur à *Jussu*, seu à *Jubendo*.

Jus ità sumptum *est dictamen, seu regula morum, secundùm quam ad agendum inducimur, vel ab agendo retrahimur*, dividiturque in *Jus naturale*, & *positivum*, positivum autem in *divinum*, & *humanum*, humanum vero in jus *Canonicum*, seu *Ecclesiasticum*, & in *Civile*, seu *Politicum*.

Secundò accipitur pro justo generaliter, hoc est, pro omni eo, *quod est legi consentaneum*.

Tertiò pro justo specialiter, hoc est, *quod ita alteri debetur, ut actionem, & jus habeat illud exigendi*, atque jus hoc modo intellectum est objectum justitiæ, de quâ hîc disserimus.

Dico 2. Jus propriè acceptum *est potestas legitima, sive à lege concessa aliquid obtinendi, retinendi, utendi, accipiendi, faciendi, aut pro suâ voluntate ad rem aliquam se habendi.*

Dicitur *legitima, sive à lege concessa*, quià facultas contrà legem non est jus, sed juri repugnat. Per legem intellige vel naturalem, vel positivam Divinam,

aut humanam. Hoc ſenſu jus, ſeu poteſtatem habemus ad vitam ſuſtentandam, ad diſponendum de bonis propriis &c. quando huic juri contravenîtur, dicitur *alteri fieri injuria.*

Jus ſecundùm illam definitionem acceptum dividitur *Primò, in illud, quod conceſſum* eſt à naturâ, à Deo, & ab homine, prout ſcilicet provenit, vel à lege naturali, vel à Divinâ, vel ab humanâ.

Secundò, ex parte termini, ad quem ſeſe extendit, dividitur *in jus ad perſonam*, quale habet V. G. Dominus in mancipium; *in jus ad res*, quale eſt Domini in agros, pecunias, & ſimilia; & *in jus ad judicia*, quale habet is, cui competit actio in judicio ad aliquid ſibi obligatum, necdum tamen ſuum.

Aliter jus dividitur *in jus ad rem*, & *in jus in re*, ſumendo rem, non prout diſtinguitur contrà perſonam, ſed pro omni eo, ad quod jus noſtrum ſeſe extendere poteſt.

Jus ad rem dicitur, quod non tribuit actionem in rem ipſam, ad quam dicimur habêre jus, ſed in Perſonam tantùm, ut nempè faciat rem illam eſſe noſtram; tale jus habet Promiſſarius in rem ſibi promiſſam, quamdiu ſcilicet necdum tradita eſt.

Jus in re, quod etiam perfectum appellatur, eſt illud quod tribuit actionem realem, ſeu in rem ipſam, non autem in ſolam perſonam: tale jus competit Promiſſario factâ traditione rei promiſſæ: undè ſi quis rem illam poſteà eripiat, Promiſſarius non tantùm habet jus in ereptorem, ſed in rem ipſam, itaut eam ubique tamquam ſuam repetere poſſit. Econtrà verò ſi V. G. Promiſſor non ſtet verbo, ſed rem promiſſam antè traditionem alteri donet, aut vendat, Promiſſarius quidem actionem perſonalem in Promiſſorem habebit, illumque ad rei promiſſæ, aut alterius æquivalentis traditionem in judicio compellere poterit,

terit, sed rem ipsam, ut suam repetere nequaquam valebit. Ex dictis patet, quod jus ad rem sit longè debilius jure in re.

QUÆSTIO III.

An Deum inter, & Creaturam justitia propriè dicta intercedat?

Dico 1. Quin Deus jus, & Dominium propriè dictum in creaturas omnes titulo Creationis habeat, dubitari non potest. Sed in Scholis quæritur, an etiam homini juris aliquid respectu Dei competere possit, ita quidem, ut Deus illi satisfacere strictè teneatur. De quo

Dico 2. Homo respectu Dei jus propriè dictum habêre potest.

Prob. quià hominibus justis debetur corona gloriæ ex justitiâ in vim promissionis divinæ, non minùs quam Operario post operam stipendium ex vi præviæ conventionis. Undè Apost. 2. ad Timoth. 4. v. 8. *in reliquo*, inquit, *mihi reposita est corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex.* Hinc SS. Patres passim asserunt Deum, suppositis nostris meritis, nobis esse debitorem, & fore injustum, si vitam æternam nobis non donaret. Ità S. *Augustinus* de naturâ & gratiâ cap. 2. disertè dicit: *non est injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ.* Et in Psal. 83. *donator est Dominus indulgentiæ, debitor coronæ.....debitorem fecit ipse se non accipiendo, sed promittendo.* Et sermone 158. aliàs 16. de verbis Apostoli cap. 2 tradit, Deo dici posse: *redde quod promisisti, quià fecimus, quod jussisti.* Similia habet serm. 110. aliàs 31. de verbis Domini cap. 4.

Obj. 1. Apost. ad Rom. 6. v. 23. dicit: *stipendia*

peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro: ergo vita æterna non debetur ex justitiâ: alioquin Apostolus etiam dicere potuisset, vitam æternam esse stipendium justitiæ.

Resp. quod vita æterna etiam justitiæ stipendium dici queat, ut disertè tradit S. *Augustin.* Epist. 194. aliàs 105. Cæterùm *Apostolus* loco citato maluit eam gratiæ titulo insignire, quià cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua, ut loquitur S. *Augustinus*, & omne nostrum meritum, quo jus ad vitam æternam nobis conquirimus, gratiæ Divinæ acceptum referre debemus.

Obj. 2. Posset Deus observantiam mandatorum suorum, aliaque bona opera à nobis exigere citrà ullam mercedis retributionem.

Resp. indè tantùm habêri promissionem divinam de vitâ æternâ pro operibus bonis retribuendâ, gratiosam esse, & indebitam, minimè verò ipsam mercedem promissam. Patet in Domino, qui mancipio intuitu operæ alicujus quidpiam promisit, quamvis enim opus illud sinè mercede à mancipio exigere potuisset, suppositâ tamen promissione gratuitâ mercedem stricto jure debet

Obj. 3. Non potest Deus creaturæ suæ obligari.

Resp. *distinguendo assumptum*, non potest Deus creaturæ suæ obligari indissolubiliter, itaut vinculum obligationis solvere nequeat, *concedo assumptum*: non potest solubiliter, ità nempè ut jus creaturæ pro suo libitu extinguere valeat, *nego assumptum.*

Observandum igitur, quod sicuti Deus vi supremi Dominii creaturas Dominio rerum, quas possident, exuere potest, ità jus ad vitam æternam hominibus justis competens elidere, & extinguere valeat. Quod tamen impedimento non est, quin quamdiu jus illud remanet, vitam æternam justis in rigore debeat, ità quidem, ut in justitiam impingeret, si illam, stante illo jure, ipsis denegaret.

Nec

Nec refert, quod merita nostra ex Dei gratiâ sint, nihilque utilitatis Divinæ Majestati adferant, quiâ si V. G. pauperi quis mille florenos largiatur, & is posteà nummis illis Domum à donatore emat, nemo ambigit, quin domus ipsi ex rigore justitiæ debeatur. Insuper si quis promisso laboris stipendio jubeat me ædes suas destruere, ex justitiâ stipendium exigere potero, quamvis qui me conduxit nihil prorsus utilitatis ex meo labore, sed damnum potiùs reportârit.

Igitur ut vita æterna stricto jure intelligatur debita, sufficit, quod Deus eam nobis intuitu bonorum operum promiserit.

Neque nobis adversatur D. *Thomas* negans justitiam commutativam Deum inter, & creaturam reperiri, quià non loquitur de justitiâ commutativâ absolutè sumptâ, sed de illâ perfectiori, quæ scilicet conjuncta est mutuæ translationi Dominii, mutuæ utilitati, qualis inter homines intercedit. Cæterùm non negat, quin Deus justis vitæ æternæ mercedem debeat, eamque servatâ proportione inter meritum & gloriam, tribuat.

QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex Dominium?

Dico 1. Dominium in genere definiri solet *jus, seu facultas disponendi de re aliquâ tamquam suâ, nisi quantùm lege prohibetur.*

Dico 2. Dominium passim dividitur in Dominium jurisdictionis, & proprietatis.

Jurisdictionis est potestas gubernandi alios tanquam subditos, & subdividitur in *seculare*, quo scilicet quis subditos in rebus secularibus gubernat, quale habent Principes respectu populorum, quibus præsunt, & in

Ecclesiasticum, quo quis potest regere subditos in spiritualibus, quale habent Prælati Ecclesiastici in fideles.

Dominium proprietatis est facultas disponendi de substantiâ alicujus rei tanquam de re suâ, nisi quantùm lege prohibetur.

Dicitur *tanquam sua*, partim quià res quælibet propriè est sui Domini, partim quià V. G. conductor equi facultatem quidem habet utendi equo, non tamen Dominium, quià equo non utitur tanquam re sua.

Dicitur *de substantia rei*, ut distinguatur dominium ab *usu*, & *usu-fructu*, de quibus posteà; in *usu* enim, & *usu-fructu* non est potestas disponendi de substantiâ rei, hinc usu-fructuarius rem alienare, aut vendere nequit, sed solis fructibus contentus sit, oportet.

Dicitur denique *nisi quantùm lege prohibetur*, quià pupillus est verè Dominus suarum rerum, nec tamen ante legitimam ætatem de his disponere valet in omnem usum, eas V. G. alienando per donationem, aut venditionem, quià leges humanæ talem dispositionem vetant, & irritant.

Porrò diligenter observandum dispositiones legi contrarias aliquando tantùm illicitas esse, subindè verò & illicitas, & invalidas, prout nempè lex ejusmodi dispositionem simpliciter vetat, aut pariter irritat, rescinditque.

Dico 3. Dominium proprietatis aliud est plenum, & perfectum, aliud non plenum, & imperfectum.

Perfectum dicitur, quo quis habet proprietatem rei cum ejus emolumentis, & fructibus, itàut possit disponere tum de substantiâ rei, tum etiam de fructibus, quantùm scilicet per leges permittitur.

Imperfectum est, quo quis habet solam proprietatem rei absque emolumentis; vel sola emolumenta rei sine proprietate. Qui solùm habet Dominium pro-

proprietatis de ipsâ re disponere valet, eam V.G. alteri donando, sed in fructus nihil potestatis habet: qui autem gaudet dominio utilitatis, de fructibus quidem, sed minimè de ipsâ rei substantiâ disponere potest: hinc dominium istud rectius diceretur dominium fructuum, quam ipsius rei.

Petes: *An Dominium jurisdictionis dominii propriè dicti rationem habeat?*

Resp. 1. Certum est, quod Prælati Ecclesiastici non sint suorum subditorum Domini, ut liquet ex illo *Matthæi* 20. v. 25. *Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic.*

Resp. 2. Neque Superiores sæculares V.G. Reges, & Principes propriè dictum dominium habent in populos, quibus præsunt.

Prob. quià subditi propriè non sunt mancipia, seu servi: ergo Reges dominii titulo gloriari nequeunt; Dominus enim importat relationem ad servum, seu mancipium.

Nec refert, quod Prælati, & Principes de subditis suis disponere queant, eos gubernando: quià jus ità disponendi non ordinatur in ipsorum commodum, sed in utilitatem subitorum: porrò *dominium est facultas disponendi de re suâ in proprium commodum.*

Quomodò Superiores subditos suos regere, & quid in regimine intendere debeant, videri potest apud *Aug.* Ep. 47. aliàs 154. & lib. 19. de civitate Dei cap. 15. 16. & 17.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Nonnulla de Dominio expediuntur.

PEtes 1. *Utrum omne jus ſit Dominium?*

Reſp. omne dominium quidem eſſe jus, ut patet ex definitione dominii, non tamen omne jus eſſe dominium, quià emptor V. G. habet jus ad rem, quando res empta necdum eſt tradita, dominium autem tantùm habet factâ traditione.

Petes 2. *Utrum omne jus diſponendi de re in propriam utilitatem ſit dominium?*

Reſp. *negativè*: quià V. G. conductor domûs non eſt Dominus, cum tamen poſſit uti domo in proprium commodum.

Petes 3. *An dominium requirat facultatem diſponendi de re in omnem uſum?*

Reſp. *negativè*, ut patet ex dictis de pupillo, qui antè legitimam ætatem non poteſt alienare poſſeſſiones, quarum eſt Dominus. Igitur ad rationem dominii ſufficit facultas diſponendi de re aliquâ in omnem uſum à lege permiſſum.

Petes 4. *An Dominus numquam diſponat validè de re ſuâ in uſum à lege prohibitum?*

Reſp. *affirmativè*, quando nempè lex ejuſmodi diſpoſitionem ſolùm vetat, non irritat: ità prodigus opes ſuas validè diſtrahit, rerumque ſuarum dominium in alios transfert; quamvis in jus naturale impingat ſua prodigè exponendo

Petes 5. *Utrum ratio dominii poſtulet jus independens ab alterius voluntate, id eſt, jus tale, quod pro alterius arbitrio revocari, aut impediri nequit?*

Reſp. plures recentiores id aſſerere, ſed non rectè, quià revocabilitatem dominio non officere evidens eſt, *primò*, in contractu venditionis, in quo

emptor

emptor suscipit onus revendendi, ubi venditori placuerit.

Secundò, in donatione ob ingratitudinem revocabili, juxtâ illud, quod dicitur Leg. 1. Cod. de revocandis donationibus: *etsi perfectis donationibus in possessionem inductus Libertus quantolibet tempore ea, quæ sibi donata sunt, pleno jure ut Dominus possederit, tamen si ingratus sit, omnis donatio, mutata patronorum voluntate, revocanda est.*

Tertiò, in dominio rerum, quæ possidentur ab hominibus, illud enim à Dei voluntate plenè dependet, & pro ejus arbitrio revocari potest.

Obj 1. Dominium est jus liberè, & perfectè *disponendi de re tamquam suâ*: atqui jus ejusmodi non consistit cum illâ dependentiâ, seu revocabilitate: ergo &c.

Resp. *negando minorem*, quià quisquis habet Dominium à nutu alterius dependens, liberè, & pro suo arbitrio in omnem usum de re suâ disponere valet, quamdiu jus illud non revocatur.

Obj. 2. *Consequens* apparet, quod V. G. famulus vendens, aut donans alteri rem sui Domini ex ejus licentiâ ad nutum revocabili, verum in ipsam habeat dominium.

Resp. *negando sequelam*, quià famulus non disponit de re sui Domini tamquam de re suâ, nec proprio nomine, nec in proprium commodum, quod ratio dominii postulat.

Petes 6. *Quomodo acquiratur dominium alicujus rei?*

Resp. si res sit nullius, ut sunt bona derelicta, dominium sola rei apprehensione obtinetur. Si autem sit alicujus: tunc ut in alterius transferatur dominium, plerumque opus est *titulo & traditione rei*: hinc V. G. si emeris equum, qui tibi necdum sit traditus, habes quidem *jus ad rem*, & venditorem in judicio cogere potes, ut tibi equum tradat, sed nondum es Dominus equi.

Per

Per titulum intelligitur *fundamentum*, ex quo velut radice jus, & dominium oritur, ut est V. G. Emptio: undè sedulò *observandum*, quod titulus non sit ipsum dominium, sed fundamentum & velut causa illius; sicut in relativis ratio fundandi non est ipsa relatio, sed quid necessariò prærequisitum ad ipsam relationem.

Dictum est, quod ordinariè, seu plerumqne traditione opus sit, quià interdum traditio non requiritur, ut V. G. si beneficium sit collatum, & acceptatum, quamvis nondum sit secuta ejus apprehensio, acquiritur jus in re, & quasi dominium, ut colligitur ex Cap. *si tibi absenti.* titulo de præbendis in sexto. Etiam fit quis hæres, modò verbo, aut alio signo declaret se velle esse hæredem. Imò id tantùm est necessarium in extraneis, non in filiis. §. *sui autem.* Instit. de hæredum qualitate, & differentiâ. Possunt tamen abjicere si velint, uti ibidem declaratur.

Porrò *observandum* quod traditio rei ad acquisitionem dominii ex naturâ rei non requiratur, sed tantùm ex dispositione humanâ.

QUÆSTIO VI.

Quid usus, & usus-fructus?

Nota 1. Usum hîc non sumi pro actuali applicatione alicujus rei ad aliquam operationem, sed pro jure, seu facultate utendi, etiamsi actu non utamur.

Nota 2. A juristis hanc differentiam inter *uti*, & *frui* constitui, quod *uti* sit ex re aliena usum aliquem, sive commodum pro se solo, vel etiam pro suis accipere, quantùm scilicet ad quotidianam sustentationem, vel necessitatem opus est. *Frui* verò sit ex re aliena fructum capere non solùm pro se, & suis, sed

sed etiam pro aliis in ordine ad lucrum, itaut usufructuarius possit in sylvâ, quâ fruitur, non tantùm pro se ligna cædere, & in proprium usum ea convertere, sed insuper ad lucrum, ut nempè aliis vendat, & indè suprà usum proprium quotidianum lucrum conquirat, quod simplici Usuario non licet.

Ex quo patet, quod *uti* & *frui* hoc loco aliter accipiantur, quam apud Theologos, qui ex *Augustino* dicunt, quod *uti* sit amore alicui rei inhærere propter aliud, *frui* verò propter seipsam. His prænotatis

Resp. & *Dico* 1. *Usus fructus est jus utendi, & fruendi re alienâ, salvâ ejus substantiâ.*

Dicitur *fruendi* ad distinctionem usûs simplicis juxtâ prænotata: qui enim habet usum-fructum V. G. alicujus domûs, potest eam non tantùm inhabitare, sed & alteri elocare, ut indè lucrum reportet, ubi simplex usuarius eam tantùm inhabitare potest.

Dicitur *utendi* ad exclusionem juris, quod habet creditor in pignus, & hypothecam, quod jus ad usum se non extendit, quamquam & illud satis intelligatur exclusum per ly *fruendi.*

Dicitur *ex re alienâ*, ad exclusionem Dominii perfecti vel imperfecti directi.

Dicitur *salvâ rei substantiâ*, quiâ usu-fructuarius non potest rem consumere, alienare, vel deteriorem reddere, sed tenetur eam integram Domino conservare. Ex quo nonnulli deducunt, usum-fructum propriè non posse constitui in rebus, quæ plerumque dicuntur usu, seu unico actu consumptibiles, ut sunt vinum, oleum, &c. quià dum his utimur, eorum substantia absumitur.

Dico 2. *Usus est jus re alienâ, salvâ ejus substantiâ, utendi, non autem fruendi.*

Dicitur *utendi*, & *non fruendi*, ut distinguatur usus simplex ab usu-fructu, de quo in prænotatis. Reliquæ particulæ intelligendæ sunt, ut in definitione usus-fructûs.

Ex

Ex eo, quod in usu & usu-fructu substantia rei salva permanêre debeat, *consequens* est, quod in rebus unico actu consumptibilibus usus, & usus-fructus locum habêre nequeant: hinc usus rerum huiusmodi à quibusdam abusus, id est, consumptio nuncupatur.

Dico 3. Usus-fructus alius est *legalis*, qui habetur ex vi, & dispositione Legum; alius *conventionalis*, qui habetur ex dispositione privatâ V. G. ex Testamento, stipulatione &c. A quibusdam etiam alius assignatur, quem *causalem* vocant, & qui definitur *jus utendi, & fruendi re propriâ.* Sed hic non differt à dominio perfecto: dicitur autem *causalis*, quia conjunctus est cum rei proprietate, ex quâ veluti causâ nascitur jus ad usum & fructum rei.

QUÆSTIO VII.

Quid, & quotuplex Possessio?

Dico 1. *Possessio* juxtà jurisconsultum Leg. 1. de acquirendâ possessione dicitur à *pedum positione*, quià per pedum positionem super bona immobilia solet acquiri possessio. Alii possessionem à *Sedis positione* derivant, eoquòd in re possessâ quasi sedem ponamus.

Dico 2. Possessio à jurisconsultis dividitur in possessionem juris, & facti.

Possessio juris est jus insistendi rei tanquam suæ non prohibitæ possidêri.

Dicitur quis *insistere rei*, quando rem occupatam perseveranter tenet, & actualem ejus detentionem pacificè continuat.

Additur *non prohibitæ possidêri*, quià contrà juris dispositionem non datur possessio: undè detentio rei Sacræ à laico, titulo possessionis indigitari nequit.

Possessio facti est actualis rei detentio, & definiri solet; *occupatio rei adminiculo corporis, animi, & juris.*

Addunt juristæ *rei corporalis*, rati res incorporeas propriè non possidêri, sed has particulas expungunt Theologi, existimantes possessionem propriè dictam V. G. respectu beneficiorum, aliarumque rerum spiritualium dari.

Per occupationem rei intelligitur vel prima apprehensio, vel continuata rei detentio.

Dicitur *adminiculo corporis*, quià possessio saltem inchoata postulat, ut res aliquo modo corporaliter apprehendatur V. G. *manibus, pedibus, oculis* &c.

Additur *animi*, quià opus est intentione rem apprehensam possidendi, & ideò Depositarius V. G. non dicitur possidêre depositum.

Additur *& juris*, non quod occupatio justa, & licita esse debeat, sed quod juris dispositio sufficiens censeri debeat, ad constituendam veram possessionem, vel saltem quod debeat non declarari insufficiens.

Observandum igitur, quosdam per leges non tantùm dominii, sed etiam possessionis incapaces effici, qui quamvis rem realiter detineant, eam tamen non dicuntur possidere. Sic apprehensio, & detentio *loci sacri* à laico non est possessio, quià jam explicato juris adminiculo caret.

Dico 3. Possessio *facti* alia est justa, alia injusta. *Justa est*, quæ innititur titulo justo V. G. venditioni. *Injusta est*, quæ titulo justo caret V. G. detentio rei furto ablatæ. Dividitur etiam in possessionem *bonæ*, & *malæ fidei*, de quibus posteà, ubi de Præscriptione agemus.

Dico 4. Possessio dividi etiam solet in *naturalem, civilem, mixtam*, & *civilissimam.*

Naturalis est, quâ corpore insistitur rei; ut fit V. G. in custodiâ depositi. *Civilis est*, quâ animo tantum

tùm rei insistitur, ità Dominus insistit V. G. agris alteri elocatis. *Mixta est*, quâ corpore, & animo simul rei possessæ insistitur, ità Dominus insistit propriæ Domui, quam inhabitat. *Civilissima est*, quâ res nec corpore, nec animo possidetur, sed ex merâ juris dispositione censetur possessa: ità multis in locis possidentur primogenita statim à morte prioris possessoris.

Petes: *Quibus modis acquiratur, & amittatur possessio?*

Resp. acquiri per apprehensionem veram V. G. per *manum*, vel *pedem* &c. vel fictam V. G. per traditionem clavium domûs, Scripturæ, vel instrumenti, quo constat de titulo, & jure, quo aliquis rem possidebit. Acquiritur etiam per solam legum dispositionem gignentem possessionem civilissimam: ità in *Galliâ*, *Belgio*, aliisque Regionibus ex jure particulari tam dominium, quam possessio defuncti transit ad hæredem proximum, etiam mortis inscium absque ullâ prorsùs apprehensione.

Variis etiam modis amittitur V. G. *furto*, *actu voluntatis*, quo rem amplius possidêre nolumus, *fugâ*, ut si V. G. avis possessa avolet, vel fera fugiat &c.

Dico 5. Possessio multùm censetur utilis: V. G. secundùm communem sententiam, quando est bonæ fidei, parit Præscriptionem, & facit, ut res, quæ non est tua, elapso tempore, fiat tua.

Secundò, si antè completum Præscriptionis tempus dubium de Dominio rei oriatur, juxtà plurimos *melior est conditio possidentis*, de quo infrà.

Tertiò, possessio in judicio parit præsumptionem dominii, nisi contrarium probetur ab eo, qui rem veluti suam repetit, itàut non possidenti, sed repetenti obligatio probandi incumbat.

Quartò, possessor potest suam possessionem etiam vi tuêri, & si ex illâ sit deturbatus, statim, sed non ex intervallo, vi ad illam regredi. *Quin-*

Quintò, qui aliquem injustè ex possessione alicujus rei expellit, dominium illius rei amittit, si fortè illud anteà habuerit, ex multorum sententiâ. De his, & similibus juriſperiti agunt latiùs.

Petes: *An ex naturâ rei, aut ex præsenti juris dispositione possessio tanti sit momenti, ut possessor dubitans, an res possessa propria sit, an aliena, eam totam licitè retineat?*

Resp. 1. Quod ex naturâ rei non liceat possessori in casu rem totam retinêre. Ratio est, quià possessio ejus ex naturâ rei probabile jus alterius non elidit, hinc juri alieno saltem verò similiter contràveniret, si rem totam retineret.

Sanè nullum reperio titulum, quo possessor ille rem totam sibi attribueret.

Resp. 2. Neque etiam secundùm dispositionem juris possessori rem totam retinêre licet, quià nulla dispositio juris adferri potest, quâ possessori privilegium rem totam, contrà probabile jus alterius retinendi detur.

Res igitur in casu proposito inter possessorem, & alterum dividi deberet secundùm proportionem probabilitatis, quæ habetur pro hoc, vel illo.

Obj. Regula juris *in sexto* sic habet: *in pari delicto, vel causâ, vel dubio melior est conditio possidentis:* ergo possessor rem totam licitè retinet.

Resp. *negando consequentiam:* quià alio sensu conditio Possessoris melior intelligitur. *Primò* quidem, quià judex Possessorem per sententiam re Possessâ privare nequit, quamdiu manet dubium, an res ejus sit, an alterius. *Secundò*, quià Possessio cæteris paribus aliquid præsumptionis creat pro Possessore, ita ut eâ ratione probabilitas juris, seu dominii nonnihil augeatur, atque ità major rei pars in divisione Possessori competat.

Instabis, juriſperiti, & Theologi omnes sic intelligunt

ligunt axioma propositum, ut Possessori facultas tribuatur rem etiam totam retinendi.

Resp. jurisperitos tantùm agere de foro externo, & solùm velle, quod Possessori totius rei detentio permittatur in judicio, quatenùs adversùs ipsum, permanente dubio, sententia ferri non potest. *Theologi* verò hac in re divisi sunt: qui nobis adversantur axioma illud non rectè intelligunt, & à foro externo ad conscientiam perperam transferunt

QUÆSTIO VIII.

An usus facti separari queat ab usu juris.

Nota 1. Quæstionem non esse, an usus, qui est rei consumptio, sit usus strictè dictus anteà delineatus, quià usus salvam rei substantiam relinquit.

Nota 2. Hîc non quæri de ipso usu, hoc est, de actuali consumptione, an possit omni jure nudari: patet enim fures, dum res furto ablatas destruunt, usum habêre omni jure, & dominio destitutum.

Quæstio igitur est de facultate licitâ ad talem usum, quæ tamen non sit fundata in jure strictè dicto, V. G. an possit quis licitè comedere panem, quamvis nullum jus strictè dictum habeat ad panem, ejusque destructionem. His præmissis,

Resp. & *Dico*, simplex usus facti potest separari ab omni usu juris.

Prob. 1. Quià potest dari usus licitus V. G. comestio panis, separatus ab omni jure ex parte comedentis: atqui hic est usus facti: ergo.

Prob. major, potest V. G. famulus ex permissione Domini de pane, vel pecuniâ disponere per donationem, aut venditionem sine omni jure strictè dicto:

&to: ergo etiam potest aliquis panem destruere per comestionem ex concessione Domini, quamvis nihil juris in panem habeat.

Prob. 2. Si usus facti, V. G. licita comestio panis, esset inseparabilis ob omni jure & dominio, consequens esset, quod vita mortalium omni jure, & dominio carêre non posset, quandoquidem hæc vita sine usu cibi, & potûs sustentari non valeat: atqui quod vita mortalium omni jure, & dominio carêre queat, declarat *Nicolaus* III. Cap. *exiit qui seminat.* de verborum significatione in sexto his verbis: *nam cum in rebus temporalibus sit considerare proprietatem, Possessionem, usum-fructum, jus utendi, & simplicem facti usum, & ultimo tanquam necessario egeat, licet primis carêre possit vita mortalium:* ergo &c.

Prætereà si dari possit simplex usus facti rei non consumptibilis, V. G. vestis; quidni etiam panis, rerumque similium, quæ unico actu consumuntur? sicut enim veste alterius nomine quis uti potest, ità etiam panem nomine alterius per comestionem destruere.

Sequitur ex dictis, quod à ratione saltem nihil argumenti peti possit, quo *Franciscani* strictioris observantiæ revinci queant, asserentes sese tam in communi, quam in particulari, etiam rerum ad vitæ sustentationem necessariarum non nisi simplicem usum facti habêre.

Obj. 1. Qui habet usum facti respectu rerum unico actu consumptibilium de earum substantiâ licitè disponit, illam destruendo: ergo perfecto gaudet dominio.

Resp. *negando consequentiam*, quià non disponit nomine proprio, nec substantiam illarum rerum ut suam destruit, quod tamen ad Dominium requiritur, ne alioquin Dominium Eleëmosynæ, quam famulus nomine Domini pauperibus elargitur, ipsi famulo tribuere cogamur.

Obj.

Obj. 2. Si ſimplex uſus abſque jure utendi habêri poſſit, aut unquam habeatur, talis uſus, ſeu actus utendi eſt injuſtus, quemadmodum argumentatur *Joannes* XXII. Extravagante *Ad conditorem.*

Reſp. 1. Hoc argumentum etiam probare, quod uſus facti etiam in rebus unico actu non conſumptibilibus conſtitui nequeat.

Reſp. 2. *diſtinguendo aſſumptum*, talis uſus eſt injuſtus, id eſt, illicitus, *nego aſſumptum:* non eſt juſtus, id eſt, non fundatur in ſtricto aliquo jure, ſed in merâ permiſſione, ſeu conceſſione Domini *concedo aſſumptum.*

Quæ ex citatâ *Joannis* XXII. extravagante adversùs ſimplicem uſum facti objici ſolent, à variis variè ſolvuntur. Rectiùs dicitur, quod quæſtio illa magis de nomine, quam de re ipsâ fuerit, & quod *Joannes* XXII. aſſerens uſum facti in rebus unico actu conſumptibilibus ab omni jure ſeparari non poſſe, per ſimplicem uſum facti intellexerit uſum ab omni facultate, ſeu licentiâ utendi ſeparatum, & per uſum juris facultatem re aliquâ licitè utendi, quemadmodum ex ejus argumentatione liquet, quiâ arguit, quod FF. *Minoritæ* cibo, & potu illicitè uterentur, ſi ſimplicem uſum facti, & nihil juris haberent.

Franciſcani igitur etiam rerum unico actu conſumptibilium proprietatem, ſeu dominium penes Sedem Apoſtolicam reſidêre arbitrantur, itaut illis nomine ipſius, ſeu facultate ab ipsâ acceptâ, utantur.

Si quis autem quærat, quid agerent, ſi *Pontifex* omnem ipſis cibum, & potum tanquam ſuum adimeret, reſpondent ex bullâ *Nicolai* III. quod in extremæ neceſſitatis articulo viâ, & medio omnibus à naturâ conceſſo uterentur, atque ad vitam neceſſaria undecumque acciperent.

CAPUT II.

De ſubjecto Dominii.

QUÆSTIO I.

An ſola intellectualis natura, & omnis ſit capax Dominii?

Dico 1. Quod ſola natura rationalis ſit capax Dominii manifeſtum eſt, quià ipſi ſoli competere poteſt *facultas diſponendi de rebus in uſus à lege permiſſos*, cum ejuſmodi diſpoſitio voluntatem præſupponat.

Inſuper quidquid eſt Dominii capax, etiam eſt capax injuriæ: atqui creaturæ irrationales non ſunt capaces injuriæ, ergo neque Dominii.

Dico 2. Quod Deus, & Angeli Dominii ſint capaces, ambigi non poteſt. Utrum Angelis de facto Dominium in hæc inferiora competat, me ignorare profiteor lubens, id enim à divinâ conceſſione dependet, de quâ non ſatis conſtare videtur.

Dico 3. Homini Dominium rerum temporalium, & corporalium quadrat. Id ei Deus conceſſiſſe videtur Geneſis 1. v. 26. his verbis: *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli.* Multi hoc dominium fundant in hominis libertate, quâ de rebus diſponere, eaſque ut ſibi obſtrictas præ aliis uſurpare, ac tueri poteſt.

Dico 4. Omnis creatura rationalis, etiam dum actu rationis uſu caret, eſt capax Dominii.

Prob. quià habet agnatam libertatem, quâ de re

tanquam ſuâ diſponere poſſit, & per accidens eſt, quod ab exercitio ſuæ libertatis impediatur.

Hinc infantes habent dominium hæreditatis, juxtà illud *Apoſtoli* ad Galatas 4. v. 1. *Hæres quanto tempore parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium.*

Obj. 1. Pueri Dominium acceptare nequeunt: atqui nullum ſine acceptatione acquiritur dominium: ergo &c.

Reſp. *diſtinguendo majorem*, acceptare nequeunt immediatè & per ſe, *concedo majorem*: mediatè, & per alios, *nego majorem*: Reſpublica enim voluntatem infantis in Tutoris collocat arbitrio, ita ut acceptatio Tutoris ipſius infantis acceptatio cenſeatur.

Inſtabis: ergo etiam brutis dominium competere poterit, quandoquidem & ipſa mediatè ad ſenſum jam datum quidpiam acceptare valeant.

Reſp. *negando ſequelam*, quià brutis deeſt ipſa voluntatis potentia, & libertas radicalis, quæ omninò neceſſaria eſt, ut acceptatio illa mediata fiat, & voluntas unius cenſeatur voluntas alterius.

Obj. 2. Si quis bona pueris, vel amentibus auferat, non committit furtum, neque illis injuriam infert: ergo &c.

Prob. antecedens, quià furtum, & injuſtitia poſtulant, ut quis ſit invitus: atqui infantes, & amentes non ſunt inviti reſpectu ablationis bonorum: ergo &c.

Reſp. *negando antecedens*, ad probationem *diſtinguo minorem*: non ſunt inviti poſitivè, id eſt, non habent poſitivum diſſenſum, quando bona auferuntur, *concedo*: non ſunt inviti *negativè*, quatenùs nempè in ablationem bonorum ſuorum non conſentiunt, *nego minorem*. Porrò id ad injuriæ illationem, & juſtitiæ violationem ſufficere, ex eo liquet, quod alioquin juſtitiam non læderem, nec dormienti injuriam inferrem, ſi ædes ejus flammis exurerem. Adde,

Adde, quod etiam pueri poſitivè diſſentiant, non quidem immediatè, & per ſe, ſed per Tutores ſuos, & Curatores.

QUÆSTIO II.

An, & quale Dominium habeant ſervi, & filii-familias?

Dico 1. *Servi* vulgò *mancipia*, de quibus hîc agimus, habent jus ad *vitam*, *famam*, & ſimilia; adeòque illis injuria propriè dicta inferri poteſt; etiam à Dominis, quià in illis non conſiderantur ut ſervi, ſed ut homines.

Dico 2. Servi de jure communi ſunt deſtituti omni dominio rerum corporalium.

In quibuſdam tamen caſibus dominium ipſis competere poteſt. *Primò*, ex tacito, vel expreſſo conſenſu Domini. *Secundò*, ſi res detur ſervo eá conditione, ut poteſtati, & dominio Domini non ſubſternatur. Sed de hoc diſputatur. *Tertiò*, ſi aliquid donetur in compenſationem injuriæ ſervis illatæ V. G. per detractionem, mutilationem &c. *Quartò*, ſi de neceſſariis ad ſuſtentationem aliquid ſibi ſubtrahant, vel ultrà operas à Domino impoſitas ampliùs aliquid præſtent mercede dignum.

Leges igitur, quæ ſervos jure, & Dominio exuunt, cum reſtrictione intelligendæ ſunt.

Dico 3. *Filii-familias*, hoc eſt, nondum emancipati, & adhuc ſub patriâ poteſtate conſtitutí, aliquorum bonorum dominium habent.

Bona, de quibus quæſtio inſtitui poſſet, ſunt triplicia. Quædam dicuntur *Caſtrenſia*, quæ ſcilicet in militiâ, vel ejus occaſione acquiſita ſunt. His affinia ſunt, quæ vocantur *quaſi caſtrenſia*, quæ acquiſita ſunt ratione militiæ ſacræ, vel togatæ; V. G. ratione

Beneficii Ecclesiastici, vel ex officio *Advocati*, *Judicis*, *Magistri*, &c. Horum bonorum filii-familias pleniſſimum habent dominium, & de illis pro ſuo libitu diſponere poſſunt.

Alia ſunt *profectitia*, hoc eſt, quæ à patre vivo proficiſcuntur, vel principaliter, & proximè Patris causâ filiis dantur.

Item quæ *propriâ induſtriâ* extrà militiam ſacram, & profanam filii acquirunt; V. G. per negotiationem ex pecuniis mutuò acceptis, quæ vocantur *adventitia*, quemadmodum & illa, quæ filiis alio reſpectu, quam Patris, obveniunt, vel quæ fortuitò ab aliis derelicta inveniunt.

Bonorum *profectitiorum* filii dominium nec *directum*, nec *indirectum* habent.

Bonorum *adventitiorum* proprietatem, ſeu dominium directum ſortiuntur, ità tamen ut Pater eorum adminiſtratione, & uſu-fructu gaudeat, niſi fortè Pater adminiſtrationi renuntiet, vel bona iſta filiis relinquantur cùm conditione, ne uſus-fructus Patri obveniat, vel niſi Pater uſu-fructu privetur ob delictum V. G. propter hæreſim: tunc enim uſus-fructus in filios tranſit. Cæterùm in iſtis, & ſimilibus caſibus ſpectanda eſt conſuetudo & jus particulare cujuſque loci.

QUÆSTIO III.

An Religioſis competat Dominium?

Dico 1. *Religioſi* in particulari, ſolemni paupertatis voto obſtricti, omnis prorsùs dominii, & proprietatis incapaces ſunt, ſcilicet reſpectu rerum temporalium.

Prob. quià per Eccleſiæ conſtitutionem in ipsâ Profeſſione inhabilitantur, uti omnibus in confeſſo eſt.

Dico 2. Religiosi, qui tantùm simplex paupertatis votum emiserunt V. G. Patres Societatis antè tertiam professionem dominium, & proprietatem rerum retinent, quià neque ex naturâ voti, neque per aliquam Ecclesiæ constitutionem dominio exuuntur, quemadmodum in Tractatu de *Religione* ostensum est.

Observandum tamen, quod *Patres Societatis* vi voti simplicis rerum proprietate careant, si per proprietatem intelligatur expedita facultas disponendi de rebus pro suo libitu, independenter à voluntate alterius: quià in dispositionibus rerum suarum à Superiorum arbitrio dependent, sic ut illicitè absque eorum consensu de illis disponant.

Dico 3. Certum est, quod Religiosi quicumque aliquarum rerum V. G. famæ habeant dominium; Item jus electionis ad officia tum activè; tum passivè.

Quod dominium famæ retineant, ex eo liquet, quod nulla prorsùs in Professione famæ abdicatio fiat: hinc in famâ, quamvis à suo Superiore læsi, de injuria conqueri possunt, & reparationem prætendere. Jus tamen illud per Constitutiones, & consuetudinem nonnumquam constringitur, vel etiam adimitur.

Dico 2. Religiosi in communi (exceptis *Franciscanis* strictioris observantiæ) habent dominium rerum temporalium, & non meram administrationem. Colligitur ex *Trid.* sess. 25. cap. 3. de Regularibus, ubi ipsis permittitur, ut possideant bona in communi, etiam immobilia.

Confirmatur autem tum ex communi persuasione, tum ex eo, quod in capite jam citato redditus dicantur proprii Monasteriis Religiosorum. Superiores tamen Ordinum non sunt Domini bono-

rum Communitatis, sed de illis tantùm disponunt tanquam administratores.

QUÆSTIO IV.

An Clerici bonorum beneficialium, aliorumque sint Domini ?

NOta, Clericorum bona alia esse *Patrimonialia*; alia *quasi Patrimonialia*, alia *purè Ecclesiastica*, seu *strictè beneficialia.*

Patrimonialia sunt, quæ acquiruntur aliter quam per functionem Ecclesiasticam, V.G. quæ obtinentur ex testamento, donatione, labore manuum &c.

Quasi Patrimonialia dicuntur, quæ comparantur quidem ratione functionis Ecclesiasticæ V. G. lectionis Sacri, sed non ex beneficio strictè dicto.

Purè Ecclesiastica sunt, quæ ex titulo beneficii Ecclesiastici obveniunt, ut sunt proventus Canonicatûs, Pastoratûs &c.

Dico 1. Clerici sunt Domini *bonorum Patrimonialium*. Quià neque per dispositionem Ecclesiæ, neque ex vi, & naturâ Clericatûs rerum istarum Dominium illis adimitur. Imò SS. Canonum decreta hac in parte ipsis suffragantur: V. G. Canone *Episcopus*. q. 1. causa 12. dicitur : *Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, relinquant.* Vidêri etiam potest Canon. *Episcopus*. q. 3. Canon. *Placuit.* & Canon. *Nulli.* Item Capitulum *Quià nos.* de Testamentis, ubi dicitur, quod Clerici de his, quæ Paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, liberè disponere valeant.

Obj. varios Canones, qui proprietatem Clericis interdicere videntur; ut Canonem *Dilectissimis.* Canonem *Clericus.* Canonem *Cui portio.* ubi insinuatur

tur Clericis debêre ſufficere Deum, in cujus ſortem ſunt vocati, & illum, cujus portio Deus eſt, nihil debêre curare niſi Deum.

Reſp. quod hi Canones vel extendantur ad ſolos Clericos, qui voverant paupertatem, vel tantùm culpent vitioſam temporalium rerum cupiditatem, quatenùs hæc perfectioni, cui Clerici præ aliis adſtringuntur, obicem ponunt.

Dico 2. Clerici non ſunt Domini bonorum immobilium *ſtrictè beneficialium.*

Prob. quià Eccleſia nullum ipſis jus tribuit niſi in fructus bonorum hujuſmodi: hinc omnes alienationes bonorum immobilium habentur ab Eccleſiâ irritæ prorsùs, & invalidæ.

Dico 3. Clerici Beneficiati habent plenum, & abſolutum dominium reſpectu portionis fructuum per ſe ad ſuſtentationem neceſſariæ, quamvis patrimonio ad ſuſtentationem ſatis idoneo gaudeant.

Prob. 1. Quià Clerici poſſunt, prout voluerint, de Patrimonialibus, & ſimilibus liberè, & licitè diſponere, ut anteà oſtenſum eſt: ergo poſſunt etiam diſponere de portione fructuum ad ſuſtentationem neceſſariâ, quià aliàs tenerentur ex Patrimonio vivere, nec competeret eis libera facultas illud alienandi.

Prob. 2. Quià licet Beneficiati habeant bona ex hæreditate, artificio, vel aliundè comparata, poſſunt tamen ex proventibus beneficii eorum Miniſtris aliqua dari, ut conſtat ex capitulo *Relatum.* 2. de Teſtamentis, ubi *Alexander* III. ità decernit: *Licet mobilia per Eccleſiam acquiſita de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non poſſint, conſuetudinis tamen eſt non improbandæ, ut de his pauperibus, & Religioſis locis, & illis, qui viventi ſervierant, ſive ſint Conſanguinei, ſive alii, aliqua juxtà ſervitii meritum conferantur. Cæterùm quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrinâ proveniunt, diſtribuentur pro arbitrio decedentis.*

Deindè in Synodo octavâ cap. 15. statuitur, *Episcopo non licêre Ecclesiasticos redditus lædere, qui ad propriam utilitatem, & ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem esse decernuntur. Posse tamen propriarum rerum dispositionem distribuere, aut committere, seu conferre quibuscumque voluerit, & judicaverit juxtà propriam potestatem, ac dominatum.* Ex quibus elucet, quod Episcopus & liberam aliorum bonorum dispositionem, & redditus Ecclesiasticos in propriam habeat utilitatem.

Prætereà in Concilio Aquisgranensi præcipitur, ut Clerici, qui suas, & Ecclesiæ habent facultates, & utilitatem Ecclesiæ conferunt, accipiant in Congregatione cibum, & potum, & partes Eleëmosynarum, & his contenti sint, ne plus accipientes pauperes gravare videantur.

Denique sustentatio Clericis non datur titulo sublevandæ inopiæ, sed ratione servitii mercede digni, estque non pura Eleëmosyna, sed debitum stipendium, ad quod *Apost.* 1. ad Corinth. 9. se potestatem habêre dixit, quâ tamen usus non est. Sanè exempla sumit ab iis, quæ ex justitiâ dantur: *nemo*, inquit, *militat suis stipendiis umquam*, &, *qui altari inservit de altari vivit*, &, *dignus est operarius mercede suâ.*

Beneficiati igitur habentes bona patrimonialia, aut his similia, non videntur obligati, ut ex iis vivant, sed ex fructibus beneficii licitè sibi tantùm applicant, quantùm ad honestam sustentationem requiritur. Si autem ex patrimonio vivere velint, possunt in quemcumque usum disponere de illâ parte fructuum Beneficii, quæ ad honestam sustentationem per se necessaria erat, perindè atque de aliis bonis patrimonialibus.

Novi quidem viros hoc sæculo doctrinâ insignes oppositum sustinêre, quorum doctrinam minimè reprehen-

prehendo, imò in praxi admodum commendo: ſed Beneficiatos onere illo gravare ægrè audeo. Interim argumenta ipſorum æquâ lance ponderabo, & plenè ſolvere conabor. Si ſolutiones alicui forſan non omnem difficultatem exhaurire, & probabilitatis aliquid pro ſententiá nobis oppoſita relinquere videantur, hic in praxi, quod ſecuriùs apparebit, eligere tenebitur.

Obj 1. Pro ipsâ functione ſacrâ, quam Eccleſiæ Miniſtri præſtant, nihil citrà Simoniæ notam exigi poteſt: ergo Miniſtris ex patrimonio divitibus nihil licet accipere.

Reſp. *diſtinguendo antecedens*, pro functione ſacrâ nihil poteſt exigi per modum pretii *concedo antecedens*: nihil poteſt exigi per modum ſtipendii ſuſtentationis, nullo habito reſpectu ad valorem functionis Sacræ, *nego antecedens.*

Obj. 2. *Cauſa* 1. quæſt. 2. Canon. *Clericos autem.* dicitur: *Qui bonis parentum, & opibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſionem taliuin judicium ſibi manducant, & bibunt:* ergo Clerici ex patrimonio divites non habent jus, ut ex bonis Eccleſiæ ſuſtententur.

Reſp. 1. D. *Thom.* 2. 2. q. 185. art. 7. ad 3. putare hunc Canonem intelligendum eſſe de articulo neceſſitatis, in quo etiam pro redemptione captivorum, & aliis neceſſitatibus pauperum, vaſa cultui divino dicata diſtrahuntur: & in tali neceſſitate peccaret Clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiæ vivere, dummodò haberet patrimonialia, de quibus vivere poſſet, inquit hujus canonis gloſſator.

Reſp. 2. Hunc canonem poſſe intelligi de tempore, quod fluxit ante diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum, quo propter paucitatem oblationum Eccleſia nec valebat, nec volebat ſuſtentare, niſi Clericos indigentes.

CAPUT II.

Nonnulli id eruunt ex quæſt. 2. Can. *ſi quis propter.* ubi ex Sancto *Proſpero* dicitur: *Non eſt meum dicere, quali peccato cibos pauperum præſumendo ſuſcipiunt, qui Eccleſiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerant, ſuis expenſis inſuper gravant.* Ubi innuitur, quod propter neceſſitatem Clerici tunc temporis obligati fuerint ad non vivendum ex bonis Eccleſiæ, quando alia ſuppetebant. Hac de re etiam vidêri poteſt Canon *Paſtor.*

Objici ſolent & alii Canones ejuſdem penè ſubſtantiæ, nempè Canon *Sacerdos.* causâ 1. quæſt. 2. Canon *ex his.* causá 12, quæſt. 1. &c. ſed omnes expoſitionem jam datam admittere videntur.

Obj. 3. S. *Bernardus* in declamatione de Beneficiato dicit: *vivat, & non ſuperbiat, non luxurietur, non ditetur, denique non ſibi de bonis Eccleſiæ ampla palatia fabricet, nec loculos indè congreget.* Item Epiſt. 2. *quidquid præter neceſſarium victum, & ſimplicem veſtitum de altario retines, tuum non eſt, Sacrilegium eſt, rapina eſt.*

Reſp. ex his, & ſimilibus tantùm habêri, quod Beneficiatus de illis, quæ ad honeſtam ſuſtentationem ſuperfluunt pro ſuo libitu licitè diſponere nequeat, quod lubens admitto. Si aliquando Clericus ex beneficio vivens patrimonio parcat, atquè ità diteſcat, divitias non ex Eccleſiæ proventibus, ſed aliundè reportat, uti per ſe evidens eſt.

QUÆSTIO V.

An, & quomodo Beneficiati ſint Domini portionis fructuum, quæ ſuſtentationi ſuperflua eſt.

Dico 1. Clerici videntur Domini portionis fructuum ſupra ſuſtentationem ſuperfluæ.

Prob. 1. Ex *Tridentino* ſeſſ. 24. cap. 12. de reforma-

formatione, ubi statuitur ; ut Beneficiatus non faciens Fidei professionem intrà duos menses adeptæ possessionis beneficii, fructus non faciat suos. Idem decernitur de illis, qui per tres menses ab Ecclesiâ suâ abfuerint: ergo à contrario supponit S. Synodus, quod factâ fidei professione, & seclusâ absentiâ, fructus faciat suos, fiatque verus Dominus.

Nec est, quod dicatur hoc esse intelligendum de parte fructuum ad sustentationem necessariâ, quià aliàs non recitantes Horas, absentes, & cæteri ibidem enumerati tantùm privarentur illis, quæ ad sustentationem necessaria sunt, non autem superfluis, quod à praxi, & æquo deviat, cum ipsi omnibus fructibus privandi sint.

Prob. 2. Si Clerici non essent Domini illius portionis superfluæ, invalidè de illâ disponerent, præsertim in usus profanos, quod non videtur admittendum. Causa 12. q. 5. Can. *Episcopus.*

Obj. 1. varios canones, quibus decernitur, quod sola bonorum Ecclesiæ administratio pertineat ad Ecclesiasticos, quod ad minimùm de portione superfluâ intelligendum est: sic causâ 12. quæst. 1. Canone *si privatum.* dicitur: *Non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Et Can. *Quisquis.* irritum esse dicitur, *si quid de salariis alicui personæ, præterquam pauperi, datum esse constiterit.* Et Canone *Quidquid.* statuitur, ut inane habeatur, & vacuum vendicatione comparantis, & actione vendentis. Quæ omnia innuere videntur, Clericos in portionem superfluam veri nominis Dominium non habêre.

Resp. hos, & similes canones vel respicere tempora bonorum divisionem antecedentia, vel intelligendos esse de illâ portione, quæ pauperibus, vel fa-

bricæ assignata erat, cujus non dominium, sed sola dispensatio Episcopis competebat

Obj. 2. Proventus Ecclesiæ à SS. Canonibus appellantur, *Patrimonium Crucifixi*, *Domini bona*, *alimenta pauperum*, & in *Trid.* sess. 25. cap. 1. de Reform. *res Dei*, &c. ergo &c.

Resp. *negando consequentiam*, quià tantùm dicuntur *bona pauperum*, *res Dei*, &c. quià ex intentione fidelium sunt causis piis obstricta, & quasi devincta, ita ut Clerici de illis non pro suo libitu, sed in sustentationem pauperum, nempè quantùm ad portionem superfluam, similesque usus, disponere teneantur, ut statim demonstrabo.

Sanè si quis illa dicat bona pauperum hoc sensu, quod pauperes illorum habeant dominium, metuendum, ne ansam præbeat pauperibus Clericos ditiores invadendi, & quod suum est, auferendi.

Obj. 3. Verba S. *Bernardi* ex Epist. 2. *Quidquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est* &c. ergo Clerici superfluorum saltem dominium non habent.

Résp. *negando consequentiam*, & dico, S. *Bernardum* aliud nihil intendere, nisi Clericum illum superflua sibi retinentem in justitiam impingere, & rebus Deo consecratis, atque ad pios usus destinatis abuti. Sanè S. *Thomas à Villanova* Conc. de S. *Martino* ipsos etiam seculares asserit obligatos, ut qui abundaverit, indigentium penuriam suppleat, adjiciens, *quod, qui non supplet, raptor sit & homicida*: ex quo tamen nemo intulerit seculares non esse Dominos superfluorum, sive quoad vitam, sive quoad statum.

Instabis: S. *Bernardus* disertè dicit: *Sacrilegâ eis* (pauperibus) *crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri, & dispensatores, non utique Domini & possessores, ultra victum accipiunt, & vestitum.*

Resp.

Reſp. illos non eſſe Dominos abſolutos, quià ſuperflua in pios uſus expendere tenentur: hinc dominium reſpectu portionis ſuperfluæ, ſi utilitas Beneficiati ſpectetur, eſt ſterile, & quaſi nullum. Scopus igitur S. *Bernardi* non eſt alius, quam oſtendere Beneficiatos non poſſe ſuperflua licitè convertere in ſuos uſus, & quantùm ad hoc eſſe quaſi diſpenſatores, & non Dominos.

Dico 2. Clerici non ſunt abſoluti portionis ſuperfluæ Domini, ſed omnia ad honeſtam ſuſtentationem ſuperflua in pios uſus expendere tenentur, non dumtaxat ex charitate, ſed etiam ex obligatione juſtitiæ.

Prob. Quin Eccleſia potuerit Clericis onus illud imponere, ut nempè ſuperflua piis uſibus applicarent, nulli eſt ambiguum: porrò quod ejuſmodi obligationem ipſis injectam voluerit, conſtat ex variis canonibus tum ante, tum poſt diviſionem bonorum conditis: ergo &c.

Imò Eccleſia ipſa ejuſmodi bona à Fidelibus accepit cum onere, & gravamine illa in pias cauſas expendendi, ut patet ex intentione Donatorum, qui bona ſua non abſolutè contulerunt Eccleſiæ, ſed ut in pios uſus expenderentur: *fideles namque*, ut loquitur *Conc. Aquiſgranenſe* 1. cap. 116. *Fidei ardore, & Chriſti amore ſuccenſi ob animarum ſuarum remedium & cœleſtis Patriæ deſiderium facultatibus ſuis Sanctam locupletem fecerunt Eccleſiam, ut his, & Milites Chriſti alerentur, Eccleſiæ exornarentur, pauperes recrearentur &c.*

De eadem Fidelium intentione teſtificatur S. *Petrus Damiani* lib. 4. Epiſt. 3. dicens: *An ignoras, quià ad hoc prædia conferuntur, ut ex his pauperes ſuſtententur, indigentes alantur, viduis, atque pupillis ſubſidium procuretur*? atqui Donatarius tenetur ex juſtitiâ onus perſolvere, ſub quo donationem acceptat

jux-

juxtà mentem Donatoris : ergo Ecclesia tenetur ex justitiá sive per se, sive per suos Beneficiatos superflua beneficiorum in pias causas expendere.

Prob. 2. Verbis S. *Bernardi* Serm. 23. in Cantica: *timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minimè contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impiè, sacrilegèque sibi retineant, & in usus suæ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur : duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & Sacris in suis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur.*

Sanè quando & alii SS. *Patres*, & SS. *Canones* superflua Beneficiatorum passim dicunt *alimenta pauperum, egenorum substantiam, res Dei, patrimonium Crucifixi* &c ut minimùm volunt ea pauperibus, & causis piis peculiariter esse devincta, & obstricta.

Denique Clerici ratione obsequii spiritualis nihil omninò possunt prætendere, nec ab Ecclesiá illo intuitu ipsis aliquid dari potest, præter honestam sustentationem. Ex his

Collige 1. Quod sicut hæres, licet fiat Dominus totius hæreditatis, ex justitiâ tenetur solvere debita Testatoris, sub quorum onere acceptat hæreditatem, ità Beneficiatus teneatur ex justitiâ piis causis impendere superflua, quià proventus beneficii, eâ lege accepit, ut quasi hæres Patrimonii Christi egenis ejusdem membris per superfluorum erogationem succurrat.

Collige 2. Clericum restitutionis onere gravari, si superflua beneficii profanis usibus applicaverit.

Collige 3. Hæredem Beneficiati, si hic defecerit, obstringi ad superflua in pauperes dispergenda, quià repræsentat personam Testatoris, & unà cum hæreditate omnia ejus onera, saltem realia, suscipit.

Obj. 1.

Obj. 1. Decreta S. *Canonum*, & dicta Patrum, è quibus obligationem jam assertam eruimus, se tantùm extendunt ad tempora primitivæ Ecclesiæ bonorum divisionem antecedentia.

Resp. *negando assumptum*, quià idem onus, quod tunc Ecclesia suscepit, postea in Beneficiatos, uti debuit, derivavit. Deindè *Tridentinum* eandem obligationem ex SS. Canonibus eruit sess. 25. cap. 1. de reformatione, vetans, ne ullus Episcopus, aut Beneficiatus, licet Cardinalis, consanguineos, vel familiares suos redditibus Ecclesiæ augeat, additâ hâc ratione, *quià Apostolorum Canones prohibent, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, illis ut pauperibus distribuant.* Denique S. *Bernardus* vixit, & scripsit post divisionem, utpote quæ facta dicitur circa annum 470.

Obj. 2. Fundatores beneficiorum non solent Clericis imponere onus dandi superflua pauperibus, vel piis causis applicandi.

Resp. *negando assumptum*, si enim eorum intentio requiratur, ea est, ut per tales donationes pro delictis suis satisfaciant, & vitam æternam promereantur, adeòque necessariò respicit causas pias: aliàs cur non æquè donarent amicis, & consanguineis? Intentionem tamen suam exprimere non solent, quià supponunt Ecclesiam, à cujus approbatione beneficia dependent, illam apprimè nosce, & juxtà illam Beneficiatos gravari.

Obj. 3. Proventus beneficii aliquando adeò ampli sunt, ut vel media eorum pars congruæ sustentationi abundè sufficiat: ergo Ecclesia partem reliquam libertati Beneficiati relinquere censetur.

Resp. *negando consequentiam*, quià Ecclesia Beneficiatos respectu partis residuæ quasi commissarios, & dispensatores constituit, ut eam in causas pias expendant. Considerandum etiam, quod, quæ modò

Cleri-

Clerico ſuperflua ſunt, eidem poſteà per infirmitatem, aut alium caſum neceſſaria eſſe queant.

Obj. 4. Clerici ſunt Domini omnium fructuum beneficialium, ut ante dictum eſt: ergo &c.

Reſp. *diſtinguendo antecedens*, ſunt Domini abſoluti, nullo gravati onere, *nego antecedens*: ſunt Domini onerati, *concedo antecedens*. Sanè hæres totius hæreditatis eſt Dominus, per hoc tamen non eximitur ab onere ſolvendi debita teſtatoris, vel legata in teſtamento expreſſa.

Inſtabis, Eccleſia non cogit Beneficiatos ad reſtitutionem, quos tamen ex ſuperfluis ſubinde diteſcere, & luxuriari probè novit.

Reſp. Eccleſiam tum per Conciliorum Canones, tum per SS. Doctores obligationem illam Clericis proponere, & inculcare, atque pauperes cum S. *Bernardo* inducere conquerentes: *Noſtris neceſſitatibus detrahitur, quidquid veſtris voluptatibus accedit.*

Obj 5. Sententia noſtra tribuit jus pauperibus Beneficiatorum ſuperflua expoſtulandi in judicio, quod à praxi, & communi judicio alienum eſt.

Reſp. *negando aſſumptum*, quià Beneficiatis liberum eſt ſuperflua illa vel pauperibus erogare, vel in alias cauſas pias expendere.

QUÆSTIO VI.

Quædam materiæ jam diſcuſſæ affinia reſolvuntur.

PEtes 1. *Quæ ſuſtentatio cenſeatur congrua reſpectu Beneficiati?*

Reſp. id prudenti judicio eſſe definiendum attentâ dignitate Eccleſiaſticâ perſonæ, & rationabili praxi vivendi hoc, vel iſto loco.

Dicitur *Eccleſiaſticâ*, quià non eſt attendenda dignitas ſecularis, V. G. quod aliquis ſit *Princeps* ſimul

&

& *Canonicus*, cum Beneficia non sint erecta in favorem statûs secularis, sed in sustentationem Clericorum. Ex quo

Collige 1. *Decanum* V. G. pro suâ sustentatione amplius posse computare, quam simplicem Canonicum, & sic de cæteris.

Collige 2. Canonicum nobilem non posse licitè ex proventibus beneficii augêre numerum famulorum juxtà gradum suæ nobilitatis.

Petes 2. *An Beneficiato liceat beneficii proventibus consanguineos in suo statu, unde alioquin excíderent, conservare?*

Resp. quibusdam id vidêri licitum, quià similibus succurrere opus misericordiæ, & quædam Eleëmosynæ species censetur. Quin aliorum tamen pauperum necessitati ampliùs urgenti subveniri deberet priùs, nullus ambigo.

Petes 3. *An Clericus licitè alienet bona, ad quorum titulum est ordinatus?*

Resp. *negativè*, sive illa bona sint patrimonialia, sive non. Ratio est, quià ejusmodi bona sunt obstricta Ecclesiæ in sustentationem Ordinati. Quarè licet hic posteà alia conquirat, quibus independenter à suo titulo sustentari possit, non potest tamen sine permissione Ecclesiæ de titulo disponere. Non ideò tamen hæc bona, si sint patrimonialia, fiunt strictè Ecclesiastica, sed manent sub dominio Ordinati, qui per testamentum de illis in quemcumque usum potest disponere.

Petes 4. *An Religiosus factus Episcopus acquirat dominium rerum, quas in Episcopatu accipit?*

Resp. *negativè* cum D. *Thomá* 2. 2. q. 185. art. 8. ad tertium: quià Can. *Statutum.* causa 18. quæstione 1. dicitur, quod res habitæ à Monacho ante Episcopatum sint Monasterii, & habitæ in Episcopatu sint Ecclesiæ.

Dein-

Deindè quandoquidem Episcopatus cum paupertate Religiosâ consistere queat, non est ratio, cur Religiosus ad Episcopatum evectus à voto paupertatis eximatur, & proprietatis capax evadat. Porrò quod paupertas cum Episcopatu consistat, evidens est, quiâ facilè intelligitur, quomodò quis proventuum Episcopalium administrationem habêre queat citrà Dominium.

Petes 5. *An seculares plenum, & liberum habeant dominium rerum superfluarum?*

Resp. quosdam non improbabiliter existimare etiam secularibus obligationem incumbere illa pauperibus elargiendi, vel piis causis applicandi, quæ ad honestam sustentationem statui suo convenientem, superflua sunt. Imò secundùm varias SS. Patrum locutiones obligatio illa videtur non tantùm esse charitatis, sed etiam quasi justitiæ.

In primis S. *Aug.* in Psal. 147. *quære*, inquit, *quantùm tibi dederit Deus, & ex eo tolle, quod sufficit. Cætera, quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria, & superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, dum superflua possidentur.* Et Serm. 50. aliàs homiliâ 15. de diversis: *ille, qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitretur de suo facere: meum est aurum, non vestrum, ait Dominus, ô divites terræ.* Similia habet serm. 310. aliàs homilia 47. inter 50. & serm. 277. aliàs 219. de tempore.

Consonat S. *Basilius* homilia 6. in avaros, ubi divitem sic alloquitur: *Esurientis est panis, quem tu retines. Nudi est vestis, quam in arcâ custodis. Egentis est argentum, quod tu terræ infossum custodis. Quarè tot injurius es hominibus, quibus poteras opem conferre?*

Simili modo etiam loquitur S. *Ambrosius* lib. de Naboth. cap. 12. *Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis ..... debitum ergo reddis, non largiris indebitum.*

Etiam

Etiam *Gregorius Magnus* de curâ Pastorali parte 3 admonitione 22. sic ait : *Cum quælibet indigentibus necessaria ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur. Justitiæ potiùs debitum solvimus, quam misericordiæ opus implemus.*

Sanè fallor admodum, vel testimonia jam allata satis ostendunt divites respectu superfluorum dumtaxat habêre dominium vinculatum, sic ut illa ex obligatione justitiæ pauperibus elargiri teneantur.

Observandum tamen, quod non omnia superflua simul, & semel abjicere, sed de illis necessitati pauperum pro exigentiâ personarum, & circumstantiarum subvenire debeant.

Suppositâ hujus doctrinæ veritate, satis liquet, quod Clerici Beneficiati ex patrimonio divites de fructibus beneficii non ità possint vivere, ut bona patrimonialia profanis usibus applicent, quià quantùm ad superflua sive ex beneficio, sive ex patrimonio secularibus, ut minimùm, pares sunt.

CAPUT III.

De objecto Dominii.

QUÆSTIO I.

Utrum homo cadat sub Dominium hominis?

Nota non agi de dominio in hominem quoad membra, vel vitam, quià hoc soli Deo reservatur, ut quæstione sequenti ostendam, sed quoad actiones, itaut sensus sit, an homo in omnes alterius hominis actiones dominium habêre queat, anque dominium istud sit justum? De quo

Resp.

Resp. & *Dico* 1. In hominem Dominium acquiri potest jure belli, si nempè bellum sit justum ex parte capientis. Ratio est, quià quos victores licitè occiderent, morte in servitutem commutatâ servare possunt, cum servitus sit morte levior. Ità olim servitus passim inducebatur; undè & à servando servi dicti sunt, sicut mancipia vocantur quasi manu capti: Hinc S. *Aug.* l. 19. de civitate cap. 15. dicit: *quod qui jure belli possent occidi, à victoribus cum servabantur, servi siebant, à servando appellati.* Hic titulus etiam extenditur ad infantes captos, eòquòd Victor possit punire *Rempublicam* eam servituti subjiciendo quoad singula membra.

Dico 2. Servitus etiam licitè inducitur titulo *condemnationis*; quando condemnatus posset morte mulctari, etiam ob gravia delicta quis servituti subjici posset: sic *Alexander* III. in Concilio Lateranensi statuit, ut Christiani deferentes arma ad Saracenos, aut in eorum navibus piraticis gubernationem exercentes, fiant servi capientium.

Dico 3. Potest etiam acquiri dominium in hominem viâ emptionis.

Prob. quià homo est Dominus suæ libertatis, & actionum suarum, quarum proindè dominium accepto pretio, vel etiam gratis in alium transferre valet.

Sanè si quis se obligare possit ad serviendum alicui per annum, cur ejusmodi obligatio ad totam vitam extendi nequeat?

Cæterùm quamvis ex jure naturæ hic contractus appareat licitus, prohibetur tamen jure civili Romano, nisi variis stipetur conditionibus, quas passim proponunt authores.

Dico 4. *Servitus* etiam inducitur titulo *nativitatis*, quare quæ ex matre servâ nascitur, serva est, licet Pater sit liber, quià partus sequitur ventrem,

ut

ut habetur Leg. *partum.* Cod. de vendicatione. Si tamen tempore conceptûs, vel partûs, vel aliquo intermedio mater libera fuerit, filius liber erit, nec oberit ei præcedens, vel ſequens ſervitus matris.

Petes 1. *An ſervi tempore belli capti licitè fugiant?*

Reſp. quod non magis videantur obligati apud Dominum permanêre, quam reus in carcere: atqui hic licitè ſibi fugâ conſulit, ut infrà oſtendetur: ergo &c.

Subindè tamen per accidens obſtringi poſſunt ad ſemper manendum; ut ſi talem obligationem ex pacto ſuſceperint, vel Victor ligamen iſtud victis expreſsè injecerit. Cæterùm victoræ ejuſmodi obligationem victis imponere non ſolent.

Petes 2. *An liceat ſervis bello captis fugam conſulere?*

Reſp. probabiliter *affirmativè*: quià eſt conſilium de re licitâ. An verò, & quomodò ad fugam juvare liceat, pendet ex infrà dicendis de his, qui reum adjuvant ad fugiendum è carcere, cum ſit par ratio. Cæterùm non omnia, quæ ſervus poteſt facere ad fugiendum, tertius aliquis agere poteſt ad eum liberandum.

Petes 3. *An eadem ſit ratio de ſervis qui ſeipſos vendiderunt?*

Reſp. *negativè*, quià per venditionem ſe obligarunt ad præſtanda Domino obſequia per totam vitam. Sanè ſicut famulus, qui operam ſuam per annum elocavit, intrà Anni ſpatium illicitè fugit, ità & illi, cum ſeſe ad totam vitam obligaverint, ſicut famulus ille ad annum.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An homo sit Dominus vitæ, & famæ suæ?

REsp. & *Dico* 1. quamvis sit usuarius vitæ, & membrorum corporis, non est tamen strictè Dominus, quià dominium istud peculiariter Deo censetur reservatum. Id nonnulli eruunt ex eo, quod Deus in Scripturis dicat: *ego occidam, & ego vivere faciam.* Item ex eo, quod nobis non liceat vitam destruere, aut membra amputare, ut *Apostolus* innuit *Galatis* ità scribens: *si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.*

Collige 1. Neminem nisi ex concessione authoris vitæ, scilicet Dei, licitè seipsum occidere, neque proximum etiam consentientem sinè permissione, aut jussione Dei posse interfici.

Collige 2. Si quando membrum nobis amputari permittimus in conservationem totius, id fieri non ex jure, aut dominio, quod habemus in substantiam membri, sed quià custodes, & conservatores corporis à Deo constituti sumus, & prudentis custodis est jacturam partis facere pro conservatione totius.

Collige 3. Quod, ubi aliquid datur hæredibus personæ injustè occisæ, nihil pro vitâ reddatur, sed pro usu tantùm, commodisque ex illo speratis.

Obj. 1. Si quis mihi brachium amputârit, liberum mihi est omnem restitutionem remittere; ergo sum membrorum Dominus.

Resp. *distinguendo antecedens*, liberum mihi est remittere restitutionem brachii secundùm se, *nego antecedens*: quià catenùs soli Deo injuria illata est: liberum mihi est remittere restitutionem istius, quod pro usu brachii, & utilitate, quam ex ipso con-

consequi potuissem, dari deberet, *concedo antecedens*: sed *consequentia* corruit.

Obj. 2. In Matrimonio dicitur mutua fieri translatio Dominii corporum: ergo &c.

Resp. non intelligi dominium *strictè* dictum, quod se ad substantiam corporis extendat, quià aliàs conjuges se mutuo possent occidere; sed dominium *latè* acceptum, prout est jus utendi re aliquâ, ratione cujus nobis injuria fieret, si tertius aliquis usum istius rei sibi vendicaret.

Dico 2. Homo etiam est Dominus suæ famæ.

Prob. Quià famam proprio studio, ac labore acquirit, ablatam proprio nomine, & tanquam suam in judicio repetit, ejusque ablationem, si voluerit sine alterius injuriâ condonat.

Obj. 1. Si quis nobis amputârit membrum aliquod V. G. brachium, possumus istud illi condonare: atqui tamen non sumus membrorum Domini: ergo ex illo capite non habetur, quod dominium famæ nobis competat.

Resp. *distinguendo majorem*, possumus condonare restitutionem brachii secundùm se, *nego majorem*: undè si brachium amputatum posset restitui, tenemur ejus restitutionem admittere, quià Deus corporis nostri Dominus vult, ut illud integrum conservemus. Possumus illi condonare satisfactionem, quam æquum est nobis præstari ratione damni, quod patimur ex amputatione brachii, vel etiam quia privati sumus membri usu, ad quem habebamus jus à Deo concessum, *concedo majorēm*. Porrò restitutionem famæ secundùm se remittere valemus.

Obj. 2. S. *Aug.* l. 1. de Civitate Dei capite 20. dicit; quod sicut per illud præceptum, *non occides* prohibetur occisio sui, & proximi, ità per hoc, *non loquêris*

loquêris falsum Testimonium, non minùs prohibeamur nos infamare, quam proximum.

Resp. nihil indè sequi, quià S. *Augustinus* non dicit quod infamare seipsum prohibeatur tanquam peccatum contrà justitiam, quasi verò nos infamando destrueremus rem alterius dominio subjacentem.

Solùm ergò intendit infamationem suiipsius esse prohibitam, *primò* sub ratione mendacii; quià loquitur de falso Testimonio, quod contrà seipsum perhibetur. *Secundò*, quià spectat ad prodigalitatem, quando fit sine causâ, sicut profusio pecuniæ citrà rationem. *Tertiò*, quià non-numquam indè scandalum proximo obvenire potest.

Obj. 3. Causâ 11. quæst. 3. can. *Non sunt audiendi.* Referuntur verba S. *Aug.* ex libro de bono viduit cap. 22. ubi graviter arguit neglectores propriæ famæ, adjecta hâc ratione: *nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.* Addit ibidem S. *Augustinus*, nobis non sufficere conscientiam coram Deo: & existimationem, quam de nobis formant homines, non solùm impudenter, verùm etiam crudeliter contemni.

Resp. neglectores propriæ famæ ibi non argui, quià justitiam violant, sed quià præbent proximo occasionem scandali, præsertim quando sunt personæ publicæ, V.G. Episcopi, Parochi, & Superiores: vel dum sunt personæ, quæ passim habentur admodum piæ, & sanctæ.

Igitur S. *Pater* solûm vult, quod, cum fama nostra apud alios lædatur, & est periculum, ne alii sumant occasionem committendi crimen, quod nobis falsò imponitur, non possimus propriam famam omninò contemnere, dicentes V.G. sufficit mihi conscientia innocens coram Deo, quià tunc crudeles sumus in proximum, in quantùm ei damus occasionem ruinæ spiritualis.

Obj.

Obj. 4. Ecclesiastici capite 41. v. 15. dicitur: *curam habe de bono nomine*; quæ verba indicare videntur, nos non esse propriæ famæ Dominos, sed tantùm custodes.

Resp. verba citata id non importare, quià ex vero, rectèque alicui diceretur; *curam habe de pecuniâ*, cujus ipse dominium haberet.

Petes 1. *Utrum infamare seipsum absque causâ sit peccatum mortale?*

Resp. quod sit lethale, quando est occasio gravis scandali, vel dum vergit in notabile detrimentum alterius. Ità facilè peccare queunt Superiores, & personæ publicæ; item Religiosi se infamantes, quià infamia eorum redundat in Monasterium

Eâdem ratione peccat mortaliter, qui ad evadenda gravia tormenta, V. G. torturæ, sibi falsum crimen imponit, ex quo mortem sibi à judice decernendam prævidet.

Petes 2. *Si homo non sit vitæ suæ Dominus, quomodo Samson, aliique, qui seipsos occiderunt, à peccato excusantur?*

Resp. quod *Samson* à S. *Augustino* hoc titulo excusetur, quià Deo jubente, & interiùs excitante id fecit. Excusatio illa ad alios facilè transferri potest, quos Ecclesia habet in honore, tametsi se interemerint.

Petes 3. *Quo titulo excusari possint varii Sancti, qui vitam suam per quotidianas mortificationes, & duras corporis castigationes notabiliter abbreviarunt?*

Resp. ex Sanctorum exemplis, & Scripturæ testimoniis carnis mortificationem commendantibus, liquidò constare, quod Deus in istam qualemcumque vitæ abbreviationem consentiat.

CAPUT III.

QUÆSTIO III.

Quæ res aliæ cadant ſub Dominium hominis ?

Dico 1. *Naturalia*, & *Spiritualia bona* non ſubduntur dominio voluntatis, ſed illa à Creatore ad uſum accepit, ut diſertè affirmat S. *Thom.* 1. 2. q. 73. art. 9. ad 2. talia ſunt V. G. Sapientia, Virginitas, &c.

Dico 2. Sano ſenſu dicitur homo habêre dominium actionum liberarum, etiam ſupernaturalium. Ratio eſt, quià illæ ſunt in ejus poteſtate, & liberâ diſpoſitione: undè Deus *Geneſis* 4. v. 7. dicit ad *Cain*, *ſub te erit appetitus tuus*, & *tu dominaberis illius*. Non ità tamen illarum eſt Dominus, quin ſecundùm præſcriptionem legum illam elicere, vel omittere teneatur.

Dico 3. Hæc inferiora, V. G. *aqua*, *aër*, *terra* &c. ſunt objectum dominii humani, juxtà illud Pſalmi 113. v. 25. *Cœlum cœli Domino*, *terram autem dedit filiis hominum*. Et illud *Geneſis* 1. v. 28. *Dominamini piſcibus maris*, & *volatilibus cœli*. Quæ loca juxtà SS. Patres innuunt, quod dominium in hæc inferiora hominibus competat.

Sed & corpora ſuperlunaria non quidem quoad ſubſtantiam, ſed quoad influxus, & commoda ex illis manantia, hominis dominio aliqualiter ſubjiciuntur, quià illa æquè creata ſunt, & data in utilitatem hominum, quam ſublunaria, ideòque homo non magis impediri poteſt à lumine ſolis, quam ab uſu aëris. Sed hoc potiùs jus, quam dominium videtur appellandum.

Dico 4. Etiam bona fortunæ ſubjacent dominio hominis, quià homo de illis licitè, & validè ſuo nomine diſponit, ea alienando, deſtruendo, &c.

Petes

Petes 1. *An Deus singula singulis dominia assignaverit, an verò omnia creaverit communia?*

Resp. verbis S. *Thomæ à Villanova* concione de Sancto *Martino: omnibus communia creavit Altissimus, & hic mundus non est nisi quædam communis hæreditas hominum.*

Petes 2. *Quomodo igitur bonorum communium facta sit divisio?*

Resp. factam esse jure humano; *nam jure humano dicitur hæc domus mea est, hæc villa mea est* &c. inquit S. *August.* tractatu 6. in *Joannem.* Consonat S. *Thomas* loco citato dicens: *Positivo jure appropriata sunt in particulari, & locum habet in populis meum, & tuum.*

Petes 3. *Quâ ratione sit facta rerum divisio?*

Resp. propter cupiditatem, & imperfectionem hominis lapsi, qui primævam communitatem servare non poterat: nam si omnia mansissent communia, plurimorum diligentia in excolendis agris, aliisque operibus evanuisset, & facilè quis ignavus agrum alterius labore excultum invasisset, atque ità communitas illa ignaviæ fomentum, & discordiarum seminarium fuisset. *Per iniquitatem*; igitur ut dicitur causâ 12. quæst. 1. Canone *Dilectissimis. alius hoc suum esse dixit, & alius illud, & sic inter mortales facta divisio est*; non quod iniqua ejusmodi divisio fuerit, sed quod iniquitas hominis lapsi divisioni occasionem dederit.

CAPUT IV.

De modis acquirendi Dominium.

QUÆSTIO I.

Quomodò acquiratur dominium per venationem, vel aucupium?

Notæ, quod *animalia* quædam ex naturâ, & indole ſuâ manſueta ſint, ut *anſeres*, *oves*, *equi* &c. Aliqua verò ex ſuâ naturâ fera ſint, ut *lepores*, *perdices* &c. Nonnulla verò, quamvis naturâ ſuâ fera ſint, humanâ tamen induſtriâ, & educatione cicurantur, ut *cervi*. Alia è converſo ex propriâ indole manſueta in ſylvis efferantur, ut *ſues*, *capræ* &c. Sic in India occidentali equi ex Europa aſportati in montibus, & ſylvis feri fiunt, & venatione capiuntur, ſicut aliæ feræ.

De his omnibus verum eſt, quod quando Domino carent, fiant *primò occupantis*, quemadmodum jura ſtatuunt. Sed quia non ità obvium eſt, quando Domino deſtituta cenſêri debeant,

Reſp. & *Dico* 1. *animalia manſueta*, & *domeſtica*, licet Domini cuſtodiâ egrediantur, perdantur, vel à lupo auferantur, non fiunt primò occupantis.

Ratio eſt, quià animalia illa ſe habent ſicut aliæ res V. G. *liber*, *veſtis* &c. quæ quamvis amittantur, dominio prioris Domini ſubjecta remanent.

Si tamen animalia illa efferentur, unà cum manſuetudine priorem Dominum amittunt. Quando autem cenſeantur fericiem nacta, generali regulâ definiri

finiri nequit ; quià V. G. aviculæ quædam ſtatim atque è caveâ evolârunt, libertati reſtitutæ cenſentur ; *columbæ* verò plus requirunt temporis.

Dico 2. Non acquiritur dominium columbarum, quamdiu retinent conſuetudinem redeundi ad ſuum columbarium. Ratio eſt, quià ſtante hac conſuetudine, cenſentur manêre ſub poteſtate prioris Domini. Hinc

Collige 1. illas illicitè capi, & occidi, etiamſi longè divagentur, quià per hoc non perditur earum dominium: aliàs enim Dominus millies perderet, & recuperaret columbarum dominium, ſi millies ad diſtantiam unius leucæ avolarent, & revolarent. Aliud tamen dicendum eſſet, ſi auceps ex nimiâ diſtantiâ ſolidè judicaret illas vel eſſe ſilveſtres, vel ob victûs penuriam, aliamve cauſam columbarium ſuum deſeruiſſe.

Collige 2. quod non liceat fraude, vel eſcâ allicere *columbas* alienas in ſuum columbarium, & retinêre, ut priſtinam revolandi conſuetudinem amittant; quià Dominus earum jus habet, ne quis eas ſuæ poteſtati ſubtrahat. Quarè qui columbas alienas, ità illexit, tenetur ad reſtitutionem, quemadmodum ille, qui aves alterius caveæ incluſas, ad fugam proritavit.

Licitum tamen eſt proprias *columbas* meliori paſcere alimento, ut fæcundiores fiant, quamvis per accidens hac occaſione columbæ alienæ alliciantur, & ſuum columbarium relinquant ; quià tunc utimur jure noſtro, ſicut etiam faciendo columbarium commodius, ut columbas noſtras ab injuriis temporum protegamus.

Obſervandum tamen, non-numquam columbarum Dominos ſibi invicem artem, induſtriamque, ut dicitur, condonare, ſi mutuas columbas quocumque modo, per ſe tamen non illicito, allicere, &

attrahere possint. Suppositâ virtuali hac conventione, quæ ex communi apprehensione, aliisque circumstantiis colligi debet, clarum est, quod columbas alienas allicientes, & à peccato, & à restitutione immunes sint.

Collige 3. *animalia fera* jam cicurata, & ex vagatione redeuntia, durante hac consuetudine, manêre sub dominio prioris Domini, quamvis ab aliis capiantur. Ratio est, quià pro illo statu se habent, uti *oves*, *boves*, & alia quæcumque animalia domestica.

Dico 3. *animalia Silvestria* semel cicurata, at postea rursùs efferata, dominio prioris Domini excidunt, & fiunt primò occupantis. Ratio est, quià assumptâ rursus feritate nullius potestati moraliter subsunt, donec capiantur. Quarè si capta denuò mansuescant, non redeunt ad priorem Dominum, sed illi cicurantur, à quo ultimò capta sunt.

Sed si animalia *Silvestria* vi, vel fraude è custodiâ in libertatem educta sint, qui ea eduxit, & postea cepit, ad restitutionem obligatur, non quidem titulo rei acceptæ, quià animalium istorum evasit Dominus, sed titulo injustæ damnificationis, quià prior Dominus jus habebat, ut ex possessione, & dominio istorum animalium non deturbaretur.

Dico 4. fera censetur ab illo occupata, qui eam sive per se, sive per suum instrumentum ità sub potestate habet, ut naturalem libertatem, moraliter loquendo, amiserit. Ex quo pro dirigenda Venatorum conscientiâ,

Collige 1 quod si fera poterat evadere manus persequentis, & inciderit in retia alterius, quibus se extricare non possit, non fiat insequentis, sed irretientis; quià antequam reti, vel laqueo innecteretur, nullius fuberat potestati: modò, libertate amissâ, ab illâqueante occupata censetur.

Colli-

Collige 2. feram laqueo intricatam, quæ ſe extricare non poteſt, non fieri extrahentis, ſed eſſe illius, qui laqueum poſuit, quià inter tempus intricationis, & extractionis fera non fuit nacta libertatem, adeòque manet ſub dominio illius, qui eam laqueo cepit.

Collige 3. feram lethaliter vulneratam, ità quidem, ut manus illius, qui vulnus inflixit, evadere nequeat, ipſius eſſe, qui vulneravit, quamvis in laqueum poſteà inciderit, quià inflicto tali vulnere moraliter occupata cenſebatur. Secùs tamen dicendum, ſi fera non obſtante vulnere fugere, & evadere poterat.

Collige 4. feram irretitam quidem, ſed mox evaſuram fieri capientis, quià alterius poteſtati necdum ſubfuit.

Collige 5. piſces fluviatiles nullius Dominio antè ſubjectos, non fieri illius, qui eos aquæ ſtrepitu in naſſam cogit, ſed ejus eſſe, qui naſſam poſuit, quià hic eos occupavit.

Petes 1. *Quando fera, vel avis cenſeatur Domini poteſtatem evaſiſſe, & priſtinam libertatem recuperaſſe?*

Reſp. id prudenti judicio eſſe definiendum. Cæterùm non tam multum requiritur ad conſervationem Dominii quantum ad acquiſitionem, nam ſi avicula inciderit V. G. in caveam apertam, ex quâ liberè poſſet exilire, nondum fit Domini caveæ, quià nondum perdidit libertatem. Sed ſi aviculam diu concluſam habuero, quamvis poſteà caſu, ave id non advertente, cavea pateſcat, manet adhuc mea, quià libertatem necdum recuperavit, & prior captivitas cenſetur adhuc perdurare.

Petes 2. *an feræ ſemper cedant dominio illorum, qui retia ponunt?*

Reſp. *negativè*, ſed requiritur, ut retia eo fine ponan-

ponantur, ut animalia capiantur, quià apprehenſio, quâ dominium animalium acquiritur, debet eſſe humana, & conjuncta animi adminiculo

Petes 3. *an feræ degentes in fundo, vel agro alicujus, ſint Domini fundi?*

Reſp. 1. ſi fundus ille ità clauſus ſit, ut feræ evagari nequeant, & Dominus fundi eas pro ſuo libitu capere poſſit, illius dominio ſubſunt.

Reſp. 2. ſed ſi excurrere valeant, & ſuâ libertate gaudeant, Dominus fundi dominium in eas non habet.

Petes 4. *an qui venatur in fundo alieno, feram ibi captam faciat ſuam?*

Reſp. *affirmativè*: ſi nempè quæſtio intelligatur de feris nativâ ſuâ libertate etiam in fundo alieno gaudentibus.

Nec refert, quod V. G. ſegetes conculcet, aut aliud damnum inferat, quià illud quidem reparare tenetur, ſed non obſtat, quo minùs feram nullius dominio ſubjectam, verè apprehendat, adeòque ſuam faciat.

Quod juri venationis fortè contraveniat, etiam Dominii acquiſitionem non impedit, uti ex ratione jam datâ patet.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo venatio prohibêri poſſit?

Nota, quod venatio, quæ cum armorum ſtrepitu exercetur, ab Eccleſia Clericis prohibeatur. Patet ex *Trid.* ſeſſ. 24. cap. 12. de reformatione, & ex variis Canonibus.

Duplex autem iſtius prohibitionis eſt ratio. *Prima*, ne Clericorum animus à Divinis abſtrahatur, & ad ſeculariа diffluat. *Secunda*, quià clericalem

dedecet

dedecet manſuetudinem beſtiarum occiſionibus occupari. Undè de Secularibus potiſſimùm præſens movetur quæſtio, pro cujus reſolutione ,

Dico 1. Venatio in locis publicis interdici poteſt, quando ex conſenſu Communitatis juri ſuo cedentis alicui jus venationis venditur. Ratio eſt, quià eo ipſo, quò emptor acquirit jus, ut ſolus venetur, in aliis reſultat obligatio, ne juri ejus contraveniant.

Si quis tamen illo caſu feram aliquam venatu apprehenderet, ejus dominium acquireret, cum anteà nullius poteſtati, aut dominio ſubjecta fuerit, quamvis læſæ juſtitiæ reus foret.

Dico 2. *Reſpublica* poteſt jus venationis transferre in Principem, aliiſque venationem prohibêre, ſcilicet loco tributorum, aut in compenſationem meritorum. Ratio eſt, quià *Reſpublica* poteſt dare Principi jus ad vectigalia, eorumque defraudationem vetare; ergo etiam poteſt illi dare jus ad venationem, & eam aliis prohibêre.

Dico 3. Legitimè interdicitur venatio eo tempore, quo per venationem timetur magna ſtrages ferarum, V. G. quando feræ gravidantur, vel nix abundat, quià intereſt boni publici, vel illius, cui jus venationis competit, ne feræ omnes interficiantur, aut notabiliter admodum minuantur.

Porrò prohibitio venationis in bonum publicum, ſeu Communitatis facta, ſolet tantùm eſſe pœnalis, itaut Venator nihil debeat niſi mulctam, quando deprehenditur, niſi fortè damnum Communitati intuliſſet V. G. venando tempore imprægnationis ferarum.

Si autem Venator effecerit, ut feræ notabilter ſint diminutæ, adeòque jam difficulter capiantur, tenetur ad compenſationem, non juxtà valorem ferarum captarum, ſed ſecundùm majorem, vel mino-

rem difficultatem feras in posterum capiendi, quià sub hac ratione tantùm communitati, aut alteri, cui jus venationis competit, damnum illatum est.

Similiter quando in favorem Principis venatio prohibetur, lex tantùm solet esse pœnalis seclusis damnis, quæ per venationem prohibitam inferuntur. Id constare videtur ex communi persuasione, & praxi, quâ Princeps ab illis, qui contrà prohibitionem venati sunt, non exigit nisi pœnam ferâ captâ non multò graviorem. Sat privilegii censetur Principi dari, quod ipse solus impunè possit venari, & pœnale tributum, ab aliis, quando deprehenduntur, exigere.

Dico 4. Non quilibet Dominus fundi potest per se prohibere venationem in suo fundo, quià ex consuetudine immemorabili videntur agri patentes habêre hanc servitutem, ut ab omnibus venatoribus possint pertransiri: dum nihil detrimenti Domino infertur. Per accidens tamen, V. G. ratione damni sibi ex venatione obvenientis, eam interdicere potest, non tanquam sibi propriam, sed veluti rebus suis nocivam.

Petes: *Quid si ex prohibitione venationis feræ ità multiplicentur, ut agros devastent, & grave detrimentum accolis inferant?*

Resp. illum, qui venationem prohibet, per se loquendo ad reparationem damnorum obligari.

QUÆSTIO III.

Quomodo acquiratur Dominium illarum rerum, quæ nullius erant in bonis?

NOta, aliqua nullius in bonis esse, vel quià nullum umquam Dominum habuerunt, ut *gemmæ*, quæ in littore maris reperiuntur, vel quià Dominus

minus ea dereliquit, vel quià diuturnitate temporis desierunt possidêri, ut *Thesauri.*

Dico 1. Bona, quæ à suis Dominis derelicta sunt, fiunt *inventis*, seu *primò occupantis.* Ità decernitur in Institutis titulo de divisione rerum §. ultimo his verbis, *verius esse videtur, si rem pro derelicta à Domino habitam occupaverit quis, statim eum Dominum effici.* Et ratio est, quià eo ipso, quo Dominus rem suam abjicit animo eam deserendi, censetur ejus proprietatem occupanti cedere.

In quibusdam quidem locis hæc bona addicuntur Fisco, verùm id hoc sensu accipiendum est, quod Fiscus solùm habeat potestatem illa exigendi ab eo, qui occupavit, minimè verò, quod occupans antè exactionem ea Fisco tradere teneatur.

Collige, non requiri temporis moram, ut quis bonorum derelictorum proprietatem, & dominium acquirat.

Sed observandum diligenter, quod non quæcumque bonorum abjectio sufficiat, ut Dominus ea deseruisse censeatur, si quis enim metu *naufragii* merces in mare projiciat, earum dominium à se abdicare nequaquam judicatur: hinc naufragorum bona illicitè retinentur, ut constat ex Cap. *Excommunicationi.* de raptoribus. Imò in Bullâ Cœnæ excommunicantur, qui talia bona possident. Quò circà requiritur talis abjectio, ut Dominus unà Dominium à se abdicare velit.

Dico 2. Bona, quæ nullum umquam Dominum habuerunt, ut gemmæ, quæ in littore maris inveniuntur, fiunt inventoris, quià non nisi inventione, & apprehensione alicui appropriari possunt. Eâdem ex causâ feræ fiunt primò occupantis.

Dico 3. Thesaurus seclusâ lege positivâ totus cedit inventori, quià nullius dominio subesse censetur.

Sciendum igitur, quod Thesaurus ità passim definiatur: *vetus depositio pecuniæ, cujus non est memoria, ut jam Dominum non habeat*, ità habetur Leg. *nunquam* ff. de acquirendo rerum dominio. Nomine autem pecuniæ intelliguntur *vasa aurea*, vel *argentea*, *catenæ*, *gemmæ*, & similia.

Dico 4 Circà inventionem thesauri ex legibus positivis judicandum est hoc modo.

Primò, si quis in proprio fundo thesaurum inveniat absque malâ arte, fit totus inventoris. Instit. *de rerum divisione*. § *thesauros*. Si autem malà arte V. G. per magîam reperiat, adjudicatur Fisco, ut colligitur ex lege unicâ Cod. *De thesauris*. Non videtur tamen obligatus, ut thesaurum tradat ante sententiam.

Secundò: si quis in fundo alieno *thesaurum* fortuitò inveniat, medietas una est inventoris, & altera cedit Domino fundi, etiam antè sententiam judicis. Constat ex Institut. de rerum divisione §. *thesaurus*.

Si autem thesaurus ex industriá quæratur, Domino fundi vel invito, vel inscio, inventus Domino fundi totus cedit, ità tamen, ut altera pars ei non debeatur nisi post sententiam, eoquòd inventor suâ parte tantùm privetur propter culpam. Ità habetur lege unicâ Cod. *de thesauris*. Si arte magicâ repertus fuerit, medietas una, quæ alioquin esset Inventoris, debetur Fisco, & altera Domino fundi

Tertiò: si quis in fundo alieno, petitá à Domino facultate, thesaurum quærat, & inveniat, an totum sibi retinêre queat, disputatur. Cæterùm multò probabilius est medietatem Domino fundi cedere perindè acsi thesaurus fortuitò esset inventus, quià Dominus fundi in fossionem consentiendo juri suo cedere nequaquam censetur.

Verùm si inter Dominum fundi, & inventorem. thesauri conventio facta sit, illa servari debebit.

Quar-

Quartò: Thesaurus inventus in loco publico, qui nullius esse censetur quoad proprietatem V. G. in platea effossus, vel in flumine repertus, &c. totus videtur fieri inventoris. Sed si locus ille non tantùm quoad jurisdictionem, sed etiam quoad proprietatem sit *Principis*, aut *Regis*, medietas thesauri sit Domini istius, & medietas altera inventoris. Instit. de rerum divisione §. *thesauros.*

Quintò: thesaurus inventus fortuitò in loco sacro quoad medietatem sit inventoris, quoad medietatem alteram cedit Prælato, vel Ecclesiæ. Si de industriâ quæsitus sit, inscio, vel invito Prælato, totus Prælato, vel Ecclesiæ debetur, una medietas ante sententiam Judicis, & altera post.

Sextò: si quis invenerit thesaurum in fundo cujus ipse dominium directum habet, alter verò utile; unam sibi medietatem tanquam inventor attribuet; aliam verò dividet æqualiter cum altero, quià uterque jus habet titulo dominii in fundum. Hoc tamen non est omninò certum, imò probabilius negatur juxtà Leg. *divortio.* § *si fundus.* ff. de soluto Matrimonio, ubi dicitur, *thesaurum inventum in fundo dotali respectu cujus vir habet usum-fructum non cedere viro, sed uxori, cujus est fundus, quià thesaurus non est fructus fundi.*

Petes: *An sciens in agro alieno latere thesaurum, pretio communi fundum illum licitè emat sine ullâ compensatione thesauri latentis?*

Resp. *affirmativè*, quià cum thesaurus non sit pars fundi, nec fructus ejus, nec ad fundum pertineat, agri æstimationem non afficit, nec ejus valorem auget.

Deindè Dominus nihil nisi agrum vendit, cujus proindè pretium dumtaxat exigere potest.

Quod thesaurum non vendat in aperto est, quià dominium thesauri non habet, utpotè qui in nullius bonis est, quam diu latet. Huic

Huic resolutioni etiam favet, quod Christus *Matthæi* 13. v. 44. ab hoc casu tanquam à re licitâ comparationem sumat dicens: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.*

Dices 1. Non licet à rustico vili pretio emere gemmam pretiosam, quam ipse putat esse vitrum: ergo &c.

Resp. *negando consequentiam*: quià præstantia gemmæ est pars, vel qualitas rei venditæ, adeòque facit illam in se pretiosiorem, quam à rustico putetur: hinc in casu non datur pretium valori, & æstimationi rei venditæ proportionatum, quod æquitati repugnat: in nostro autem casu datur pretium valori rei venditæ, hoc est, agri commensuratum

Præterea rerum pretia communi scientiâ, & judicio taxantur: porrò gemma omnium judicio pluris valet non obstante privato errore istius rustici; ager verò, in quo non scitur latêre thesaurus, communi æstimatione non habetur pluris, quam alter similis fundus, in quo thesaurus non est.

Dices 2. Medietas thesauri inventi debetur Domino fundi, ut antè dictum est: atqui quisquis thesaurum in agro alieno latêre novit, eundem jam invenit: ergo ejus medietatem Domino debet.

Resp. hoc argumentum non nihil habêre difficultatis, sic ut insignis Theologus propterea à nostrâ resolutione recedat.

Cæterùm respondêri potest, notitiam thesauri latentis non esse inventionem plenam, & completam, quâ dominium thesauri partim in inventorem, partim in Dominum fundi ex juris dispositione transfertur. Præter scientiam igitur latentis thesauri aliqua ejus apprehensio, seu occupatio requiritur, ut Dominus agri juris aliquid in ipsum habeat.

Quod

Quod ſimplex illa notitia non ſit inventio, de quâ agunt Jura, ex eo confirmari poſſet, quod ſi Dominus agri fortuitò theſaurum inveniat, & apprehendat, alter nihil de jure prætendere valeat, qui notitiam theſauri latentis anteà habuit.

QUÆSTIO IV.

An bona incerta, id eſt, quorum Dominus ignoratur, occupanti, & poſſidenti cedant?

Dico 1. *Bona incerta* injuſtè acquiſita V. G. *furto* ſublata non tranſeunt in dominium poſſidentis, ſed piis cauſis applicari ex juſtitiâ debent. Hæc reſolutio ex praxi communi, & omnium Theologorum conſenſu certiſſima eſt.

Porrò ratio triplex adferri poteſt. *Prima* eſt, quod iniquitas non debeat furi patrocinari. *Secunda*, quod mens talis Domini præſumatur, quod rem ſuam piis cauſis velit applicari, ſi eam recuperare nequeat. *Tertia*, quod Jura ſic ſtatuant de bonis uſurariè acquiſitis, ut vidêri poteſt Cap. *Cunctis.* de uſuris.

Addi poteſt, quod alioquin daretur anſa liberiùs furandi, & quod fur ſit poſſeſſor malæ fidei reſpectu rei ablatæ, quamvis Dominum ignoret.

Dico 2. Bona incerta fiunt primò occupantis hoc ſenſu, quod ſi occupans Dominum ignoret, factâ diligenti inquiſitione illa in individuo ſibi retinêre, & aliud æquivalens cauſis piis applicare tutò queat. Conſtat ex praxi communi, quæ ſolidâ hac ratione nititur, quod hoc pacto intentioni, & voluntati Domini plenè ſatis fiat, qui ad ſummum cenſetur velle, ut res ſua in æquivalenti pauperibus detur, vel cauſis piis applicetur.

Dico 3. Probabilius eſt, quod bona inventa poſt diligentem Domini inquiſitionem non cedant abſolutè

lutè inventori, ſed in cauſas pias expendi debeant.

Prob. 1. Authoritate D. *Thomæ* 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. dicentis: *ſi ille, cui fieri debet reſtitutio, ſit omninò ignotus, debet homo reſtituere ſecundùm quod poteſt, ſcilicet dando Eleëmoſynam pro ſalute ipſius.* Ubi, licet D. *Thomas* directè agat de bonis injuſtè ablatis, indirectè tamen attingit etiam bona inventa, ut patet ex ratione, quam ſubjicit: *quià homo debet reſtituere quantùm poteſt*; quæ locum habet tam in reſtitutione faciendâ ratione rei acceptæ, quam injuſtæ acceptionis.

Prob. 2. apertis verbis Catechiſmi Romani parte 3. num. 17. *Si rerum inventarum Dominus nullâ ratione inveniri poteſt, illa ſunt bona in uſus pauperum conferenda*

Prob. 3. Autent. unicâ *Omnes peregrini.* Statuitur, *ut ſi peregrini inteſtati deceſſerint, ad hoſpitem nihil deveniat, ſed bona ipſorum per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poſſit, hæredibus tradantur, vel in pias cauſas erogentur.* Porrò de bonis inventis eandem eſſe rationem per ſe patet.

Prob. 4. Quià Dominus, qui bona ſua perdidit, dumtaxat illis renuntiat prout neceſſitas cogit, ità nempè, ut dum corporalem fructum ex illis capere non valet, ſpiritualem ſaltem utilitatem ex illis percipere intendat: ergo dum inventor Dominum rei invenire non valet, eam in pias cauſas ſaltem conditionatè tenetur expendere, quià talis cenſetur eſſe ejus voluntas.

Dico conditionatè, id eſt, ſi Dominus non compareat, ut nempè Dominus poſteà rem ſuam recuperare poſſit, ſi aliquando agnoſcatur.

Obj. 1. Bona inventa, quæ Domino, utpote ignoto, reſtitui non poſſunt, dominio, & poteſtati prioris Domini ſubtracta ſunt, non minùs quam fera per fugam elapſa: atqui talis fera eſt capientis, ſeu occu-

occupantis, nec in pias causas expendi debet: ergo neque bona inventa.

Resp. *negando majorem* : quià aliàs bona injustè occupata, quorum Dominus ignoratur, dominio, & potestati priorum Dominorum subtracta essent, & à furibus retinêri possent, quod nemo admiserit. Quarè dicendum, quod ejusmodi bona deperdita Dominis suis obstricta maneant, donec vel ipsi jus in ea abdicent, vel dominium diuturnitate temporis, & dispositione legum evanescat, ut fit in thesauris.

Obj. 2. Thesauri cedunt dominio inventoris: ergo etiam alia bona inventa.

Resp. *negando consequentiam*, quià thesauri ob temporis diuturnitatem Domino destituuntur, adeoque dum occupantur, non transeunt cum præsumptâ alicujus Domini voluntate; alia verò bona Dominum retinent. Deindè alia de thesauris est juris dispositio.

Obj. 3. Cum *Caramuele*, res perdita, quamdiu manet perdita, humanitùs non est : ergo dum invenitur, incipit humanitùs esse: ergo inventor producit eam humanitùs, quià eam à non esse humanitùs ad esse humanitùs educit: ergo acquirit dominium, quandoquidem rerum dominia per earum productionem comparentur.

Resp. *negando antecedens*, quià aliàs res furto sublata, cujus Dominus ignoratur, desineret esse humanitùs, eoquòd humanitùs non possit redire ad suum Dominum, adeòque furi accederet. Manet ergo res humanitùs, quamdiu potest ab hominibus occupari: & Dominus de re perditâ, si non per se, saltem per inventores disponere potest, quatenùs voluntas ejus, nempè tacita, & interpretativa inventoribus innotescere valet.

Insta-

Resp.

Inſtabis: rem carêre Domino, & Dominum rei ignorari, ſunt idem.

Reſp. *negando antecedens*: ratio diſparitatis ex dictis ſatis elucet.

Obj. 4 Domini rei perditæ ſæpè dicunt ſe libenter ea dare Inventori, præſertim quando multùm effluxit temporis, nec ſpes affulget eam recuperandi.

Reſp. quod longè plures rem piis cauſis velint applicatam, ut nempè ſpiritualem ex eâ utilitatem percipiant. Sanè ſi interrogentur, qui res ſuas amiſerunt, an fructum ſpiritualem ex piâ earum applicatione non cupiant, penè omnes incunctanter reſpondebunt, ſe iſtius voluntatis eſſe.

Adde, quod hoc argumentum etiam probaret, res furto ſublatas, quarum Dominus latet, à furibus tutò retinêri, quià Domini etiam aliquando dicunt ſeſe rem furi dare, quando nullam habent ſpem eam recuperandi.

Petes 1. *Quid ſi Dominus rei compareat poſtquam res eſt data pauperibus*?

Reſp. quod reſtitui debeat, ſi in ſpecie, & ſecundùm ſe exſtet. Si verò conſumpta ſit, & pauperes eam in æquivalenti reddere nequeant, Dominus ſecundùm aliquos id infortunii loco habebit.

Secundùm alios Inventor, ſi rem pauperibus abſolutè dederit, æquivalens Domino reſtituet, quatenùs ipſum damnificavit rem inventam abſolutè pauperibus largiendo, quæ conditionatè ſic dari poterat, & debebat, ut Domino, ſi quando agnoſceretur, reſtitui poſſet. Hi ergo tutiùs arbitrantur rem inventam, vel Xenodochio, vel pauperi Monaſterio tradere eâ conditione, *ut, ſi Dominus compareat, æquivalens illi reſtituatur.*

Petes 2. *An inventor poſſit aliquid petere à Domino rei inventæ pro mercede, vel præmio inventionis*?

Reſp.

Resp. *negativè*: quià inventor tenetur rem totam Domino restituere; ergo omninò gratis, quià rem totam non redderet sed aliquam ejus partem æquivalenter retineret, si quidquam exigeret.

Expensas tamen pro rei inventione factas repetere, si Dominus eas etiam subire debuisset, & gratis oblata accipere potest. Quarè S. *August.* Serm. 178. aliàs 19. de verbis Apostoli cap. 7. laudat pauperem inventorem ducentorum solidorum, quià Domino comparente, compelli debuit ad aliquid accipiendum.

QUÆSTIO V.

Quid Præscriptio, & quæ ad eam requirantur?

Dico 1. Præscriptio, quæ hodiè cum usu-capione ferè confunditur, *est acquisitio dominii, vel juris per continuationem possessionis tempore per legem definito, cum cæteris requisitis.*

Ex hac definitione patet, quod Laici non possint præscribere res spirituales quantolibet tempore eas detineant, quià detentio illa non est possessio.

Liquet etiam, quod Religiosus præscribere nihil queat, cum nihil suo nomine possidere valeat.

Elucet quoque, quod Depositum, Commodatum, Feudum, &c. præscribi non possint.

Vocatur autem *Præscriptio*, quià sic acquirens dominium potest contrà priorem Dominum, si actionem intentet, opponere titulum legitimæ possessionis, quæ oppositio in jure vocatur *Præscriptio*, sive *exceptio adversùs Actorem.*

Dicitur in definitione, *per continuationem possessionis*, quià pacifica possessio, ut præscribat, non potest interrumpi per malam fidem.

Dicitur etiam, *tempore per legem definito*, quià si-

cut

cut acquisitio Dominii non oritur ex ipsâ naturâ possessionis, sed ex vi legis illud de Domino in Dominum transferentis, ità etiam determinatio temporis, quo possessio currere debet, dependet à Legibus.

Dico 2. Ad Præscriptionem requiritur *titulus*, hoc est, *fundamentum*, propter quod possessor prudenter credat, rem, quam possidet, esse suam. Ità statuitur Leg. *nullo justo.* Cod. de rei vendicatione: talis est V. G. *emptio*, quæ valida existimatur, quamvis reverà sit invalida.

Titulus igitur non debet esse verus, sed præsumptus, hoc est, qui prudenter judicatur verus: si enim re ipsa subsit titulus, Præscriptione opus non est.

Verùm quià *titulus præsumptus*, qui ab initio fuit, lapsu temporis memoriâ excidere potest, ideò statutum est, ut *titulus* præsumatur subfuisse, quando est longissima rei possessio. Quarè elapso longo tempore, ultrà ordinarium tempus Præscriptionis, sufficit allegare immemorabilem possessionem, quamvis tituli inchoatæ possessionis non recordemur.

Dico 3. Etiam necessaria est *bona possessoris fides.* Patet ex Cap. *malæ fidei.* de regulis juris in sexto, item ex Capitulo finali de Præscriptionibus. Porrò bona fides est *credulitas*, quâ prudenter quis sibi persuadet, rem, quam possidet, esse suam, & à se ut talem posse retinêri.

Sed observandum, quod *credulitas* non sit prudens, si oriatur ex ignorantiâ crassâ, vel errore circà jus clarum, V. G. si acceperis rem ex contractu usurario, quem putabas validum.

Hæc *Bona fides* debet esse continua, & non interrupta toto requisitæ possessionis tempore: quarè si quis inceperit possessionem bona fide, & posteà resciat rem esse alienam, elapso tempore, non præscribit.

Cæ-

Cæterùm qui poſt inchoatam bonam fidem cognoſcit rem eſſe alienam, per hoc non fit poſſeſſor malæ fidei, niſi habeat animum rem iſtam non obſtante illâ notitiâ contrà conſcientiæ dictamen retinendi.

Dico 4. Ad præſcriptionem etiam requiritur *certum tempus* à lege conſtitutum.

Res mobiles de jure communi præſcribuntur triennio cum titulo, & bonâ fide. Id colligitur ex Leg. 10. Cod. *de uſu-capione*. ut autem præſcribantur ſine titulo, Jus requirit triginta annos, ut eruitur ex Lege 3. Cod. *de præſcriptione*.

Ad præſcribendum bona immobilia privatorum poſtulantur cum titulo anni decem inter præſentes, viginti inter abſentes, ſine titulo triginta anni, ut conſtat ex Leg. *cum longi*. Cod. de præſcriptione. Porrò *Sylveſter*, *Panormitanus*, & *Oſtienſis* docent, bona mobilia cujuſcumque Eccleſiæ non præſcribi triennio.

In rebus autem immobilibus Monaſteriorum quorumdam, & Collegiorum non præſcribitur niſi ſexaginta annis, talia ſunt Monaſteria Ordinis Sancti *Benedicti*, aliaque, quæ eorum privilegia participant.

QUÆSTIO VI.

An dubium ſuperveniens bonam fidem interrumpat?

Caſus eſt hic: Petrus V. G. uno anno rem poſſedit firmiter, id eſt, ſine formidine de oppoſito, judicans illam eſſe ſuam; poſteà verò dubitare incipit, an res non ſit *Pauli*, & adhibito diligenti examine manet ipſi probabile, quod res ſit *Pauli*, quamvis probabilius cenſeat illam eſſe ſuam Quæritur, an *Petro* liceat pergere in poſſeſſione rei, & an elapſo tempore per Leges ſtatuto, accipiat rei domi-

dominium, si res forsitan *Pauli* fuerit ?

Resp. quod bona fides interrumpatur, & *Petro* non liceat pergere in possessione.

Prob. 1. Quià *Petrus* non potest formare in casu tali judicium certum, quod sibi liceat rem totam adhuc retinêre, quandoquidem non habeat certum, quod res sit sua. Undè taliter dubitans jam habet conscientiæ vulnus, adeòque fides ejus non est sana, seu bona; hæc enim quieta sit oportet.

Prob. 2. Quià nec in vim Præscriptionis, hæc enim nondum completa est, nec in vim dispositionis juris, talis enim assignari nequit, nec ex naturâ rei rem totam in casu dubii retinêre potest, ut anteà dictum est: ergo &c.

Prob. 3. Tunc quis bona fide rem possidet, quando prudenter judicat illam esse suam: atqui in casu dubii non judicat prudenter rem esse suam, si tamen judicet: ergo &c.

Prob. minor : quià hoc judicium est expositum periculo erroris; fortè enim non est res ipsius: atqui judicium periculo erroris expositum est imprudens: ergo &c.

Denique, ut quis bonâ fide inchoet possessionem, debet firmiter judicare rem esse suam: ergo etiam id requiritur, ut bonâ fide continuet.

Sanè si quis dubitet de statu gratiæ, & amicitiæ divinæ, non rectè dicitur cum bonâ fide statûs gratiæ accedere ad Sacramentum Eucharistiæ: ergo neque dubitans, an res sua sit, an aliena, bonâ fide ejus possessionem dicitur continuare.

Obj. 1. Quamquam ex naturâ rei Possessori in casu dubii rem totam retinêre non liceat, tamen dispositione juris illa facultas ipsi competit juxtà famosam hanc regulam: *in dubio melior est conditio possidentis.*

Resp. 1. Illam regulam nullibi in jure Canonico tradi

tradi hoc ſenſu (ſi tamen alibi tradatur) quaſi Poſſeſſor dubitans, an res, quam poſſidet, ſit ſua, eam totam retinêre tutò poſſit. Regula juris 65. quidem dicit, *in pari delicto, vel causâ potior eſt conditio poſſidentis*; ſed exempla applicationis hujus regulæ, quæ gloſſa adfert, ſatis oſtendunt, quod ad rem præſentem nullo modo pertineat.

Reſp. 2. Quod conditio poſſidentis melior ſit in foro externo, quatenùs permanente dubio ex poſſeſſione rei deturbari per ſententiam judicis non poteſt. Item hoc ſenſu, quod cæteris paribus major rei portio ipſi debeatur, quià poſſeſſio præſumptionem aliquam in ejus favorem creat, adeò ut propter ipſam, ubi cætera paria ſunt, probabilius fiat rem eſſe ejus. Sed quod ex eo erui nequeat, rem totam à Poſſeſſore retinêri poſſe, manifeſtum eſt.

Obj. 2. Can. *Si virgo.* cauſa 34. quæſt 1. & 2. dicitur ex S. *Auguſtino: in jure prædiorum tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quamdiu ſe poſſidêre ignorat alienum:* atqui dubitans, an res ſit ſua, ignorat eam eſſe alienam: ergo &c.

Prob. minor, quià *ignorare* eſt *non ſcire*: atqui dubitans, an res ſit aliena, non ſcit eſſe alienam: ergo ignorat.

Prob. minor, quià ſcire eſt certâ & evidenti notitiâ tenere.

Reſp. 1. Hæc verba *quamdiu ignorat ſe poſſidêre alienum* ſic eſſe explicandà: *quamdiu prudenter, firmiterque judicat rem eſſe ſuam, ſeu non alienam*; ſicut hæc locutio; *rem juſtè accipit, qui ignorat eam eſſe alienam*, ſecundùm omnes ità exponitur: *rem juſtè accipit, qui prudenter, adeoque firmiter judicat eam eſſe ſuam, vel non eſſe alienam.*

Reſp. 2. Verba Canonis ſic exponi poſſe: *qui rem ignorat, id eſt, qui eam eſſe alienam non cognoſcit, ſive notitiâ certâ, ſive probabili.*

Reſp.

Resp. 3. Quod ridiculum videatur vocabulum *ignorare* in moralibus accipere tam strictè, id est, prout opponitur scientiæ propriè dictæ, & prout idem est, ac non tenêre notitiâ certâ : obvia enim est V. G. hæc locutio: *dignè celebrat, qui ignorat se esse in statu peccati mortalis*; quod si ità accipias, ut ignorantia opponatur scientiæ strictè dictæ, *consequens* erit, eum dignè celebrare, qui de peccato mortali dubius, non præviâ confessione, ad rem divinam peragendam accedit. Similia exempla sunt obvia, in quibus ly *ignorare* in istâ significatione accipi nequit.

Denique ex hoc argumento sequeretur, quod non esset adultera, quæ nuberet viro, de quo dubitat, an non sit alteri conjugatus, quià Canone *Si virgo*. nobis objecto dicitur : *si Virgo nesciens nupserit viro alieno, & hoc semper nesciat, numquam ex hoc erit adultera ; si autem sciat, jam hoc esse incipiet , ex quo cum alio viro fuerit, sicut in jure prædiorum* &c.

Sanè si dubitare sit nescire, talis non erit adultera: quod an ab ullo admittendum sit, nescio.

QUÆSTIO VII.

An , & quomodo Præscriptio transferat Dominium in foro Conscientiæ ?

REsp. & *Dico*, per Præscriptionem transfertur dominium rei in foro conscientiæ.

Prob. 1. Quià constitui potuit propter communem utilitatem, ut Possessor bonæ fidei elapso certo tempore rei possessæ acquireret dominium: porrò id statutum esse constat ex Lege primâ , ubi dicitur introducta usu-capio, *ne diu , & fortè semper incerta essent rerum dominia* ; tum etiam ex Lege tertia ff. de usu-capione , ubi usu-capio dicitur Dominii acquisitio.

Prob.

Prob. 2. Quià ſi Præſcriptio in foro conſcientiæ non transferat dominium, Præſcriptor non poterit tutò rem retinêre, ſed tenebitur Domino reſtituere, quemadmodum ille, qui rem ſibi ſententiâ judicis erroneè adjudicatam novit eſſe alienam: atqui quod tutò & ſecurè eam retinêre queat, conſpicuum apparet: ergo &c.

Prob. minor, quià alioquin Præſcriptio bonæ fidei debuiſſet à jure Canonico improbari, quemadmodum Præſcriptio malæ fidei: hæc enim ideò reprobatur ab Eccleſiâ, quià ſine peccato non poteſt obſervari, ut teſtatur *Innocentius* III. Cap. *Quoniam.* his verbis: *Quoniam omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam Canonica, quam civilis, cum generaliter ſit omni conſtitutioni, & conſuetudini derogandum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari.*

Prob. 3. Quià Eccleſia Præſcriptionem bonæ fidei poſitivè approbat; & adjudicat Abbatibus jura Epiſcopalia titulo præſcriptionis, ut liquet ex Cap. *auditis.* Cap. *olim.* de Præſcriptionibus. Imo Cap. *ad aures.* ad caſum præſcriptionis quadragenalis, quâ una parochia præ alterâ decimas poſſidebat, ſic reſpondetur Epiſcopo Mauritaniæ, *tuæ fraternitati tenore præſentium innoteſcat, quod jure divino, & humano melior eſt conditio poſſidentis, quià quadragenalis præſcriptio omnem prorsùs actionem excludit.*

Denique Cap. *Sanctorum.* ſtatuitur, ut poſſeſſiones quæ per 30. annos poſſeſſæ ſunt, *quietè, & ſincerè abſque ſynodali proclamatione teneantur*, ubi ly *quietè*, & *ſincerè* conſcientiæ tranquillitatem, & ſecuritatem denotare videtur.

Obj. 1 Nemo poteſt re ſuâ privari ſine culpâ: atqui Dominus rei præſcriptæ nullam ſæpè culpam

commisit: ergo vi Præscriptionis non semper transit dominium rei in possessorem.

Resp. *negando majorem*: cujus falsitas satis patet in exáctione, & solutione Vectigalium. Quarè dicendum, quod *Respublica* vi alti Dominii ex causâ legitimâ bona quædam subditis suis adimere valeat. Porrò hæc in nostro casu intervenit ratio, ob quam dominia transferuntur, nempè ut lites eviteutur, & ne dominia rerum alioquin incerta remaneant.

Observandum, quod argumentum istud retorquêri possit hoc modo: uti re suâ, ità neque actione judiciali privari quis potest sine suâ culpá: ergo vi Præscriptionis ne quidem acquiritur exceptio in foro externo contrâ priorem Dominum, quod nemo admiserit.

Instabis: Bono publico satis consultum erit per hoc solùm, quod præscribenti competat exceptio contrà priorem Dominum, & huic rem repetenti denegetur actio in foro externo.

Resp. *negando assumptum*, quià dominia manerent incerta, & non satis obviaretur privatis litibus, etiam exitialibus; quià prior Dominus rem suam, quam viâ juris recuperare non posset, per violentiam aliquandò repeteret. Quarè sicut *respublica* constituit, ut Domini excidant actione judiciali elapso præscriptionis tempore, ut volunt adversarii, ità secundùm nos meritò decrevit, ut jure, & dominio excidant.

Obj. 2. *Alexander* III Cap. *Vigilanti*. de præscriptionibus dicit, quod Legislator propter segnitiem instituerit præscriptionem: ergo supponit, quod sit pœna negligentiæ, quæ culpam necessariò prærequirit.

Resp. loco citato duas assignari rationes, nempè segnitiem, & longi temporis errorem, seu dominiorum confusionem: porrò ratio posterior adhuc militat, quamvis Dominus, contrà quem præscribitur, nihil

nihil negligentiæ commisisse supponatur.

Adde, quod lex non cesset, quamvis finis legis in casu aliquo particulari desinat, ut in Tractatu *de Legibus* ostensum est; ex quo habetur, quod vis præscriptionis non evacuetur in casu speciali, quo Dominus rei præscriptæ negligens non fuit.

Obj. 3. Quando judex rem alicui erroneè adjudicat, sententia in foro interno vim non obtinet, neque ille, in cujus favorem judicatum est, rem licitè retinet, si eam noverit alienam: ergo idem in Præscriptione dicendum.

Resp. *negando consequentiam*: quià Judex non transfert Dominium rei, sed tantùm declarat secundùm allegata, & probata, quid huic, vel isti competat.

Obj. 4. Quamvis lege Ecclesiasticâ statutum sit, ut Regularis prætendens se invalidè professum elapso quinquennio à die professionis non amplius audiatur, si tamen in veritate de Professionis nullitate certus sit, non nisi secundùm externam speciem Religiosus est, & solus habetur talis in foro externo: ergo tempus quinquennii non præscribit contrà talem Religiosum, nisi in foro externo.

Resp. *negando suppositum*, quod hic sit casus Præscriptionis, de quo nos agimus. Sanè Ecclesia efficere non potest, ut reverà Religiosus sit, qui invalidè professus est, quià hic status à voluntate profitentis essentialiter dependet: hinc mirum non est, quod tali Religioso solùm negetur actio in foro externo propter præsumptionem ratificatæ Professionis infrà illud quinquennium, nempè ad vitandam litem, & procurandam quietem in Religionibus.

Obj. 5. Dici potest, quod Præscriptio quidem transferat dominium, sed vinculatum, & quâdam conditione limitatum, ità nempè ut præscribens desinat esse Dominus statim, atque cognoscit rem fuisse alie-

nam, vel sic, ut eam Domino priori reddere ex justitiâ teneatur.

Resp. *negando assumptum*, quià leges transferunt dominium in præscribentem absolutè, & sine restrictione, atquè privilegium restitutionis non nisi certis casibus indulgent.

Deindè frustra alioquin requireretur longus temporis lapsus, quià dominium vinculatum cuilibet possessori bonæ fidei ab initio concedi posset.

Denique quià Capitulo *Sanctorum.* permittitur, ut res præscriptæ *quietè, sincerè, & perpetuò* teneantur, ut antè ostensum est.

Petes: *An sententia jam tradita in praxi omninò tuta sit?*

Resp. eos quidem non arguo, qui eam in praxi tutam autumant, sed si etiam post completum Præscriptionis tempus certus fierem, quod res aliena fuerit, eam totam retinêre nollem, quià non video, undè certitudo eruatur, quod jus in illo casu facultatem istam mihi tribuat, imò tribuere possit, quandoquidem hîc nulla interveniat ratio, cur Dominus re suâ æternùm possit privari.

Non desunt insignes Theologi, qui omnia anteà dicta id solùm evincere arbitrantur, quod Possessori vi Præscriptionis dominium in foro externo competat, nempè quatenùs hoc ad excutiendam Dominorum segnitiem, & tollendam incertitudinem dominiorum coram tribunalibus inservit.

Resolutio Pontificia, utpote sententiam continens judicialem, etiam sic fortè intelligi posset, quod elapso Præscriptionis tempore res perpetuò queat retinêri, ità nempè, ut in foro externo actio contrà ipsum institui non possit.

Si quis petat, cur ergo Jus Canonicum bonæ fidei Præscriptionem non abrogarît?

Respondêri forsan posset, quod id uniuscujusque con-

conſcientiæ relinquendum ducat ob graves rationes.

Si quæſtio agitata alicui anceps appareat, is rem præſcriptam cum Domino priore dividet, quando nempè certus evadit eam fuiſſe alienam.

QUÆSTIO ULTIMA.

Reliqua ad Præſcriptionem pertinentia expediuntur.

PEtes 1. *Quinam in ordine ad præſcriptionem cenſeantur præſentes, & qui abſentes?*

Reſp. Leg. ultimâ Cod. de longi temporis præſcriptione dicuntur *præſentes*, qui in eâdem Provinciâ commorantur, *abſentes* verò qui in diversâ habitant. Sed quià nunc ſingulæ Provinciæ ſingulis Principibus non ſubſunt, ſed civitatibus diverſi Gubernatores, & Magiſtratus præſunt, ſecundùm diverſitatem Territoriorum videtur judicandum.

Petes 2. *Quando præſcriptio cenſetur interrumpi, & quando dormire?*

Reſp. dicitur interrumpi, quando propter impedimentum adveniens V. G malam fidem omninò extinguitur, ac ſi inchoata non fuiſſet.

Dormit verò, quando quidem ceſſat currere in Ordine ad dominium rei transferendum propter impedimentum adveniens, ità tamen, ut illo ceſſante tempus ſubſequens poſſit continuari, & computari cum præcedenti ad integram poſſeſſionem conſtituendam: ſic V. G. præſcriptio adversùs Eccleſiam dormire cenſetur, quando hæc Prælato caret, vel quando Ipſe ratione captivitatis curam Eccleſiæ gerere non poteſt.

Petes 3. *An poſſeſſori bonæ fidei proſit bona fides anteceſſoris, V. G. contingit rem alienam ad te pervenire titulo emptionis: quæritur an præſcriptio incipiat à*

te ſolo; an verò poſſis compittare poſſeſſionem bonæ fidei anteceſſoris, id eſt, illius, qui rem tibi vendidit?

Reſp. probabiliter *affirmativè*, quià anteceſſor ſimul cum re transfert in ſucceſſorem totum jus, quod circà rem illam habebat, cumque poſſeſſione tanti temporis acquiſierit, ut additâ poſſeſſione unius anni, qui deerat, rem præſcriberet, hoc ipſum jus in Succeſſorem transferre videtur, qui proindè poſt unius anni poſſeſſionem rei dominium acquirit.

Confirmari hoc poſſet ex Leg. unicâ de uſu-capione transformanda; ubi vacuum tempus antè hæreditatis aditionem, & nactam poſſeſſionem prodeſt hæredi jam poſſidenti ad complendam præſcriptionem, ut habetur Leg. tertiâ *non qui.* §. *vacuum.* de uſu-capionibus.

Petes 4. *An mala fides anteceſſoris noceat ſucceſſori?*

Reſp. non nocêre ſucceſſori particulari, hoc eſt illi, qui alio titulo, quam hæreditatis ſuccedit.

Ratio eſt, quià mala fides anteceſſoris eſt vitium perſonale, quod non poteſt vitiare bonam fidem ſucceſſoris, nec jus illius extinguere.

De Succeſſore univerſali, hoc eſt, de illo, qui ſuccedit titulo hæreditatis aliter eſt ratiocinandum; quià hæres repræſentat perſonam teſtatoris, ita ut ſuccedat in omnes ejus obligationes. Cum ergo teſtator per malam fidem contraxerit obligationem reſtituendi, hæres cum eodem onere ſuccedit.

Petes 5. *An nemini concedatur reſtitutio in integrum adversùs præſcriptionem jam peractam?*

Reſp. *affirmativè*: quià in primis *Minorennes*, etiam poſt longiſſimam præſcriptionem V. G. 30. annorum, gaudent illo jure reſtitutionis intrà quadriennium poſt finem minorennitatis, hoc eſt, uſque ad annum vigeſimum nonum completum. Ità ſtatuitur Leg. unicâ Codic. adverſus uſu-capionem. Idem privilegium competit Eccleſiæ.

Etiam

Etiam Majoribus quandoque datur exceptio contrà præſcriptionem 10. aut 20. annorum, juſtis nempè de cauſis, ut ſi in publicâ expeditione propter Reipublicæ bonum abfuerint, &c.

Petes ultimo: *An res quælibet poſſit præſcribi?*

Reſp. *negativè*, in primis enim præſcribi nequit exemptio ab obedientiâ Superioris, quamdiù quis manet ſubditus.

Lex per diuturnam conſuetudinem aboleri quidem poteſt, ſed illa abolitio non eſt propriè præſcriptio, cum fiat conſentiente Superiore, ſcilicet viâ conniventiæ, præſcriptio autem peragatur invito Domino.

Deinde præſcribi nequeunt res publicis rebus deputatæ, ut *forum*, *viæ* &c. His aliqui addunt res furtivas, quià §. *furtivæ*. Inſtit. de uſu-capionibus dicitur, quod nemo res furtivas præſcribere poſſit, ſed hoc intelligendum videtur de præſcriptione ordinarii temporis, nam res furtiva præſcribi poteſt longiori tempore, quam 30. annorum, non quidem à fure, qui eam malâ fide poſſedit, ſed ab alio, qui eam bonâ fide acquiſivit.

CAPUT V.

De Injuriâ, & Reſtitutione in Genere.

QUÆSTIO I.

Quid Injuria? Et an volenti poſſit inferri?

REſp. & *Dico* 1. Injuria ſtrictè dicta *eſt juris alieni violatio*, ut V. G. ablatio rei invito Domino.

Nomine *Juris* plerique intelligunt debitum: quià jus ad ipsum debitum per injuriam non eliditur.

Aliqui in definitione addunt particulam *voluntaria*, ita ut sola injuria formalis per eam delineetur.

Dico 2. Scienti, & plenè volenti, ac juri suo cedere valenti, non fit injuria.

Prob. quià non fit injuria nisi jus retinenti: atqui volens V. G. rem suam auferri, jus non retinet: ergo &c.

Prob. minor, quià ille suo consensu abdicat à se jus, quod antè habebat, quemadmodum is, qui bona sua deserit.

Deindè cum jus consistat in voluntate habentis, & ab illâ dependeat, si etiam volenti fieret injuria, deberet habêre duas voluntates contrarias, unam, quâ velit cedere suo juri, cum sit volens, & unam quâ velit retinêre, & sit invitus.

Dixi *plenè volenti*, hoc est, spontaneè, non coactè; hinc si quis metu mortis bursam latroni porrigat, injuriâ afficitur, quià non censetur juri suo cedere. Similiter injuriam patitur, qui solvit usuras: quià vel cogitur; vel si consentiat in solutionem usurarum, non consentit validè, eòquod consensus sit onerosus fundatus in titulo nullo, hoc est, in solo mutuo, de quo posteà latius.

Obj. 1. Juxtà S. *Aug.* l. 4. de Trinitate cap. 13. Christus passus, & mortuus est, non invitus, sed quià voluit, quando voluit, quomodò voluit. Similiter & Martyres opprobria, verbera, & necem volentes sustinuerunt: atqui tamen passi sunt injuriam: ergo &c.

Resp. *negando consequentiam*, quià non hoc sensu pati voluerunt, quasi juri suo renuntiarent, sed injuriam sibi illatam patienter, & sine spiritu privatæ ultionis toleraverunt. Porrò *Christus* peculiari modo volens passus est, quià impiorum manus, quas repellere.

pellere facilè poterat, in se admisit.

Obj. 2. Si quis percutiat Clericum consentientem, incurrit excommunicationem : ergo consentienti fit injuria.

Resp. *negando consequentiam*, non enim incurritur excommunicatio, quià violatur jus Clerici, sed quià læditur jus statûs Clericalis, cui Clericus non potest renuntiare, quemadmodum nec exemptioni à judicio seculari.

Dico 2. Scienti, & volenti, sed juri suo cedere non valenti, fit injuria.

Prob. quià jus alterius violatur, cum de illo sine voluntate Domini disponitur : atqui tunc non intervenit voluntas Domini : ergo &c.

Prob. minor: quià voluntas non valentis suo juri cedere, non est voluntas, & perindè se habet in ordine ad juris effectum, ac si non esset, ut patet in pupillo, qui bona sua invalidè alienat, cui proindè donata omnia restituenda sunt.

Petes : *An conjugi consentienti in commixtionem conjugis cum tertio, vel tertiâ, fiat injuria, ità quidem, ut adulterium committatur ?*

Resp. quod talis actus sit adulterium, omnes modo fatêri debent post censuram propositionis 50. inter 65. sub *Innocentio* XI. condemnatas, quæ sic sonat : *copula cum conjugatâ consentiente marito non est adulterium, adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Verùm quià nonnulli rationem hujus adulterii, malitiamque ex eo petunt, quod adversetur bono conjugii, Sacramenti, & prolis, quamvis interim non fiat injuria conjugi consentienti,

Dico 3. Certum esse, quod tali conjugi, etiam liberrimè consentienti, injuria inferatur.

Prob. quià sicut pupillo interdicta est suorum bonorum administratio, & ideò in eorum ablationem

invalidè consentit, patiturque injuriam, eòquòd res ejus accipiantur absque ejus voluntate validâ, & legitimâ, ità conjugi interdicta est à Deo alienatio juris in corpus conjugis.

Deindè jus radicale, quod vi Matrimonii transfertur in maritum, & è conversò, est ipsa moralis prælatio, quam habet maritus in corpus uxoris, ità ut nemo in illius usu ei possit præferri; quod jus cum divinitùs sit inalienabile, etiam inalienabilis est facultas utendi corpore conjugis, alioquin vel ipsum Matrimonii vinculum solveretur, vel secundum Matrimonium stabiliretur.

Obj. 1. Quilibet potest suo juri pro libitu suo renuntiare.

Resp. 1. hoc argumentum probare, quod vinculum conjugale mutuo conjugum consensu dissolvi queat, quod nemo Catholicorum admiserit.

Resp. 2. jus nostrum humanæ, vel Divinæ legis vinculo ità nobis alligari posse, ut illud abdicare non valeamus. Porrò lege Divinâ sancitum est, ut conjuges jus suum neque abolêre, neque in alium transferre possint.

Obj. 2. Indissolubilitas Matrimonii efficere non potest, ut conjux renuntiare nequeat juri, quod acquisivit ad usum corporis conjugis.

Prob. assumptum, quià conjuges stante jure radicali, in quo Matrimonium situm est, ex mutuâ conventione cedere possunt juri, quod habent ad petitionem debiti, ita ut sine injuriâ debitum petenti denegari possit: ergo &c.

Resp. *negando assumptum*, & consequentiam probationis, quià per istam conventionem jus radicale non aufertur, sed ligatur dumtaxat quantùm ad usum; verùm jus ut conjux non misceatur alteri, est negativum, nec habet usum respectu cujus restringi queat.

Insta-

Instabis: quidni saltem nudam utendi facultatem alteri dare possit, retento sibi jure in corpus conjugis?

Resp. quod sicuti pupillus ne vel simplicem usum facti respectu bonorum suorum, seu facultatem utendi alteri tradere potest, ità neque maritus ejusmodi licentiam validè dare queat, quià sicuti pupillo jure humano, ità marito eatenùs jure naturali, pariter & Divino manus ligatæ sunt.

Nonnulli etiam opponunt, quod S. *Aug.* l. 1. de Sermone Domini in monte cap. 16. referat Historiam, quæ Antiochiæ contigerat, de quâdam muliere, quæ ad redimendam mariti vitam ex ejus consensu copiam sui corporis viro diviti fecerat, nullâ excitata libidine, sed maritali ducta charitate. Et narratione completâ subdit, *non ità respuit hoc sensus humanus, quod in illâ muliere viro jubente commissum est; quemadmodum anteà, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus.*

Resp. S. *Augustin.* ibidem de illo casu nihil determinare; eo enim narrato subjungit: *nihil hinc in aliquam partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit: non enim de Divinis auctoritatibus deprompta Historia est* &c. Quarè solùm indicat se in id inclinari, ut credat facilem à Divinâ misericordiâ veniam tali fœminæ tribuendam, aliterque homines passim judicare de hoc adulterio, quam de aliis ex adulterantis libidine perpetratis. Porrò quæ sit mens S. *Augustini* liquet ex iis, quæ eodem capite præmittit, ubi disertè dicit: *sed tamen utrum quod ait Apostolus,* MULIER NON HABET POTESTATEM SUI CORPORIS, SED VIR, SIMILITER ET VIR NON HABET POTESTATEM SUI CORPORIS, SED MULIER, *possit in tantùm valêre, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum alterâ, quæ nec aliena uxor sit, nec à viro disjuncta, concumbere: sed non ità*

est existimandum, ne hoc etiam fœmina, viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit.

QUÆSTIO II.

Quid restitutio? Et unde ejus obligatio nascatur?

Nota, quod duplex sit justitiæ præceptum, saltem secundùm apparentiam; *primum* non inferendi injuriam; *secundum* eam, si illata sit, non continuandi, sed reparandi per restitutionem, de qua

Dico 1. Restitutio strictè dicta *est reparatio juris violati.*

Vocatur restitutio, quià, qui injuriam passus est, per eam in suo jure pristino quodammodò restituitur, seu reponitur.

Differt à satisfactione latissimè acceptâ, quià hæc comprehendit omnem debiti solutionem, ex quacumque demùm fiat virtute.

Discrepat etiam à satisfactione strictiùs acceptâ pro quâcumque solutione debiti justitiæ, quià qui reddit mutuum, vel depositum tali sensu satisfacit, sed non restituit, quià jus læsum non reparat.

Differt insuper à satisfactione strictissimè sumptâ, prout respicit personam offensam, & importat reparationem injuriæ personalis quoad honorem illatæ, eòquòd restitutio magis spectet restaurationem injuriæ realis, quamvis satisfactionem strictissimam etiam comprehendere soleat.

Petes: *Quomodò per restitutionem injuria reparetur, cum fieri non possit, ut injuria illata non fuerit illata?*

Resp. injuriam hoc sensu reparari, quod pars læsa ità in suo reponatur jure, sicut erat antequam lædere-

læderetur; atque ita, quantùm est ex parte lædentis, præterita injuria aboleatur, ac si non fuisset.

Dico 2. Duæ sunt radices, ex quibus obligatio restitutionis nascitur, scilicet *res accepta*, & *injusta acceptio.*

Obligor ratione *rei acceptæ, quando injustè quidem, sed sine meâ culpâ res alterius ad me devênit:* V. G. si bonâ fide emerim rem furto sublatam à fure. Tunc autem ad restitutionem obligor, quià res aliena apud me existit, nec ullo titulo mea fieri potest. Sanè quod res quælibet suum inclamet Dominum, & ad ipsum redire debeat, lumine naturæ notissimum est.

Obligor autem *titulo injustæ acceptionis, quando sciens, & volens alicui damnum intuli, licet perierit res accepta, vel nullum accipienti emolumentum advenerit.* Quarè *injusta acceptio* hîc capitur latè, pro ut significat quamcumque damnificationem etiam sine utilitate damnificantis. Sic V. G. tenetur ad restitutionem, qui scienter incendit alterius domum citrà ejus consensum.

Nonnulli tertium titulum adjiciunt, scilicet *pactum*; vi cujus, si V. G. emeris equum, & ille tibi furto sublatus, vel mortuus fuerit, tenêris ad solutionem pretii, cum tamen nec adsit radix injustæ acceptionis, nec res accepta existat. Verùm hic titulus magis fundat solutionem, & satisfactionem, quam restitutionem pressiùs acceptam, de quâ hîc agimus. Idem dicendum ad obligationem Commodatarii, & similium.

Petes 1. *An res quomodòcumque existens apud Possessorem fundet titulum rei acceptæ requisitum ad restitutionem?*

Resp. *negativè*, sed requiritur, ut sit accepta actione saltem materialiter injustâ; quià alioquin redditio Depositi esset restitutio.

Petes

Petes 2. *An possit quis obligari titulo rei acceptæ, si res accepta sit destructa?*

Resp. *affirmativè*, modò adhuc extet æquivalenter, V. G. quià ille, qui eam destruxit, factus est ditior: ità si quis emisset equum pecuniâ alienâ, teneretur ratione rei acceptæ æquivalenter extantis, seu ratione equi.

Petes 3. *Uter teneatur ad restitutionem titulo Rei acceptæ, an ille apud quem res extat formaliter, an verò apud quem extat æquivalenter?*

Resp. in simili concursu formalem rei possessorem obligari ante alium.

Petes 4. *An qui tenetur solo titulo rei acceptæ, possit posteà obligari etiam titulo injustæ acceptionis respectu ejusdem?*

Resp. *affirmativè*: sic qui equum alienum bonâ fide emit, ad restitutionem obligatur ratione *rei acceptæ*, & posteà obligabitur titulo injustæ detentionis, si illum Domino, ubi potest, & debet, restituere negligat.

Petes 5. *An hi duo tituli obligent ad restitutionem ex dictamine juris naturæ?*

Resp. *affirmativè*, nam quantùm ad *rem acceptam* jus naturæ dictat, quod nemo possit privatâ authoritate, & sine titulo privari re suâ, & consequenter ubicumque hæc extiterit vel formaliter, vel æquivalenter, inclamat suum Dominum, & non potest cedere in emolumentum alienum sine licentiá illius, cui obstricta est.

Quo ad titulum alterum recta ratio dictat, quod sicuti nullius jus est violandum, ità is, qui læsus est, indemnisari debeat, quià alioquin manet, & moraliter continuatur injuria antè irrogata. Quarè sicut qui rem alienam detinet, continuat furtum, in quantùm relinquit Dominum in suo damno; ità qui domum alterius incendit, &c.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An, & quomodo restitutio sit ad salutem necessaria?

Dico 1. Restitutio in materiâ gravi est ad salutem necessaria necessitate præcepti.

Prob. quià observatio justitiæ, sicut & aliarum legum graviter obligantium est necessaria necessitate præcepti: atqui lex justitiæ non tantùm præcipit, ut non incipiamus jus alterius violare, sed etiam ne continuemus illius violationem: ergo restitutio necessaria est: si quis enim famam, aut pecuniam non restituit, injuriam inchoatam moraliter continuat. Meritò igitur S. *August.* Epist. 153. aliàs 54. ità loquitur: *si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Aliud est, si materia levis sit, quià sicut nemo per furtum V. G. unius assis damnatur, ità neque per neglectum restitutionis ejusdem. Verùm sicut ad remissionem peccati mortalis necessaria est restitutio materiæ gravis, ità ad remissionem culpæ venialis postulatur restitutio materiæ levis, quæ ablata est.

Obj. Lucæ 11. v. 41. postquam Christus Pharisæos de rapinâ reprehendit, subjungit: *verùmtamen quod superest, date Eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis:* ergo sola Eleëmosyna ad eluenda injustitiæ peccata sufficit.

Resp. 1. *Negando consequentiam*: quià dici potest, quod cor Pharisæorum plenum fuerit rapinâ, non quoad effectum, sed solùm quoad affectum: porrò injustitiam solo affectu perpetratam absque restitutione remitti posse, fateor. Hæc interpretatio non abludit à textu, & scopo Christi, tum quià disertè dicit,

cit, *quod autem intùs est vestrum, plenum est rapinâ, & iniquitate*; tum quià arguit Pharisæos, quod exteriora curarent, & interna negligerent.

Resp. 2. Gratis dato, quod Christus Judæos arguat de rapinâ reali, nihil vetat verba ejus sic exponiere: quod supersit, id est, quod factâ restitutione superfluum est ad sustentationem, expendite in Eleëmosynas, ut emundemini à peccato quoad culpam, impetrando vobis donum veræ pœnitentiæ per Eleëmosynas; & quoad pœnam, in quantùm Eleëmosyna est opus satisfactorium coram Deo. Alii hæc verba per ironiam dicta putant.

S. *August.* serm. 106. aliàs 30. de verbis Domini hunc locum explicat de Eleëmosyna spirituali, quam peccator sibi impendit, dum per charitatem, & contritionem ad se, & ad Deum redit, eoquòd Christus arguat Pharisæos, qui in alios se jactabant misericordes cum sibi ipsis essent crudeles. Hinc capite 4. sic ait: *fac Eleëmosynam, miserere animæ tuæ placens Deo. Mendicat ante te anima tua, redi ad conscientiam tuam, quicumque malè vivis, quicumque infideliter vivis, redi ad conscientiam tuam, & ibi invenis mendicantem animam tuam, invenis egentem, invenis pauperem, invenis ærumnosam, &c.*

Dico 2. Restitutio non est ad salutem necessaria necessitate medii.

Prob. quià ignorantia facti omninò invincibilis excusat non restituentem: alioquin à salute excluderetur, qui rem furtivam bonâ fide emisset, & usque ad finem vitæ retinuisset: sed in illis, quæ sunt necessaria necessitate medii nec ignorantia, nec impotentia defectum supplet: ergo &c.

Obj. S. *Aug.* Epist. 153. aliàs 54. absolutè dicit: *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Resp. *negando assumptum*, quià apertè restringit adjungens: *sed, ut dixi, dum restitui potest: plerumque enim*

enim qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse malè vivendo: .....huic certè non possumus dicere; redde, quod abstulisti, nisi cum habêre credimus, & negare.

Obj. 2. Cap. *Ex litteris.* de raptoribus dicitur de hæredibus incendiarii: *hæredes ejus moneas, & compellas, ut eis, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contrà justitiam irrogaverit, juxtà facultates suas condignè satisfaciant, & sic à peccato valeat liberari:* ergo non dimittitur peccatum in casu impotentiæ, in quo constitutus erat defunctus, nisi restituatur ablatum.

Resp. 1. *Negando consequentiam*, quià textus citatus probabiliter est mendosus, & loco *valeat* legi debet *valeant*, ita ut non agatur de liberatione defuncti, sed hæredum, quibus incumbit solvere debita Testatoris, & ità habet editio Gregoriana.

Resp. 2. Quod defunctus dici possit à peccatis liberari per restitutionem ab hæredibus factam, in quantùm restitutio, perindè ac alia opera meritoriè facta impetrant liberationem à pœnâ Purgatorii.

Instabis: Animæ in Purgatorio detentæ non numquam dicuntur apparêre, & restitutionem urgêre, ut eâ peractâ peccati veniam consequantur: ergo &c.

Resp. *negando consequentiam*, quià etiam dici potest, quod restitutio ad relaxationem pœnæ ipsis inserviat. Ejusmodi apparitiones Deus permittere potest ad excitandos viventes, ne restitutionem nimiùm differant, aut negligant.

Obj. 3. Restitutio debet fieri vel in re, vel in voto: ergo ad salutem non minùs requiritur, quam Baptismus respectu adultorum.

Resp. *negando consequentiam*, quià restitutio non est à Deo specialiter requisita tanquam necessarium salutis medium, sed ejus votum dumtaxat postulatur sicut propositum non ampliùs peccandi, còquòd per votum

votum ejuſmodi animus ſit paratus ab injuriâ ceſſare, eamque, dum poterit, reparare.

Petes 1. *An præceptum reſtituendi ſit affirmativum, an negativum?*

Reſp. quamvis ſecundùm apparentiam vocis ſit *affirmativum*, in quantùm præcipit actum poſitivum, in re tamen, ſpectatâ actione, quæ prohibetur, eſt *negativum*.

Ratio eſt, quià ſub iſtâ conſideratione, quando dicitur *reſtitue*, idem eſt, ac ſi diceretur, *ne retineas alienum*, atque ità continetur ſub hoc præcepto negativo: *non furaberis*: quiſquis enim omittit reſtituere rem alterius, æquivalenter, & continuè furatur.

Obj. ſequitur, quod præceptum audiendi Miſſam ſit negativum.

Reſp. *negando conſequentiam*, quià per illud non vetatur actio, ſed actionis omiſſio, quod non ſufficit ad conſtituendum præceptum negativum, aliàs omnia præcepta affirmativa forent negativa, quià eo ipſo quo præcipiunt actum, etiam prohibent actionis omiſſionem.

Petes 2. *An continuè peccet omittens reſtituere, quando poteſt?*

Reſp. *affirmativè*, quià continuè infert injuriam: undè in confeſſione tenetur exprimere, quamdiu reſtitutionem ſine causâ diſtulerit.

Petes 3. *Uter peccet graviùs, qui furatur animo reſtituendi, an qui animo retinendi?*

Reſp. poſteriorem graviùs delinquere propter affectum continuandi injuriam, quo alter caret.

Petes 4. *An peccet mortaliter, qui aufert rem alienam animo ſtatim reſtituendi?*

Reſp. aliquos id negare, quià non cenſetur grave incommodum, quod Dominus re ſuâ exiguo temporis ſpatio privetur, ſecluſis nempè damnis extrinſecis. Alii tamen affirmant, dicentes actionem illam

illam graviter esse injuriosam, præsertim propter periculum retentionis, & difficultatem recuperandi.

QUÆSTIO IV.

Ex quâ culpâ oriatur obligatio restituendi ratione injustæ acceptionis?

Nota 1. Culpam aliam esse juridicam, aliam esse Theologicam.

Culpa Theologica est formale peccatum coram Deo sive mortale, sive veniale:

Culpa Juridica est omissio diligentiæ, & circumspectionis ad vitandum damnum alterius, sive talis omissio sit peccatum, sive non.

Culpa Juridica est quintuplex scilicet *latissima, latior, lata, levis, levissima.*

Latissima est dolus apertus sive manifesta voluntas alteri damnum inferendi. Ut si furem positivè adjuvem ad accipiendam rem alterius.

Latior est dolus præsumptus; ut si scienter non impediam, quo minùs fur rem apud me depositam auferat.

Lata est omissio diligentiæ, quam prudentes ejusdem conditionis homines solent adhibêre; ut si V. G. librum meum tibi commodatum reliqueris extrà cubiculum, vel domum, & ille ablatus sit: si ancilla januam officinæ vesperi claudere neglexerit.

Levis est omissio diligentiæ, quam diligentiores, & prudentiores homines adhibêre solent: ut si librum tibi commodatum posueris quidem in cubiculo clauso, sed non obserato.

Levissima est omissio diligentiæ, quam diligentissimi tantùm adhibent, ut si depositum alterius claudas in arcá, sed omittas explorare, an sera fortè vitiata non sit.

Nota 2. Quæstionem non intelligi de casu, quo

quis

quis tenetur ex officio, vel contractu damnum quovis modo illatum impedire, & resarcire, sed de casu quo culpa, sive Juridica, sive Theologica præcessit. His notatis

Resp. & *Dico* 1. Obligatio restituendi ratione injustæ acceptionis de jure naturæ tantùm nascitur ex culpâ verè Theologicâ.

Dixi *de jure naturæ*, quià si per contractum me obligaverim ad resarciendum damnum alterius quomodocumque illatum; V G. si rem alienam assecuraverim, teneor reparare independenter à *culpâ Theologicâ*, eoquòd unusquisque teneatur servare contractum, quem voluntariè inivit. Insuper jura certis casibus ad restitutionem compellunt, licet nulla culpa Theologica intercesserit.

Prob. assertio, quià omnis obligatio restituendi vel oritur ex *re acceptâ*, vel *ex injustâ acceptione*: atqui seclusâ culpâ Theologicâ non habetur injusta acceptio, nec res accepta, ut supponitur, extat: ergo &c.

Prob. minor: pro primâ parte, quià si damnificatio coram Deo non cedat in culpam, non est injustitia formalis, atque ità damnum non censetur liberè, sed fortuitò illatum, ac si V. G. quis in somno, vel amentiâ ædes alterius incendisset. Sicut ergo pro actibus tantùm *materialiter* malis, qui nobis in culpam non imputantur Deo per contritionem, & pœnitentiam satisfacere non tenemur, ità nec obligamur proximo quidquam præstare pro actu *materialiter* quidem injusto, sed involuntario, & non imputabili. Ex his

Collige 1. Neminem jure naturæ ad restitutionem in conscientiâ obligari, si damnum intulerit tantùm ex culpâ Juridica *levi*, vel *levissimâ*, quià talis culpa non est culpa coram Deo, cum nemo teneatur in conscientiâ cavêre damnum alterius

per

per diligentiam exquisitissimam. Si autem quis prævideriit damnum non obstante communi diligentiâ forsitan secuturum, tunc omissio diligentiæ majoris in culpam latam transit, quandoquidem prudentes prævisо periculo majorem cautionem adhibêre soleant.

Collige 2. Ne quidem culpam *latam*, etiam in materiâ gravi, sufficere, ut quis obligetur in conscientiâ ad restitutionem, si culpa non sit voluntaria coram Deo, V. G. ob inadvertentiam, aut oblivionem inculpabilem, ut si quis V. G. puteum aperuerit in loco publico animo statim claudendi, & ex naturali distractione id fuerit oblitus, ad nihil tenetur, quamvis in illum aliquis inciderit, & læsus fuerit.

Collige 3. Culpam *latam voluntariam* fundare obligationem restitutionis, quià tunc damnum nobis coram Deo imputatur, quandoquidem diligentiam saltem communem in conscientiâ adhibêre debeamus, ut proximi damnificationem caveamus.

Obj. Gregorius IX. Capitulo finali *de injuriis.* dicit, eum non excusari, cujus imperitiâ, vel negligentiâ damnum est datum, sed eum dumtaxat qui ut non accideret de contingentibus nihil omisit; ergo culpa levis videtur sufficere.

Resp. Pontificem loqui de culpâ latâ, quâ aliquid de communiter contingentibus, id est, de illis, quæ communiter adhibentur, omittitur. Porrò culpa *lata* regulariter secum adfert peccatum Theologicum,

Quòd etiam de ignorantiâ culpabili agat, patet ex ejus verbis, quæ ibidem subjungit, *nec ignorantia excusat, si scire debuisti ex facto tuo verò similiter injuriam posse contingere, vel jacturam.*

Instabis ibidem additur; *si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris*, ergo &c.

Resp. quod hæc ibidem addatur conditio, *si quam debue-*

debueras, non curasti diligentiam adhibêre. Ex quo patet iterum de culpâ latá sermonem esse

Dico 2. Omnis culpa Theologica obligat ad restitutionem, quando per illam damnum infertur.

Prob. quià quisquis voluntariè, & culpabiliter alterum damnificat, ex lege justitiæ damnum reparare, proximumque indemnem reddere tenetur, quià injusta damnificatio tam diu continuatur, donec damnum illatum resarciatur. Ex quo

Collige 1. Quod ad restitutionem totius damni teneamur, quando damnum grave actione plenè voluntariâ, & mortaliter peccaminosâ intulimus, quià tunc totum damnum nobis est plenè voluntarium, & imputabile.

Collige 2. Quod non eximatur ab onere restitutionis, qui ex *levi culpâ Theologicâ* grave damnum intulit, non satis advertens ad actionem damnificativam, quià tunc damnificatio est ipsi voluntaria, adeòque damnum est resarciendum ad minùs juxtà proportionem voluntarietatis.

Dices, quando intervenit inadvertentia à peccato mortali excusans, obligatio restituendi ex actione damnificativâ nasci non potest, quemadmodum in contractibus ex consensu non plenè deliberato obligatio non oritur.

Resp. *negando assumptum.* De deliberatione ad contrahendum necessariâ agam posteà. Cæterùm supposito quod ex jure humanæ Societatis plena deliberatio ad ligamen contractuum requiratur, nihil nostræ assertioni adversum habetur, quià in aperto est, quod etiam semiplena deliberatio sufficiat, ut damnum alteri illatum saltem ad peccatum veniale nobis imputetur, & proximo formaliter simus injurioſi.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An grave damnum ex culpâ Theologicâ dumtaxat veniali illatum ex toto sit reparandum?

Dico 1. Opinio negans à multis tenetur, & hoc modo

Prob. non teneor ad restitutionem ratione injustæ acceptionis nisi pro magnitudine formalis injuriæ, cum obligatio restituendi ex injuriâ formali nascatur, adeòque non possit esse major, quam sit hæc injuria: porrò in nostro casu injuria illata *materialiter* quidem gravis, sed *formaliter* levis est, ut supponitur: igitur gravem restituendi obligationem parere non potest: atqui omninò gravem produceret obligationem, si totum damnum resarciri deberet: ergo &c.

Obj. 1. Si totum damnum non debeat reparari, non poterit definiri, quid proximo damnum passo damnificator restituere teneatur.

Resp. *negando assumptum*, & dico, partem aliquam totalis damni esse reparandam ad arbitrium viri prudentis, quæ tamen pars non sit gravis, cum injuria formalis non fuerit gravis.

Instabis 1. Non est ratio, cur obligemur ad partem potius, quam ad totum.

Resp. *negando assumptum*, ratio enim jam data est.

Instabis 2. Actio injuriosa est absolutè voluntaria, adeòque damnum totale non minùs est voluntarium quam partiale.

Resp. damnum totale quidem esse voluntarium, sed non voluntate graviter injuriosâ, saltem si loquamur de injuriâ formali, ideòque totum non esse resarciendum.

Obj. 2. Tenemur reparare damnum culpâ nostrâ illa-

illatum, & nobis coram Deo imputabile: atqui damnum totale in casu culpâ nostrâ illatum, nobisque imputabile est: ergo &c.

Resp. *distinguendo majorem*, tenemur damnum illud reparare, in quantùm nobis imputabile est, & quatenùs actio nostra fuit alteri formaliter injuriosa, *concedo majorem*: aliter *nego majorem*.

Instabis: obligatio restituendi sequitur damnum: atqui hoc est grave: ergo &c.

Resp. *distinguendo majorem*: obligatio restituendi, quæ oritur ex re acceptâ, sequitur damnum, *concedo*: quæ nascitur ex injustâ acceptione, *nego majorem*, quià aliàs teneremur resarcire damnum etiam sine culpâ Theologicâ illatum. Obligatio igitur, quæ ex injustâ acceptione descendit, potiùs sequitur injuriam formalem, quam damnum materialiter consideratum.

Nec refert, quod si quis dissipet rem alienam putans esse suam teneatur ad restitutionem, in quantùm factus est ditior, quià tunc habetur obligatio ratione rei acceptæ, quæ censetur adhuc extare apud consumptorem, si non formaliter, saltem æquivalenter. Porrò aliud est in casu nostro, ubi dammificans non est factus ditior, nec res ullo modo extat apud illum, ut si V. G. ex culpâ merè veniali succenderit ædes alterius, quià tunc non potest esse obligatio nisi ratione injustæ acceptionis.

Non refert etiam, quod si vendiderim mercem vitiosam inculpatè, tenear compensare damnum alterius, quià tunc est obligatio *ex re acceptâ*, quatenùs habeo pretium suprà valorem mercis.

Obj. 3. Sequitur, quod si ex culpâ veniali succenderim insigne palatium, non tenear restituere nisi duos, tresve solidos, quod est ridiculum.

Resp. admittendo *sequelam*, sed negando hoc esse inconveniens, quià non succendi voluntate omninò delibe-

deliberatá, sic saltem, ut intulerim injuriam formalem gravem.

Dico 2. Valdè etiam probabilis est opinio opposita asserens damnificatorem illum justitiæ lege devinctum ad damnum ex æquo resarciendum.

Prob. quià æquitas naturalis postulat, ut personam, cujus jus voluntariè, & culpabiliter læsimus, prorsùs servemus indemnem, sive ut totum damnum à nobis voluntariè, & culpabiliter illatum reparemus: atqui in casu totum damnum voluntariè, & culpabiliter illatum est: ergo &c.

Deindè fundamentum sententiæ oppositæ apparet ruinosum, quià planum videtur, quod gravis obligatio ex culpâ levi oriri queat: qui enim multa minuta aufert, & ex oblivione naturali, vel inadvertentiâ se non reflectit, quod compleatur materia gravis, subindè venialis peccati tantùm reus est, & tamen postea, quando scilicet recordatur, totum damnum sub peccato gravi reparare tenetur. Quamvis totum damnum hîc plenè sit voluntarium, equidem non præcessit nisi culpa levis.

Prætereà si quis alterum cum semiplená deliberatione à gravi excusante in peccatum mortale pertraxit, sub reatu mortifero damnum illatum reparare, id est, hominem lapsum ad pœnitentiam, quatenùs potest, adducere tenetur.

Non nemo etiam hoc utitur argumento, quod ex culpâ veniali nascatur reatus pœnæ purgatorii, seu obligatio ad gravissima Purgatorii tormenta sustinenda: cur enim, inquit, similiter ex eodem peccato obligatio ad gravia damna reparanda enasci nequeat? Sanè peccatum veniale, quod leve dicitur, quià amicitiam cum Deo non rescindit, secundùm se non adeò leve apparet, quin cum obligatione V. G. ad integram domum reædificandam facilè queat comparari, quemadmodum secundùm justum Dei ju-

 judi-

Bayerische Staatsbibliothek

judicium pœnis Purgatorii adeò gravibus non impar eſt.

Obj. 1. Qui vovit rem gravem cum ſemiplenâ deliberatione, ad nihil tenetur: ergo etiam qui grave damnum intulit ex ſimili deliberatione, ad nihil obligatur.

Reſp. *negando conſequentiam*, diſparitas eſt; quod obligatio voti ab acceptatione Dei dependeat, qui promiſſiones ſibi cum deliberatione ſemiplenâ factas, non acceptat, ut hîc ſuppono; obligatio verò reſtitutionis naſcatur ex damno voluntariè illato, & ex naturâ rei. Si quis autem velit Deum ſimilia vota acceptare, per me licet, tunc autem ſic voventem ad voti ſolutionem dicam obſtrictum, quemadmodum damnificator in caſu ad damni totius reparationem obligatur.

Obj. 2. Non tenemur totum damnum, præſertim grave, reparare, niſi illud nobis ſecundùm omnes ſuas partes ſit plenè voluntarium.

Reſp. id gratis aſſumi, & dico ſufficere, quod totum damnum ſit nobis ſimpliciter, & abſolutè voluntarium, ita ut coram Deo in culpam imputetur.

Verum quidem eſt, quod obligatio reſtituendi ex injuriâ formali naſcatur, ſed indè non eſt conſequens, quod magnitudo obligationis injuriæ formali prorsùs æqualis eſſe debeat, quaſi verò ex levi injuriâ formali gravis obligatio oriri nequeat.

Dici enim poteſt, quod obligatio reſtituendi originem ſuam ità deſumat ab injuriâ formali, ut quantitatem, ſeu magnitudinem hauriat à quantitate damni voluntariè, & culpabiliter cauſati, ideòque totaliter reparandi: quemadmodum in ſimili obligatio promiſſionis ex voluntate promittentis proficiſcitur, quamvis magnitudo vel parvitas illius obligationis aliundè, ſcilicet ex re promiſsá debeat deſumi.

Præ-

Prætereà jam dictum est, quod obligatio etiam Regium palatium reædificandi major non sit minimâ injuriâ formali, quæ est propriè dictum peccatum coram Deo, & offensa infinitæ Majestatis Divinæ.

Petes: *An teneatur ad restitutionem, qui alteri nocuit per ignorantiam concomitantem: V. G. qui inimicum suum venando interfecit, putans se occidere feram, quem tamen occidisset, si illum ibi latêre scivisset?*

Resp. *negativè*, quià tale homicidium non est voluntarium, cum non procedat à voluntate istud eligente: voluntas enim tantùm fertur in objectum, prout à potentiâ cognitivâ proponitur, atqui actio illa tantùm cognoscitur ut occisio feræ, & quatenùs est occisio hominis ab homine illo cognosci nequit: ergo &c.

Quod autem inimicum lubens occideret, non facit, ut hîc & nunc per talem actionem occidere intendat.

QUÆSTIO ULTIMA.

Ex quâ culpâ oriatur obligatio restituendi, supposito contractu, vel officio?

Resp. & *Dico* 1. Ex vi officii omnis, & solus ille regulariter tenetur ad restitutionem, cui damnum est imputabile ex culpâ verè Theologicâ, & formali peccato.

Prob. 1. Pars, quià quicumque suscipit Officium, suscipit obligationem justitiæ ad diligentiam, & curam circumspectis, & timoratis ejusdem officii viris communem: cui obligationi, si non satisfaciat, justitiam violat, adeoque restitutionis vinculo innectitur.

Prob. 2. Pars, quià nisi interveniat culpa verè

Theologica, non habetur titulus *injuſtæ acceptionis*, neque damnum alteri propriè imputari poteſt

Ex quo patet ex culpâ levi, & leviſſimá vi officii obligationem reſtitutionis non oriri, ſaltem ordinariè, quià aſſumens officium, ſeſe tantùm obligat ad exercendum munus ſuum diligenter, neque obligationem ad majorem diligentiam, quam communiter adhibêri ſoleat, ſuſcipere cenſetur.

Dixi *ordinariè*, quia quando quis in ſuo officio, vel arte profitetur majorem peritiam, quam habeant cæteri, aut diligentiam, atque ità quempiam avertit ab inquiſitione peritioris, & diligentioris, tenebitur ex *culpâ levi*. Si autem profiteatur ſe peritiſſimum, tenebitur ex *leviſſima*.

Ratio eſt, quià talis cenſetur ſe obligare ad peritiam, diligentiamque majorem communi, vel etiam ad maximam reſpectivè loquendo, ideòque fallit, & eſt cauſa damni alieni, ſi peritia, & diligentia promiſſioni non reſpondeant. Idem eſt de illo, cui datur pinguius ſtipendium, ut præſtet aliquid ampliùs, quam cæteri. Ex dictis

Collige eos, qui non obſtante impotentiâ, vel imperitiâ ſe ingerunt in officia, non tantùm peccare in officii aſſumptione, ſed vel maximè in executione, & ad reſtitutionem, ſeu reparationem damnorum omnium, tam ſpiritualium, quam temporalium obligari.

Hinc *Conſiliarius*, *Advocatus*, *Medicus*, *Paſtor*, *Confeſſarius*, & ſimiles reſtitutionis nexu obſtringuntur, ſi fortè alicui ex ipſorum imperitiâ, vel negligentiâ damnum emergat, utì etiam colligitur ex capitulo finali *de injuriis*, ubi dicitur: *ſi tuâ culpâ datum eſt damnum, vel injuria irrogata, aut hæc imperitiâ tuâ ſeu negligentiâ evenerunt, jure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam verò ſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.*

Peres:

Petes: *An ergo Confessarius teneatur ad restitutionem, qui ex ignorantiâ, seu carentiâ scientiæ debitæ restitutionem injunxit, quando injungenda non erat, vel non imposuit, quando imponi debebat?*

Resp. Resolutionem ab hoc filo pendêre, an Confessarius ex justitiâ, an verò ex solâ charitate ad æquam, dignamque sui muneris administrationem teneatur.

Quod *Pastores* subditos suos in omnibus ad confessionem, & vitæ directionem spectantibus rectè instruere ex Justitiâ obligentur, omninò certum, & evidens est. Alii verò ex hypothesi, quod se pro confessionibus excipiendis exponant, etiam simili obligatione obstricti videntur ad rectè consulendum iis, quorum confessiones audiunt: undè si ex ipsorum ignorantiâ, vel negligentiâ damni aliquid pœnitentibus emergat, illud reparare tenentur.

Dico 2. Ex contractu nasci potest obligatio restitutionis ex culpâ *levi*, vel *levissimâ*, si nempè id velint contrahentes.

Prob. quià ratione assecurationis sæpè quis est obligatus ad reparandum proximi damnum, quod casu fortuito ipsi obvenit: ut si navis plena mercibus vi tempestatis obruta sit: ergò multò magis ex contractu oriri potest obligatio resarciendi damnum, quod ex culpâ nostrâ, nempè Juridicâ *levi*, vel *levissimâ* alteri emergit.

Dico 3. Quidam contractus dantur, vi quorum nascitur obligatio suppositâ culpâ *levi*, vel *levissimâ*. Patet ex Capitulo unico *de Commodato*. ubi dicitur: *cum gratiâ sui tantùm quis habet commodatum, de levissimâ suâ culpâ tenetur.*

Porrò circà obligationem restituendi ex contractu ortam ex Jure servandæ sunt regulæ sequentes.

CAPUT V.

REGULA PRIMA.

Si res alterius in tui ſolius utilitatem ſit tibi commodata, & illa viluerit, aut perierit, tenêris commodanti reſtituere ex culpâ etiam *leviſſimâ*. Liquet ex Capitulo jam citato, & ex Leg. *in rebus*. ff. *commodati*, ubi dicitur: *In rebus commodatis talis diligentia præſtanda eſt, qualem diligentiſſimus paterfamilias ſuis adhibet.*

Adverte excipi *Precarium*, hoc eſt, conceſſionem rei in tui utilitatem ad nutum concedentis revocabilem, vi cujus ſolùm tenêris ex dolo, vel culpâ latâ, uti declarat Lex *optata*. ff. de Precario §. & *generaliter*. ratio diſparitatis eſt diverſitas contractûs; quìà æquum videtur, ut majori diligentiâ cuſtodias Commodatum, quam Precarium, eoquòd proprietarius plus præſtet favoris concedendo uſum non niſi poſt certum tempus revocabilem, ut fit in Commodato, quam dando uſum pro ſuo arbitrio revocabilem, ut fit in Precario.

Excipitur deindè caſus, quo Commodatarius fuit in morâ reſtituendi commodatum tempore definito, ſecluſo ſcilicet conſenſu etiam tacito Proprietarii, quià tunc obligatur, etiamſi res fortuitò pereat, ut habet Capitulum unicum de Commodato. Quod etiam extendendum eſt ad Precarium, ſi Dominus repetierit rem ſuam, & fuerimus in morâ reſtituendi, ut conſtat ex Lege octavâ ff. *de precario*. §. *planè*.

REGULA SECUNDA.

Si res alterius perierit, quam in ſolam Domini utilitatem ex contractu habebas: V. G. ſi depoſitum alterius gratis cuſtodiendum ſuſceperas, non tenêris ad reſtitutionem niſi ex dolo, & culpâ latâ.

RE-

REGULA TERTIA.

Si res alterius, quam ex contractu habebas in utilitatem tuam & Domini, perierit, V. G. si pignus debitoris apud te servatum, furto sublatum sit, si domus à te conducta, & inhabitata incendio interierit, tenêris ad restitutionem ex culpâ *levi*, non autem ex *levissimâ*. Communiter id colligunt ex Instit. titulo *quibus modis contrahatur obligatio* &c. §. *creditur* ubi requiritur exacta diligentia ex parte Creditoris, qui pignus accepit, adjectâ hâc ratione, *quià pro utriusque gratiâ datur*. Porrò diligentia exacta videtur major, quam communis.

Petes 1. *An obligatio regularum jam propositarum insit contractibus illis ex naturâ rei?*

Resp. *negativè*, quià Commodatarius V. G. attento jure naturæ non obligat se ad majorem diligentiam, quam ipse adhibêre soleat in custodiâ rei suæ: undè per omissionem diligentiæ majoris, vel maximæ neque obligationi suæ, neque justitiæ contravenit, adeòque ex naturâ rei restitutionis onere non gravatur. Deindè qui rem tantùm precariò accipit, solùm obligatur ad solicitudinem communem: ergo etiam Commodatarius ad majorem non tenetur. Insuper Commodatarius non intendit se obligare pro casu merè fortuito: quando autem res aliena perit absque culpâ Theologicâ, casu perire censetur.

Petes 2. *An rem alienam commodatam, vel depositam teneamur præferre propriæ, quando utramque salvare non possumus?*

Resp. non nulli existimant, suppositâ æqualitate rerum, alienas esse præponendas, quando quis eas habet merè in utilitatem propriam. Verùm quo id fundamento nitatur, non satis apparet, quià nemo videtur obligatus ad rem alienam cum tanto suo damno custo-

diendam. Et verò durius, ac minus æquum apparet, quod quis permittere deberet omnia ſua bona incendio vaſtari, ad gemmam alienam ſibi commodatam, boniſque iſtis æquivalentem, ſalvandam.

Fatendum tamen, quod Commodatarius debeat rem commodatam præferre rei propriæ, ſi propria ſit reſpectè valdè vilis : ſic V. G. non excuſatur à conſervandâ re alienâ mille aureorum, quamvis ſex aureorum detrimentum timeat, quià ad minùs ſe obligare cenſetur ad damnum aliquod pro conſervatione rei, ſuo uſui, & utilitati conceſſæ, ſuſtinendum.

Cap. *bona fides.* de Depoſito dicitur : *bona fides abeſſe præſumitur, ſi rebus tuis ſalvis exiſtentibus, depoſitas amiſiſti.* Quod ità intelligendum eſt, ut ſolùm inſinuetur, quod in foro externo dolus præſumatur in caſu ſimili, quià plerumque eodem labore, & diligentiâ rem alienam ſervare poſſumus, quo propriam periculo eripuimus.

CA-

CAPUT VI.

De Injuriâ, & Restitutione

RATIONE

Homicidii, & Mutilationis.

QUÆSTIO I.

Quæ occisio prohibeatur præcepto Non occides?

Nota, certissimum esse contrà superstitiosum Manichæorum dogma, quod præceptum *Non occides* minimè extendatur ad occisionem brutorum, vel fructuum, ut constat ex universalis Ecclesiæ sensu, quià *justissima ordinatione Creatoris & vita, & mors eorum nostris usibus subditur*, ut ait S. *Aug.* l. 1. de civitate Dei cap. 20. undè restat, ut de homine intelligamus, quod dictum est, *Non occides.* Deindè non nulli advertunt in textu Hæbraico legi *Non homicides*, loco *Non occides.*

Quæritur ergo, de quâ hominis occisione præceptum istud intelligendum sit?

Resp. & *Dico* 1. Non quæcumque hominis occisio est homicidium vetitum præcepto *Non occides.*

Prob. quià occisio hoc præcepto vetita est per se, &, ut loquitur S. *Aug.* l. de mendacio cap. 13, *omnimodò* mala, ità quidem, ut nullo fine bono possit fieri bona, sicut nec mendacium: atqui non quæcumque occisio hominis est per se, & omnimodò mala, ut patet in interfectionibus licitis, quæ fiunt V. G. à milite, à lictore &c.

Prob. major: ex S. *Aug.* lib. 1. de civitate Dei cap. 21. dicente: *nequaquam contrà hoc præceptum fecerunt, qui Deo authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundùm ejus leges, hoc est, justissimæ rationis imperium sceleratos morte punierunt: & Abraham non solùm non est culpatus crudelitatis crimine, verùm etiam laudatus est nomine pietatis, quòd voluit filium, non sceleratè, sed obedienter occidere*: ergo &c.

Dico 2. Omnis, & sola hominis occisio, quæ fit invito Deo vitæ nostræ Domino, est homicidium vetitum præcepto *Non occides.*

Prob. 1. Pars: quià occisio hâc lege vetita, est per se, & omnimodò mala: atqui talis est omnis occisio hominis, quæ fit invito vitæ Domino: ergo &c.

Prob. minor, quià talis occisio repugnat juri alterius, penes quem est vitæ nostræ dominium, quemadmodum V. G. destructio domûs alienæ invito Domino facta, & juri ipsius, & æquitati naturali adversatur.

Prob. 2. Pars: quià supposito consensu authoris vitæ nulla in homicidio apparet injustitia: si enim V. G. domum alterius, pecuniam, aut aliam rem quamcumque ex consensu Domini citrà injustitiæ periculum destruam, quidni & vitam, consentiente Deo ejusdem Domino salvâ justitiâ destruere possim?

Sola ergo occisio, quæ fit invito Domino, vel, ut loquitur S. *Augustinus*, privatâ authoritate repugnat præcepto *Non occides.* hinc S. *Augustinus* omnes illos à crimine homicidii excusat, qui vel ex divinâ jussione, vel permissione se, vel alios occiderunt. Id liquet ex lib. 1. de Civitate cap. 20. & 21. ubi sic ait: *quasdam verò exceptiones divina fecit authoritas. Sed his exceptis, quos Deus occidi jubet*

bet sive datâ lege, sive ad personam pro tempore expressâ jussione, (vel etiam permittit) *quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Porrò varias inter exceptiones addit: *Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit nisi quod latenter spiritus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* & l. 22. contrâ Faustum cap. 73. *Abraham si filium sponte immolaret, quid nisi horribilis, & insanus? Deo autem jubente, quid nisi fidelis, & devotus apparuit?* Ex his

Collige 1. Quod sicut non omnis usurpatio rei alienæ præcepto *non furaberis*, prohibetur, sed ea dumtaxat, quæ fit invito Domino; ità præcepto *non occides* non vetetur quæcumque occisio hominis, sed ea tantùm, quæ fit sine consensu illius, qui dicit Deuteron. 32. *ego occidam, & ego vivere faciam.*

Collige 2. Ad Scripturæ, & Ecclesiæ authoritatem potissimùm esse recurrendum, ut sciatur utrum occisio aliqua à Deo permittatur. Soli hîc rationi insistere periculosum.

Collige 3. Cum non liceat hominem occidere vel volentem, homicidii malitiam non consistere in violatione juris humani, sed divini, cui vita nostra subdita est, quod etiam tradit S. *Th.* 2. 2. q. 64. art. 5. in Corp. & ad 1. asserens, homicidium non tantùm charitati repugnare, sed etiam justitiæ contrà dominatum Creatoris, imò & contrà jus hominis, quod habet ad vitæ usum, quando illo invitus privatur.

Collige 4. Quod ne vel Deus in homicidio, strictè loquendo, valeat dispensare, sive efficere, ut manente materiâ homicidii, quis hominem sine peccato homicidii perimat: materia enim homicidii est interfectio hominis invito vitæ Domino: Deus autem non potest efficere, ut quis licitè, & justè destruat rem alterius, Domino rationabiliter invito.

Exceptiones igitur, quas S. *Augustinus* Divinâ authoritate hîc factas dicit, sunt tantùm dispensationes impropriè dictæ, consistentes in mutatione materiæ, de quo vide tractatum de Legibus.

Petes 1. *An requiratur dominii vitæ translatio in occidentem, ut occisio licita sit* ?

Resp. *negativè* : quià ut quis licitè rem alterius usurpet, aut destruat, non indiget ejus dominio, sed sola licentia Domini sufficit, ut patet in famulo ex consensu Domini Eleëmosynam largiente: ergo ut quis licitè vitam alterius destruat sola jussio, vel permissio Dei citrà translationem dominii vitæ satis momenti habet.

Petes 2. *An jussio Dei necessaria sit, ut occidens à reatu homicidii sit immunis* ?

Resp. *negativè*, sed solam permissionem sufficere, ut liquet ex dictis.

Dices, S. *August.* lib. 1. de civitate cap. 21. dicit tunc solùm occisionem reatu, & culpâ vacuam, dum *lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter* aliquem *occidi jubet.*

Resp. quod S. *Augustinus* passim disjunctivè loquatur, ut vel *jussionem*, vel *permissionem* requirat.

Libro jam citato cap. 20. sui ipsius occisionem illicitam tradit, quià nusquam nobis divinitùs præceptum, permissumve reperitur, ut nobisipsis vitam adimamus. Et libro 22. contrà Faustum cap. 70. in illud *Matthæi* 26. *qui gladio usus fuerit, gladio peribit*, ità scribit: *ille gladio utitur, qui nullâ superiore, vel legitimâ potestate jubente, vel concedente in sanguinem alicujus armatur.*

Quarè dicendum, quod S. Pater loco objecto ly *jubet* adeò generaliter sumat, ut & permissionem involvat. Et sanè ad nudam etiam permissionem S. *Aug.* recurrit evidenter lib. 1. de Civ. Dei cap. 20.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An liceat ſeipſum occidere, vel mutilare ?

REſp. & *Dico* 1. Non licet occidere ſeipſum, vel mutilare ſine conſenſu Dei.

Prob. quià vitæ noſtræ, & membrorum dominium Deo peculiariter reſervatur : ergo ſine ejus conſenſu, vel permiſſione illicitè deſtruuntur : quiſquis enim rem alterius citrà ejus conſenſum deſtruit, violatæ juſtitiæ reus eſt.

Dices, S. *Apollonia* ſeſe in ignem injecit, & Virgines plurimæ ſeſe in flumina præcipitarunt ſervandæ caſtitatis causá. Samſon quoque ſeipſum ruinâ domûs oppreſſit.

Reſp. S. *Apolloniam* inſtinctu Spiritûs Sancti in flammas ſibi paratas irruiſſe : idem dicendum de Virginibus, quas Eccleſia veneratur, quod nempè inſpirante Deo ſe in flumina præcipitarint. Quod Sanctus *Auguſtinus Samſonem* inſtinctu divino ſeipſum peremiſſe cenſeat, præcedenti quæſtione oſtenſum eſt.

Dico 2. Nullibi Deus permiſit, ut nos ipſos perimamus, ne in manus hoſtium incidamus

Prob. ex S. *Aug.* lib. 1. de Civit. Dei cap. 20. ità loquente : *Neque fruſtra in ſacris, Canonicique libris nuſquam nobis præceptum divinitùs, permiſſumve reperiri poteſt, ut vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis, vel ullius cavendi, carendive mali causâ, nobiſmetipſis necem inferamus.*

Deindè nulla traditio, aliave authoritas ſufficiens talis conceſſionis argumentum ſubminiſtrat.

Obj. multi ſeipſos occiderunt, ne in manus hoſtium devenirent

Reſp. cum D. *Aug.* lib. 1. de civitate Dei cap. 22.

22. *Non modò quærimus, utrum factum sit, sed utrum fuerit faciendum : sana quippe ratio exemplis anteponenda est. Deindè hoc non fecerunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli* &c.

Dico 2. Neque seipsum occidere licet vitandi stupri causâ.

Prob. ratione S. *Aug.* ibidem cap. 17. & 18. *Cur homo, qui mali nihil fecit, sibi malè faciat, & seipsum interficiendo, hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem, atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum?.... At enim ne vel aliena libido polluat, metuitur? Non polluet, si aliena erit, si autem polluet, aliena non erit.* Hinc S. Pater cap. 19 rectè damnat Lucretiam, quæ post violentam stuprationem sibi necem intulit.

Adde, quod nullibi ejusmodi occisio à Deo permissa legatur.

Dices, causa 25. quæstione 5. Can. *non est nostrum.* ex D. *Hieronymo* dicitur : *in persecutionibus non licet propriâ interire manu, absque eo ubi castitas periclitatur :* ergo supponitur, quod manu propriâ perire liceat, quando castitas in discrimine versatur.

Resp. non nullos particulam *absque* accipere non exclusivè, sed inclusivè sicut sumitur Canticorum quarto : *quam pulchra es amica mea absque eo, quod intrinsecùs latet*, ubi citra dubium interiora sponsæ ut pariter pulchra laudantur. Sensus ergo est: non licet propriâ perire manu, etiam quando castitas periclitatur.

Alii dicunt, S. *Hieronymum* hanc expositionem ponere, ne videretur reprehendere SS. Mulieres, quæ conservandæ pudicitiæ causâ se divino instinctu peremêrunt.

Cæterùm obscuro S. *Hieronymi* testimonio præponenda est manifesta S. P. *Augustini* authoritas.

Di-

Dico 4. Non licet ſibi ipſi vitam eripere ad evitandum peccatum proprium.

Prob quià licet malum peccati ſit multo majus morte, voluntas tamen ei dominatur, & non peccat niſi volens.

Deindè ſi hoc voluerimus admittere, quod vitandi peccati causâ ſe liceat occidere, eò uſque perveniemus, quemadmodum obſervat S. *Aug.* lib. 1. de civitate Dei cap. 27. ut *hortandi ſint homines tunc ſe potiùs interimere, cum lavacro Sacræ Regenerationis abluti, univerſorum acceperunt remiſſionem peccatorum. Tunc enim tempus eſt cavendi omnia futura peccata, cum omnia ſunt deleta præterita. Quod ſi morte ſpontaneâ rectè fit, cur non tunc potiſſimùm fit? Cur Baptizatus ſibi quiſque parcit? Cur liberatum caput tunc rursùs hujus vitæ periculis inſerit, cum ſit facillimæ poteſtatis illatâ ſibi nece omnia devitare?.... cur ergò amantur tot & tanta pericula, vel certè etiamſi non amantur, ſuſcipiuntur, cum manet in vitâ, cui abſcedere licitum eſt?.....porrò ſi quiſquis hoc aggrediendum & ſuadendum putat, non dico, deſipit, ſed inſanit.* Deus ergo vult, ut defenſione voluntatis, non occiſione corporis peccata evitemus.

Collige 1. Quod etiam non liceat mutilare membra, quibus quis ad peccandum proritatur.

Collige 2. Quod mortaliter peccent, qui ſeſe caſtrant ob vocis ſuavitatem ad placendum Regibus, aut lucrum conquirendum.

Obj. 1. *Marcus* anachoreta pollicem ſibi præſcidit, ne ſacris initiaretur.

Reſp. quod *Marcus* iſte vel divino id inſtinctu fecerit, vel zelo indiſcreto peccaverit.

Obj. 2. Illud *Matthæi* 18. v. 8. *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & projice abs te.*

Reſp. quod locus iſte non ad litteram de membris

bris corporis sit accipiendus, sed loco illo tantùm significetur peccandi occasiones esse amputandas, illosque omninò deserendos, qui nos in peccatum pertrahunt, quamvis carnis cognatione, vel familiaritate nobis conjuncti sint, & tam chari, utilesque ac oculi, pedes, aut alia corporis membra. Ità hunc locum exponit S. *August.* lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 3.

Obj. 3. *Eleazarus* lib. 1. *Machab.* cap. 6. volens liberare populum, & acquirere sibi nomen æternum, seipsum Elephanti, cui Regem exercitûs hostilis insidêre arbitrabatur, supposuit, eumque sic occidit, ut & ipse à cadente bestiâ oppressus interierit.

Resp. factum istud à quibusdam quidem laudari, ab aliis verò vituperari. S. *Gregor.* l. 19. Moralium cap. 13. *Eleazarum* vocat arrogantem. S. *Ambros.* l. 1. Officiorum cap. 40. illum excusat. Et reverà facilè excusari potest, eoquòd seipsum justâ ex causâ tantùm periculo mortis exposuerit, sperans, quod Elephas læsus in alteram partem cecidisset, vel ipse sibi fugâ consulere potuisset, priusquam laberetur.

Historia, quam refert *Caramuel* de aliquo, qui post mortem propriâ sibi manu illatam miracula patravit, vel fabulis accensêri debet, vel dicendum est ea, quæ ut miraculosa narrantur, ex causis naturalibus non ex meritis istius occisi provenisse, quemadmodum sanè provenire potuerunt.

QUÆSTIO III.

An liceat seipsum occidere ad evadendam mortem acerbiorem?

REsp. *negativè*, hinc mortiferè delinqueret, qui in navi, vel turri ardenti constitutus gladio se confoderet.

Prob. quià innocentem propriá authoritate occidere eſt intrinſecè, & per ſe malum, adeòque nullo fine bono honeſtari poteſt.

Inſuper id præcepto divino è diametro adverſatur, quià *Exodi* 23. v. 7. expreſsè dicitur: *inſontem, & juſtum non occides.*

Denique diſertè id tradit S. *Auguſtinus* loco antè citato dicens: *quod nullius mali carendi, cavendive causâ ſeipſum interimere liceat.*

Obj. 1. Nemo vitam cum tanto incommodo conſervare tenetur.

Reſp. quod in caſu noſtro non tantùm non conſervaret, ſed etiam poſitivè deſtrueret, quod ſine conſenſu Dei illicitè fit.

Inſtabis: vita mox peritura nullius videtur momenti, & Deus reſpectu deſtructionis ejuſdem non videtur invitus: ergo &c.

Prob. antecedens, equus ſtatim moriturus, domus illicò deſtruenda, &c. nullius habentur æſtimationis: ergo &c.

Reſp. *negando antecedens*, ad probationem dico, quod valor equi, domûs, rerumque ſimilium petatur à commodo, ſeu utilitate quam adferunt in uſibus humanis, & Dominus earum catenùs dumtaxat ſit invitus, quatenùs ex earum deſtructione damnum patitur, quod reſpectu vitæ humanæ locum non habet, quandoquidem Deus ejus Dominus nihil ex eâ reportet commodi, ejuſque æſtimatio ab extrinſecâ utilitate nequaquam dependeat.

Sanè hoc argumentum etiam evinceret, quod infirmum ſtatim moriturum jugulare liceat.

Obj. 2. Omnibus à naturâ conceſſum eſt acerbitatem mortis quâ datâ viâ effugere.

Reſp. *negando aſſumptum*, mediis enim per ſe malis V. G. mendacio, adulterio &c. in iſtum finem uti non licet, quemadmodum nec occiſione ſuiipſius ob rationes antè allatas. *Inſta-*

Inſtabis, talis non intendit ſeipſum occidere, ſed mortis gravioris tormentum dumtaxat evadere: ergo &c.

Reſp. *diſtinguendo antecedens*, non intendit ſe occidere expreſsè, & per ſe, *tranſeat*; non intendit implicitè, & per modum medii *nego antecedens*. Sanè qui mentiretur ad evadendam mortem, malitiam mendacii implicitè, & interpretativè vellet: ergo ſimiliter.

Collige 1. Quod non liceat propriam incendere navim, aut ſeipſum in fluctus maris præcipitare, ne ab hoſtibus crudeliter trucidemur, niſi fortè ſpes affulgeat éx navis incendio, & pelago evadendi.

Collige 2. Quod miles illicitè pulverem tormentarium loco, in quo hoſtis eſt, ſuppoſitum incendat, ſi omninò certum ſit illum unà cum hoſtibus periturum. Verùm quando ſpes eſt mortem evadendi, pulverem incendere, ex turri incensâ ſe præcipitare omninò licet, quandoquidem juſtâ ex causâ periculo mortis ſe exponere fas ſit.

Collige 3. Quod non liceat innocentem occidere, quamvis aliter invaſorem vitæ noſtræ non poſſemus evadere.

Collige 4. Quod nefas ſit Pharmacum directè ad abortum tendens ſumere, quamvis mors aliter propulſari nequeat. Id intellige de abortu non tantùm fœtus animati, ſed etiam inanimati. *Nobis*, inquit *Tertullianus* in Apologetico cap. 9. *homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet: homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci.* Sanè præterquam quod procuratio abortûs evertat naturalem conceptionis finem, eſt injurioſa authori vitæ; ſicut æqualis penè injuria eſt impedire quò minùs ager proximi fructus proferat, & jam productos ipſo invito deſtruere.

Unde S. *Aug* ſerm. 292. alias 244. de tempore

sic ait: *quæcumque mulier fecerit hoc, per quod non possit jam concipere, quantoscumque parere poterat, tantorum homicidiorum se esse ream cognoscat.* Hac de re videri potest S. *Hieronym.* Epist. 22. ad Eustochium cap. 5.

Dixi *directè tendens ad abortum*, quià si medicina directè tantùm respiciat curationem morbi lethalis, licitè accipitur, quamvis per accidens aliquid periculi concepto fœtui indè obveniat, quià tunc mater jure suo uti videtur, & si quid nocumenti fœtui nascatur, id præter ejus intentionem evenire censetur. Non nullæ tamen hîc circumstantiæ attendi debent.

Collige ultimò, quod absque urgente, & gravi causâ seipsum periculo mortis objicere non liceat, quemadmodum justitiæ repugnat rem proximi V G. domum sine ejus consensu discrimini exponere. Sanè sicut Deus nobis vitæ usum tradidit, ità ejusdem custodiam nobis commisit.

QUÆSTIO IV.

An pro salute corporali, vel spirituali proximi seipsum liceat interimere?

REsp. *negativè*, quià uti ex S. *Augustino* antè audivimus, *nusquam nobis permissum reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi, cavendique mali causâ nobisipsis necem inferamus.* Hinc

Collige 1. Quod in extremâ necessitate constitutus illicitè panem proximo eâdem necessitate laboranti cedat, si certò sciat, se fame moriturum.

Collige 2. Quod telo, vel gladio se objicere non liceat, ne Princeps, vel amicus feriatur, si nempè ictus cognoscatur lethalis.

Collige 3. Quod nefas sit se judici offerre ad mortem

tem pro amico juſtè, ſive injuſtè condemnato ſubeundam. Ex quo patet, quod neque liceat ſeſe pro morte alterius obſidem conſtituere.

Nec refert, quod S. *Greg.* l. 3. Dialogorum laudet S. *Sanctulum*, quià ſeſe obſidem dederat pro Diacono, quem *Longobardi* occidere parabant, quià illum ex inſtinctu Spiritûs Sancti id feciſſe exiſtimavit, ut patet ex his ejus verbis: *penſa, ſi potes, quis ille Spiritus fuerit, qui ejus tam ſimplicem mentem tenuit, atque in tanto virtutis culmine erexit.*

Collige 4. Quod non liceat nautæ, vel militi peſte correpto deſilire in mare, ne alios inficiat.

Collige 5. Quod Matris etiam conſentientis uterum ſecare non liceat ad extrahendum, & baptizandum infantem, ſi illa ex vulnere certò moritura prævideatur. Secùs dicendum, ſi ſpes aliqua affulgeat, quod Mater non extinguetur.

Collige 6. Quod nefas ſit ſeſe in puteum, vel flumen præcipitare ad Baptizandum infantem alioquin ſine Baptiſmo moriturum, niſi fortè ſpes aliqua enatandi, vel evadendi adſit. Ex quo patet, quod etiam puer agnonizans illicitè in puteum projiciatur cum ſolitâ Baptiſmi formâ *ego te Baptizo &c.* quamvis ob defectum aquæ alioquin ſine Baptiſmo mori deberet.

Obj. 1. *Joannis* 15. v. 13. dicitur: *majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et 1. *Joannis* 3. *v.* 16. *in hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro Fratribus animas ponere:* ergo &c.

Reſp *negando conſequentiam*, quià jam citatis Scripturæ ſententiis tantùm ſignificatur, quod ex lege charitatis mortem aliundè inferendam pro Fratribus patienter ſuſcipere, & libenter ſubirè nonnumquam teneamur: ſic enim animas ponere jubemur, ſicut Chriſtus poſuit; porrò Chriſtus ſeipſum non occidit,

ſed

sed se occidi dumtaxat permisit: igitur & nos ad aliud non obligamur.

Si quis aliter textus allatos intelligere vellet, is admittere teneretur, quod licitè gladio me confoderem, quando Tyrannus aliquis aliter permittere nollet, ut puer morti vicinus Baptizaretur.

Obj. 2. Rem alterius destruere licet, quando id cedit in ejus commodum, quià tunc negotium ipsius utiliter geritur, adeòque præsumitur consentire: ergo ob salutem pueri alioquin sine baptismo morituri seipsum licet interficere, quià jactura vitæ in magnum Dei honorem cedit, eoquòd anima puéri Deum in æternum glorificabit, & laudabit.

Resp. quod Deus in rigore nihil commodi ex operibus nostris reportet, saltem quo indigeat, vel quod aliter obtinêre nequeat. Quod puer ille actione meâ salvetur, non Deo, sed ipsi utile, ac commodum censêri debet.

Deinde ad summum verum est rem alterius posse destrui in commodum Domini, quando non constat Dominum simpliciter dissentire: porrò ex dictis liquet Deum prohibuisse, ne cujusvis *carendi*, *cavendive mali causâ*, vel etiam *adipiscendæ immortalitatis gratiâ* nobisipsis necem inferamus.

Nec illa prohibitio irrationabilis vidêri potest, cum Deus sufficientem habeat rationem, ut puerum, utpote reatui damnationis obstrictum, sine Baptismo mori permittat.

Instabis, æquus rerum æstimator præsumitur in periculo rei suæ dignioris, malle destructionem vilioris, si hæc ad conservationem illius sit necessaria: atqui in casu nostro periclitatur res dignior, scilicet salus pueri: ergo præsumitnr Deus velle, ut vitam meam corporalem destruam pro conservatione, & salute istius animæ.

Resp. id præsumitur, quando Dominus rei nobilioris

lioris ex eâ commodum, & utilitatem reportat, & cauſam non habet, cur rem digniorem interire permittat: hoc autem in noſtro caſu locum non obtinet, quandoquidem Deus, ut dictum eſt, nihil commodi ex creaturis accipiat, & rationem habeat, cur puero ſalutem negare queat.

QUÆSTIO V.

An liceat Reo ad mortem condemnato ſeipſum occidere?

Nota, hîc non quæri, an id liceat ſeclusâ juſſione, vel commiſſione publicæ poteſtatis, ſed, utrum urgente judice Reus ſententiam mortis executioni licitè mandet, V. G. ſeipſum *ſuſpendendo*, *intoxicando*, &c.

Reſp. & *Dico* 1. Si Magiſtratus legitimè præcipiat Reo executionem propriæ ſententiæ, haud dubium eſt, quin juſſioni obtemperare, & ſeipſum interimere licitè poſſit, imò debeat.

Dico 2. Plerumque non licet reo ad mortem damnato ſeipſum interimere, quamvis id judex imponeret.

Prob Quià non videtur Magiſtratus ordinariè gravem adeò pœnam Reo poſſe infligere, ipſumque contrà ſeipſum juſtitiæ miniſtrum conſtituere, præſertim cum Deus Regibus gladium non dederit, niſi ad exercendam juſtitiam vindicativam humano modo, & ſervatâ proportione delictum inter & ſupplicium.

Dico 3. Aliquando tamen jubente Magiſtratu reo licet ſeipſum occidere.

Prob. Quià dari poteſt caſus, in quo ſeipſum occidere non ſit pœna delicto gravior: ut ſi quis alterum compuliſſet ſe intoxicare, vel transfodere, non

non apparet, cur Magiſtratus ipſi præcipere non poſſet, ut ſimiliter ſeipſum tanquam miniſter juſtitiæ publicæ intoxicaret.

Obj. 1. Nullibi permiſſum legibus, ut nobiſipſis necem inferamus.

Reſp. quod non legamus quidem permiſſum, ut authoritate propriâ, & ſine commiſſione publicæ poteſtatis nobis necem inferamus; ſed hoc non impedit, quò minus poteſtate publicâ id jubente liceat. Sanè quando Deus poteſtatem dedit malefactores condignè puniendi, unà permiſiſſe videtur, ut quibuſdam caſibus reis præcipi poſſit ſe interimere, quando nempè illa pœna eſſet delicto proportionata.

Obj. 2. Talis occiſio non eſſet actus juſtitiæ vindicativæ, cum juſtitia ſit ad alterum: ergo foret occiſio privata.

Prob. antecedens, quià non eſſet diſtinctio inter reum, & juſtitiæ miniſtrum.

Reſp. *negando antecedens*, ad probationem dico, quod in caſu iſto interveniat diſtinctio realis inter reum, & miniſtrum juſtitiæ principalem, id eſt Magiſtratum, cujus nomine, & authoritate reus ſeipſum perimit. Porrò quod hoc ſufficiat manifeſtum eſt in Receptore civitatis, qui nomine, Magiſtratûs ſibiipſi ſolvens actum Juſtitiæ omnium judicio exercere cenſetur.

Obj. 3. Occidere ſeipſum naturæ adverſatur: atqui Reſpublica illicitè, & invalidè præcipit juri naturæ repugnantia: ergo &c.

Reſp. *diſtinguendo majorem*, occidere ſeipſum authoritate privatâ juri naturæ adverſatur, *concedo*: occidere ſeipſum authoritate publicâ, ut fieret in noſtro caſu, juri naturæ repugnat, *nego majorem*.

Inſtabis, occidere ſeipſum etiam authoritate publicâ eſt contrà naturam.

Reſp.

Resp. *distinguendo assumptum*, est contrà naturam, id est, contrà naturalem & sensitivam inclinationem, *concedo*: est contrà naturam, id est, contrà legem naturæ, seu rationis dictamen, *nego assumptum*: porrò quod contrà naturalem inclinationem agere subindè teneamur, manifestum est, & patet in *Abrahamo*, qui ex jussione divinâ proprium filium contrà naturalem paterni affectûs inclinationem immolare debebat.

Obj. 4. D. *Thom.* 2. 2. q. 64. art. 5. ad 2 respondet: *non licet habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcumque peccatum, licet tamen se committere judicio aliorum.* Hic est Thomistarum Achilles, sed admodum debilis.

Respondêri etenim facilè potest, S. *Thomam* agere de personâ habente publicam potestatem non respectu suiipsius, sed respectu aliorum, qualis est judex: ex quo patet, casum nostrum ibidem ne vel tangi. Ut hoc plenius intelligatur,

Adverte S. Doctorem loco citato sibi proponere hoc argumentum: *occidere malefactores licet habenti publicam potestatem: sed quandoque ille, qui habet potestatem, est malefactor: ergo licet occidere seipsum.* Ad quod reponit hæc verba: *ad secundum dicendum, quod ille, qui habet publicam potestatem, potest licitè malefactorem occidere, per hoc quod potest de ipso judicare, nullus autem est judex suiipsius, undè non licet habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcumque peccatum.* Ex quibus manifestum evadit, D. *Thomam* loqui de Personâ habente publicam potestatem respectu aliorum dumtaxat; quià loquitur de judice, qui commisso gravi crimine prius seipsum occidit, quam condemnetur.

Insuper ubi Respublica aliquem constituit judicem, non dat ei authoritatem condemnandi, & occidendi seipsum, sed tantùm alios.

QUÆ-

QUÆSTIO VI

An Judex homicidii reus sit, dum capitis damnat innocentem, qui probatus est nocens?

Supponendum, quod Judex privatâ tantùm notitiâ innocentiam accusati habeat perspectam, ita ut in foro externo falsitatem testimoniorum demonstrare nequeat.

Insuper quæstio intelligenda est de casu, quo judex sententiam mortis sine periculo propriæ vitæ, aliove gravissimo incommodo suspendere non potest.

Resp. & *Dico*, Judex ille homicidii reus est, & coram Deo mortaliter peccat.

Prob. 1. quià dominium vitæ innocentis peculiariter Deo reservatur, ejusque ablatio generatim vetita est lege judiciali *Exodi* 23. v. 7. *Insontem, & justum non occides*: atqui ille, de quo agimus, est justus: ergo &c.

Ut omne effugium præcludatur, notandum sedulò, quod præcedit: *Non sequêris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* v. 2. Etenim ex eo liquet præceptum præmemoratum ad judices dirigi.

Prob. 2. Ex S. *August.* Serm. 164. cap. 8. aliàs 22. de verbis Apostoli dicente: *si Judex es, si Judicandi potestatem accepisti, ... si veris documentis, testibusque veris convincitur, corrige, corripe, & excommunica*: atqui in nostro casu non sunt documenta vera, nec testes veri, ut judex novit: ergo &c.

Deindè S. Doctor lib. 19. de Civitate cap. 16. inter miserias hujus vitæ deputat, quod judices aliquando innocentes torqueant, & occidant, quamvis sine proprio peccato, adjectâ hâc ratione: *non enim*

hæc facit ſapiens judex nocendi voluntate, ſed neſciendi neceſſitate. Proinde cenſet judicem peccare, ubi non eſt neceſſitas neſciendi, ſeu invincibilis ignorantia de innocentiâ accuſati, qualis non habetur, quando judici, licet privatim, perſpecta eſt innocentia ejus.

Prob. 3. Judex non poteſt authoritate publicâ efficere, ut quis tanquam executor juſtitiæ publicæ cognoſcat uxorem juridicè probatam ſuam, quam privatâ ſcientiâ novit alienam eſſe, quià nempè hoc intrinſecè malum eſt: atqui innocentem occidere etiam eſt intrinſecè malum: ergo &c.

Nec eſt, quod quis reponat, Deum mutaſſe materiam reſpectu occiſionis innocentis, dando authoritatem Reipublicæ ipſum in caſu poſito propter bonum publicum, & conſervationem judicii perimendi: hoc enim ex *Exodo* jam improbavi.

Pari jure dicam Deum etiam mutaſſe materiam in caſu allegato dominium corporis feminæ transferendo in illum, qui illud habêre falſo teſtimonio oſtenditur, ita ut non ſua propter bonum publicum fiat ſua.

Prob. 4. Si Judex à Republicâ, & hæc à Deo acceperit poteſtatem occidendi innocentem, quando probatur nocens, ſequitur, quod falſi teſtes, & accuſatores non ſint rei homicidii; cum ſint cauſa juſtæ necis, utpote ad quam inferendam judex à Republicâ, hæc verò à Deo poteſtatem accepit.

Deindè ſi Judex ipſe ſubornaſſet falſos teſtes adversùs ſuum inimicum, ut eum è medio tolleret, nec reatum homicidii, nec obligationem reſtitutionis incurreret ipſum condemnando.

Obj 1. Deuter. 17. v. 6. dicitur: *in ore duorum, vel trium teſtium peribit, qui interficietur.*

Reſp. ſenſum horum verborum non eſſe, quod quilibet ore duorum, vel trium teſtium ſemper licitè

citè interficiatur, ſed quod nemo licitè poſſit occidi, niſi crimen ipſius duobus, vel tribus teſtibus probetur, & evincatur. Quod proximè ſubnectitur, ſententiam allatam exponere videtur, ſcilicet: *nemo occidatur, uno contrà ſe dicente teſtimonium.*

Inſtabis: Cap. *Cum omnes.* de Teſtamentis *Alexander* III. aſſerit ſufficere duos, treſve teſtes, quià ſcriptum eſt *Matth.* 18. v. 16. *in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum.*

Reſp. 1. Quod Pontifex loquatur de caſu ordinario, in quo falſitas teſtium Judici perſpecta non eſt.

Reſp. 2. Quod Pontifex agat de causâ alterius rationis, ſcilicet de Teſtamentis; nos autem diſſeramus de causâ ſanguinis, in quâ Deus ſpecialiter vetuit Judici plurimorum acquieſcere teſtimonio, ſeu ſententiæ, ut à vero deviet, & eò uſque, ut innocens occidatur.

Obj. 2. Judex debet agere ut Perſona publica: ergo debet procedere ſecundùm ſcientiam publicam, quam ſcilicet ex allegatis, & probatis in judicio accepit.

Reſp. *diſtinguendo antecedens*, quando non obſtat ſpeciale præceptum Dei, *concedo antecedens*: quando Deus id peculiariter vetat, ut fit in noſtro caſu, *nego.*

Antecedens etiam hoc modo diſtingui poſſet: dèbet agere ut Perſona publica in iis, quæ plenè ſubſunt diſpoſitioni Reipublicæ, à quâ ſuam poteſtatem accepit, *concedo antecedens:* quando agitur de vitâ innocentium Dei dominio peculiariter reſervatâ, *nego antecedens.*

Obj. 3. Judex quatenùs Judex non ſcit reum eſſe innocentem.

Reſp. id nihil referre: ſufficit enim, quod hoc ſciat abſolutè, & quatenùs ſubjicitur Deo; qui vetat

plurimorum judicio contrà veritatem acquieſcere, quando agitur de causâ ſanguinis.

Obj. 4. Sacerdos poteſt dare Euchariſtiam peccatori publicè petenti: ergo &c.

Reſp. *negando conſequentiam*, diſparitas enim eſt, quod Miniſter Euchariſtiæ non ponat directè actionem in ſe malam, ſed ſolùm miniſtret Sacramentum, quod in ſe bonum eſt, irreverentiam autem, & peccatum Suſcipientis ex causâ rationabili permittat; ubi Judex non dumtaxat permiſſivè ſe habet reſpectu occiſionis innocentis, ſed per ſententiam ſuam poſitivè, & directè in illam influit.

Inſuper qui docent, Euchariſtiam peccatori occulto palam petenti eſſe tradendam, ſupponunt, quod Chriſtus exemplo ſuo in ultimâ Cœnâ id faciendum docuerit, de quo in Tractatu de Euchariſtiæ Sacramento agimus. Porrò in noſtro caſu non liquet, quod Deus talem innocentem occidi velit, aut permittat.

Obj. 5. Quid ſi judex ſit Eccleſiaſticus, & innocentiam Rei non ſciat, niſi ex confeſſione Sacramentali illius, qui crimen patravit?

Reſp. nos tantùm agere de Judice, qui innocentiam accuſati aliundè, quam ex Sacramentali Confeſſione novit.

Si quis tamen quæſtionem etiam eò extendat, dico attendendum eſſe, an revelanda ſit Confeſſio, ſi judex à ſententiâ ferendâ abſtineat. Si enim confeſſio revelanda ſupponatur, quidam non improbabiliter aſſerunt, quod judex ſententiam mortis contrà innocentem proferre debeat propter arctiſſimum confeſſionis ſigillum, cujus gratiâ Deus Judici tribuere cenſetur authoritatem, etiam innocentem occidendi. Si verò non ſit periculum revelationis ſigilli, judex ad ferendam ſententiam procedere nullo modo poterit.

Obj.

Obj. 6. Capitulo *Paſtoralis.* de officio, & authoritate judicis delegati, dicitur, quod judex delegatus executioni mandare teneatur ſententiam, quam ipſe novit injuſtam.

Reſp. ibi ſermonem non eſſe de causâ criminali, ſed merè Eccleſiaſticâ: undè argumentum quæſtionem propoſitam ne vel tangit. Deindè in Capitulo citato, non de Judice, ſed de Executore agitur.

Obj. 7. In cauſis civilibus tenetur judex ferre ſententiam ſecundùm allegata, & probata, quamvis allegatorum falſitatem privatâ ſcientiâ nôrit: ergo &c.

Reſp. *negando conſequentiam*, quià in civilibus agitur de materiâ Reipublicæ diſpoſitioni ſubjectâ, nempè de bonis fortunæ, de quibus *Reſpublica* diſponere poteſt propter bonum commune, ne ſcilicet ordo juris pervertatur cum multorum offenſione, & graviſſimis incommodis.

Cæterùm notandum ſedulò, quod ſententia judicis non efficiat, ut quis rem ſibi adjudicatam licitè retineat, ſi ſciat illam non eſſe, vel fuiſſe ſuam: quià non comprehendit dominii tranſlationem; ſed eſt mera declaratio, quod res ſit illius: quæ reſcinditur, quando poſteà contrarium oſtenditur. Hinc alia elucet diſparitas, nempè quod ablatio vitæ ſit omninò irrevocabilis, & damnum ablationis bonorum temporalium reparari queat.

Petes: *Quid ergo faciet Judex teſtibus ſententiam contrà innocentem urgentibus?*

Reſp. 1. Quod Eum propter inſufficientiam teſtium pro ejus innocentiâ judicialiter abſolvere non poſſit.

Reſp. 2. Quod modum aliquem liberandi innocentem ſtudioſè debeat inquirere. In hunc finem hortari poterit Accuſatores, ut ab iniquâ accuſatione deſiſtant, monitis etiam minas addendo. Dein-

dè crebrò, seorsim, & per intervalla testes examinabit, ut falsitas detegatur ; judicium interim protrahendo , & sententiam suspendendo. Carcerem etiam, si commodè id fieri possit, reserabit, ut reus clam effugiat.

Si hæc omnia, aliaque frustrà tentaverit, causam ad superiorem Judicem remittet, & ipse personam testis in favorem Rei assumet, paratus interim mori potiùs, & officio, & bonis omnibus exui , quam innocentem ad mortem condemnare.

QUÆSTIO VII.

An liceat occidere invasorem bonorum temporalium?

Nota 1. Quod invasus variis mediis injuriam propulsare , & invasorem etiam vi repellere tutò queat. Quarè quæstio proposita sic intelligitur , an actio occisiva sit medium licitum , quo invasus ad conservanda bona temporalia uti possit.

Nota 2. Quod pro conservatione unius aurei furem , seu raptorem perimere non liceat , ut constat ex damnatione Propositionis 31. inter proscriptas ab *Innocentio* XI. Quarè Theologi nobis in hâc quæstione contrarii docent, tantùm ob notabilem pecuniæ summam, sive ad grave damnum evadendum, invasorem licitè occidi.

Dico 1. Invasorem bonorum temporalium, etiam valdè notabilium, occidere non licet.

Prob. 1. Quià nullibi Deus permisit, ut propter bona temporalia alteri vitam adimamus, sed diserte id vetuit, ut colligitur ex Cap. *si perfodiens*. ubi ex *Exodo* dicitur , quod furem diurnum occidens homicidii reus fit, additâ hâc ratione: *quià poterat discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venisset.*

Huc

Huc etiam facit, quod in fine adjicitur, nempè furem diurnum posse occidi, si telo se defenderit, *quià plus est quam fur*: ex eo enim apparet, quod sola bonorum temporalium invasio non sufficiat, ut invasor citrà homicidii reatum perimatur.

Prob. 2. Non licet occidere illum, qui nos ab occupatione hæreditatis impedit injustè, ut patet ex propositione 33. inter damnatas ab *Innocentio* XI. ergo neque fas est ipsi necem inferre, qui hæreditatem jam possessam, aut alia bona valdè notabilia nobis extorquêre nititur.

Prob. consequentia, quià tam grave damnum, injuriamque adeò grandem patitur, qui ab occupatione hæreditatis impedîtur, quam alter, cui illa jam obtenta eripitur: ergo si ad priorem injuriam propulsandam hominem occidere non licet, neque ad posteriorem arcendam id ipsum licebit. *Antecedens* in Tractatu de *contractibus* demonstrabitur, ubi ostendemus, quod jus V. G. ad centum florenos non minùs valeat, quam centum.

Prob. 3. Non licet occidere invasorem famæ, vel honoris, ut quæstione sequenti ostendam: ergo nec invasorem bonorum temporalium, cum fama prudenti judicio divitiis præponderet.

Adde, quod pecunia etiam valdè notabilis sit inferioris ordinis, & longè minoris æstimationis, quam vita invasoris, & jacturam vitæ esse irreparabilem; ubi damnum pecuniæ resarciri potest.

Obj. 1. Cap. *Dilecto.* de sententia excommunicationis in sexto dicitur: *quod vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant:* atqui invasor bonorum temporalium vim infert, ut supponitur: ergo potest vi repelli, adeòque si opus fuerit, occidi.

Resp. *negando consequentiam*, quià Capitulum de vi ordinatâ intelligendum est, qualis non est illa, quâ invasor occiditur, ut ex dictis patet. Sanè hoc argu-

argumentum etiam evinceret, quod invaſorem unius aurei vi occiſivâ repellere liceat. Adde, quod defenſio in caſu poſito invaſionem longè excederet, quandoquidem nummi invadantur, & vita longè pretioſior invadenti eripiatur.

Obj. 2. Cap. *interfeciſti.* de homicidio, occiſori invaſoris bonorum temporalium non imponitur pœnitentia, ſed tantùm ad cautelam ſuadetur his verbis: *ſi autem ſine odii incitatione te, tuaque liberando ejuſmodi diaboli membra interfeciſti, ſi aliquid jejunare volueris, bonum eſt tibi, & Eleëmoſynam fac largiter. Si Presbyter idem fecerit, non deponatur*: ergo qui occidit, ſua liberando, non eſt homicida, quià nec punitur, nec irregularitatem incurrit.

Reſp. cum Panormitano has particulas *te, tuaque liberando*, non disjunctivè, ſed conjunctivè eſſe accipiendas, hoc ſenſu: ſi vitam tuam ſimul, & bona liberando interfeciſti &c. ex quo patet ex Capitulo objecto nihil erui, quo occiſio invaſoris bonorum temporalium ſeorſim licita ſuadeatur.

Inſtabis 1. ſi particulæ illæ ſumantur conjunctim, ſequitur, quod nec ſufficiat neceſſitas *liberandi te*, niſi etiam *tua* exponantur periculo; ergo debent accipi disjunctivè hoc ſenſu: *ſi te, vel tua liberando* &c.

Reſp. *negando ſequelam*, quià non ſumuntur conjunctim hoc ſenſu, quod utrumque aſſeratur neceſſarium, ſed quod impunè ſaltem poſſis occidere, quando utrumque occurrit, id eſt, quando aliter vitam, & bona tua conſervare non vales.

Inſtabis 2. In dicto capitulo imponitur pœnitentia occiſori invaſoris, qui ſine occiſione poterat comprehendi: ergo ſupponitur non eſſe puniendum, quando ſine interfectione comprehendi non poterat.

Reſp. 1. Id etiam poſſe intelligi de invaſore non bonorum dumtaxat, ſed & vitæ.

Reſp. 2. Tali occiſori pœnam non conſtitui, quià

ad

ad occidendum quasi compulsus, & coactus fuit, adeòque coram Deo non adeò reus est ut alter, qui se, suaque aliter conservare potuit.

Obj. 3. Hæc sententia patrocinatur furibus, & adversatur innocentibus rerum suarum possessoribus.

Resp. 1. oppositam sententiam magis patrocinari homicidis, & indiscretis bonorum suorum amatoribus, qui satiùs ducunt imaginem Dei destruere, quam vanas opes relinquere. Item favet, & patrocinatur dæmoni, ad quem suo jure pertinent fures, qui sic occiduntur.

Resp. 2. Fures aliter, quam per privatam ejusmodi occisionem refrænari, & puniri posse.

Collige, quod sicut violentum invasorem ob rerum tuarum defensionem licitè occidere non potes, ità nec possis injustum litigatorem, qui calumniis, & falsis testibus in judicio te tuis rebus expoliare conatur, quamvis aliter damnum evitare non valeas, quod etiam colligi potest ex damnatione propositionis 18. sub *Alexandro* VII. quæ sic sonat: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non possit innocens damnum evitare.*

QUÆSTIO VIII.

Utrum invasorem Virginitatis, vel honoris interficere liceat?

QUamquam de occisione invasoris *pudicitiæ* quædam anteà dicta sint, pleniùs tamen quæstionem hanc discutere est animus.

Dico 1. Occisio invasoris pudicitiæ, vel Virginitatis est verum homicidium vetitum præcepto *Non occides.*

Prob. 1. Quià ex nullo capite oſtendi poteſt authoritas à Deo data, ut tam acriter quis armetur adversùs invaſorem Virginitatis.

Prob. 2. Quià pudicitia, ſeu Virginitas, quæ invaditur, vel eſt virtus animi, vel integritas corporis: atqui neutra per actionem occiſivam defendi poteſt: ergo &c.

Prob. minor pro ſecundâ parte, quià illa corporis integritas non eſt tantæ æſtimationis, & momenti, quanti eſt vita aggreſſoris, adeòque non niſi præpoſtero amoris Ordine eidem præponitur, & quidem contrà Authoris vitæ voluntatem.

Prob. minor pro 1. parte, quià virtus animi, utpote in voluntate conſiſtens, vel ab eâ dependens, non niſi liberâ voluntate amitti poteſt, quandoquidem voluntas in actibus elicitis violentiam non patiatur.

Pulchrè S. *Auguſt.* lib. 1. de civitate Dei cap. 18. *Cum pudicitia virtus ſit animi, & nullus magnanimus, & pudicus in poteſtate habeat, quid de ſuâ carne fiat, ſed tantùm quid annuat mente vel renuat, quis tandem ſanâ mente putaverit ſe perdere pudicitiam, ſi fortè in apprehensâ, & expreſsâ carne ſuâ exerceatur, & expleatur libido non ſua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit* Et addit poſt pauca: *propoſito animi permanente, per quod etiam corpus ſanctificari meruit, nec ipſi corpori aufert Sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſuæ.*

Obj. 1. In jactura Virginitatis periculum eſt conſentiendi alienæ libidini: ergo &c.

Reſp. 1. Cum S. *Auguſt.* lib. 1. de civitate Dei cap. 25. *Nullo modo quidem hoc faciet animus, ut conſentiat libidini carnis ſuæ alienâ libidine concitatæ, qui Deo potiùs, ejuſque ſapientiæ, quam corporis concupiſcentiæ ſubjectus eſt &c.*

Reſp. 2. Non eſſe faciendum certum peccatum,

ut

ut evitetur incertum, quod, si velimus, vitare possumus. Quarè tunc concupiscentiæ resisti debet, & utendum est scuto fortitudinis, & non gladio ultionis. Hinc S. *Ambros.* l. 2. de Virginibus ait : Virgo prostitui potest, adulterari non potest, ubicumque Virgo Dei est, Templum Dei est.

Undè patet violentam stuprationem in oculis Dei, & secundùm judicium prudentum, non vitio, & dedecori, sed magnæ virtuti, & laudi verti Hinc S. *Lucia* Tyranno Lupanar minanti respondit: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad Coronam.*

Obj. 2. Honestæ Matronæ, & Virgines mallent mori, quam violentiam pati. juxtà illud Sancti *Ambrosii : periculum pudoris bonis feminis morte gravius est.*

Resp. 1. Judicium istud, quo pudicitia vitæ præfertur, à vero & æquo esse devium

Resp. 2. Id ità posse intelligi, quod Virgines honestæ malint mori, quam alienæ libidini consentire.

Obj. 3. S. *Aug.* lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. dicit : *multo est immanius, invitum hominem stuprum perpeti, quam eum, à quo vis illa infertur, ab illo cui conatur inferre, interfici.*

Resp. S. *Augustinum* tantùm velle, quod spectando injuriam, & malitiam formalem, modumque nocendi, stupruin violentum sit ejusmodi occisione immanius, quatenùs scilicet est magis voluntarium, & malitiosum, quam occisio stupratoris; quippè quæ tantùm adhibetur ex necessitate pudicitiam tuendi, & tanquam medium defensionis. Porrò id non impedit, quin spectando injuriam materialem, stuprum sit minus malum, quam occisio stupratoris, quandoquidem vita sit pudore, & integritate corporis potior.

Deindè si unum sit immanius altero, ergo utrum-

que est immane, & illicitum: hinc S *Aug.* loco citato cap. 3. testatur se non invenire, quo pacto illos, qui sic interficiunt, defendat.

Dico 2. Occisio invasoris *famæ*, vel *honoris* etiam adversatur præcepto, *Non occides.*

Prob. 1. Quià neque hîc ostendi potest Divina jussio, vel permissio.

Prob. 2. Quià neque fama, neque honor vitæ hominis æquiparari potest.

Prob. 3. Quià aliàs raptorem pudicitiæ, & uxorem adulterium cogitantem interficere liceret, cum Virgo oppressa, & maritus uxoris adulteræ detrimentum famæ, & honoris, saltem apud mundanos patiatur.

Probationi hujus asserti etiam inservire potest damnatio propositionis 30. inter Innocentianas, quæ sic sonat: *fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si hæc ignominia aliter vitari nequit.*

Obj. 1. Sequitur, quod maledicorum linguæ nullo penitùs modo frænari possint.

Resp. *negando assumptum*, quià coram Magistratu citari, & ad recantandam detractionem compelli possunt. *Sed quoniam quantâlibet humanâ cautelâ suspiciones malevolentissimas non potes omni ex parte vitare, ubi pro existimatione nostra quidquid rectè possumus, fecerimus; si aliqui de nobis, vel mala fingendo, vel malè credendo, famam nostram decolorare conantur, adsit conscientiæ solatium, & gaudium, quod merces nostra magna est in cœlis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen, justèque viventibus.* Ità S. *Aug.* l. de bono viduitatis cap. 22.

Obj. 2. An non alapâ concussus tamdiu censetur honore privatus, quamdiu adversarium non occidit? Ità non nemo, cujus honori parco.

Resp. 1. Illum majori sanè honore privandum coram

coram Deo, & æquis rerum æstimatoribus, si percussorem vitâ privaverit.

Resp. 2. Hoc argumento etiam excusari duellantes, qui ad pugnam provocantur, quià illis juxtà opinionem hominum mundanorum pusillanimitatis nota inuritur, & velut timidi irridentur, si duellum acceptare renuant. Dicendum igitur ejusmodi honorem esse omninò vanum.

Considerari etiam potest, quam bellè hæc doctrina conveniat cum hac Christi regulâ: *si quis te percusserit* &c. *Matthæi* 5. v. 39.

Obj. 3. Eccles. 41. v. 15. dicitur: *Curam habe de bono nomine* & Proverb. 22. v. 1. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.*

Resp. 1. Bonum nomen curandum est, sed mediis à Deo & jure naturæ permissis.

Resp. 2. Quamvis nomen bonum sit opibus præponendum, vitæ tamen, cujus jactura irreparabilis est, præferri non potest. Verùm sedulò *observandum*, quod in loco citato non agatur de nomine sterili & inani, sed de eo, quod in probâ vitâ, & virtutibus fundatur, quod opibus præponendum, etiam ratio ipsa dictat.

Obj. 4. Honor, & fama est vitâ charior.

Resp. amorem illum esse inordinatum, quo quis honori ampliùs, quam propriæ vitæ adhæret.

Cæterùm ubi fama nostra ad exemplum, & spiritualem utilitatem proximi necessaria est, hoc sensu vitæ præferri potest, quod mortem potiùs tolerare, quam famæ jacturam cum scandalo proximi incurrere debeamus.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An liceat occidere injuſtum vitæ aggreſſorem ?

Nota 1. Hîc non quæri , an occiſio invaſoris vitæ ex affectu vindictæ, undè procedit , vel ex ſimili capite, fieri illicitè poſſit ; quià id ſæpius accidere omnibus notiſſimum eſt. Id ergò hîc inquiritur , an talis occiſio ſit vetita præcepto, *Non occides*, & reatum homicidii involvat ?

Nota 2. Quæſtionem non intelligi de omni invaſore, ſed de illo tantùm , qui repelli non poteſt, niſi occidatur : ſi enim invaſus mortem evadere poſſit vel fugiendo , vel invaſorem tantùm vulnerando , clarum eſt , quod moderamen in tali defenſione excedat , utpotè plus faciens , quam ad vitam conſervandam neceſsè ſit.

Nota 3. Per moderamen *inculpatæ tutelæ* non intelligi defenſionem talem , quæ caret omni culpâ , alioquin dum quæritur ; an liceat occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ , ridiculè quæreretur id , quod ſupponitur.

Igitur per *moderamen inculpatæ tutelæ* intelligitur actio invaſi contra invadentem , quæ neceſſaria eſt ad propulſandam injuriam , ità ſcilicet, ut hæc aliter declinari non poſſit. Vocatur *tutela inculpata*, eoquòd ſpectatâ ratione defenſionis , non excedatur , nec plus agatur , quam illa requirit , abſtrahendo interim an illa defenſio ſit licita, nec ne.

Dicitur ergo in occiſione ſervari moderamen inculpatæ tutelæ , quando fit ex neceſſitate ſe defendendi, non ad ſumendam vindictam , ſed ad injuriam propulſandam , ut habetur Cap. *Significaſti*. de homicidio. His præmiſſis ,

Reſp. & *Dico*, veroſimilior eſt ſententia Theologorum

gorum docentium occisionem invasoris vitæ esse illicitam, quæ proindè in praxi omninò tenenda.

Prob. 1. Ideò non licet occidere invasorem bonorum temporalium, pudicitiæ, & honoris, quià non potest ostendi, quod *Deus* vitæ author, & Dominus id permiserit: atqui etiam demonstrari nequit Deum permisisse, ut invasor vitæ occidatur: ergo &c.

Major certa est, & ex dictis liquet. *Minor* patebit ex solutione argumentorum, quibus multi hanc permissionem ostendere conantur.

Probationi minoris etiam inservire potest, quod ait S. *Aug.* l. 1. de civitate Dei cap. 21. *His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse Fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel alium quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Et ibidem *tria* assignat capita, ex quibus hominem occidens à reatu homicidii excusatur. *Primo* loco collocat eos, qui Deo authore bella gesserunt: *secundam* classem obtinent, qui gerunt personam publicæ potestatis. *Postremò* agit de illis, qui ex speciali Dei jussione aliquem occidunt. Porrò inter ejusmodi occisiones, *Sancti Augustini* judicio licitas, locum non invenit invasoris vitæ interfectio, ut patet consideranti.

Prob. 2. Ex S. *Ambrosio*, qui lib. 3. Officiorum cap. 4. sic ait: *non videtur, quod vir justus, & sapiens quærere sibi vitam alienâ morte debeat, utpote qui, si in latronem armatum incidat, ferientem referire non potest, ne, dum salutem defendit, pietatem contaminet.*

Respondent aliqui, S. *Ambrosium* id dumtaxat velle, quod ferientem ex privatæ ultionis affectu occidere nefas sit; sed parùm solidè, quemadmodum ex ipso textu satis liquet, præsertim ex his particulis, *ne, dum salutem defendit*, &c. quæ satis innuunt S. Pa-

trem

trem agere de casu, quo quis salutis defendendæ causâ ferientem perimit.

Insuper juxtà hanc glossam S. *Ambrosius* ad rem non loqueretur, neque probaret, quod ibidem stabilire nititur, nempè quod in naufragio alteri tabulam eripere non liceat evadendæ mortis causâ : etenim ex eo, quod latronem ex affectu vindictæ non liceat occidere, minimè *consequens* est, quod merè ad conservandam vitam, tabulam proximo extorquere licitè nequeam.

Prob. 3. Ex S. *Bernardo* lib de dispensatione & præcepto cap. 7. ità differente: *mandatum Dei est*, Non occides: *fac ergo duos homicidas, & unum quidem spoliandi cupiditate, alterum verò necessitate sese defendendi, facinus perpetrasse: an non hic satis evidenter inter lepram, & lepram causa separat, faciens utique disparem valdè culpam unius ejusdemque transgressionis?* Ergo qui ex necessitate se defendendi hominem perimit, homicidii reatum incurrit.

Neque satis aptè respondetur, quod S. *Bernardus* agat de invasore bonorum temporalium, quià ex textu satis apparet, quod loquatur de eo, qui ex intentione spoliandi vitam invadit: undè ait: *necessitate sese defendendi* &c.

Prob 4. Ex S. *Augustino* lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. ubi cum *Evodio* discurrit, & fatetur, quod non videat, quomodò impolluti esse queant, qui ne occidantur, occidunt. *Quomodò enim sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt* ? ibid.

Neque dicatur, S. Patrem illa dubitanter exarasse: si enim quis consultus de æquitate alicujus contractûs, respondeat: *quomodò contractum illum ab injustitiâ* purgem. non invenio, res perindè se habet, ac si diceret; *contractus injustus est* : ergo jam citata S. *Augustini* verba hunc sensum habent, *qui occidunt*,

ne

ne occidantur, impolluti non sunt.

Nec refert, quod S. *Aug.* lib 1. Retractationum cap. 9. dicat, quod illo libro, utpote quem junior composuit, multa inquisierit, quæ invenire, & plenè resolvere non potuit, quià non constat hoc punctum inter illa numerari debêre; imò satis liquet ex dictis, quod rem illam indecisam ibi non reliquerit.

Deindè si quid ibi dixisset dubitanter, & non satis fundatè, id posteà *in libris retractationum*, in quibus minima quæque cribrat, & explicat, exponere, vel expungere debuisset.

Quin imò S. Pater etiam in Episcopatu hanc doctrinam tenuit. Etenim interrogatus à Publicolâ Viro illustri, & Militari, utrum *Christianus* Barbarum, vel Romanum interficere debeat, ne ab illis occidatur, ità respondet: *de occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publicâ functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro civitate.* Epistolâ 47. aliàs 154. Ut proindè rectè concludat Epist. 204. aliàs 82. *quià omnis, qui sine ullâ legitimæ potestatis authoritate hominem occidit, homicida est.*

Nec est, cur aliquis in interrogatione Publicolæ particulam *debet* specialiter observet, quasi quæsitum esset, an *Christiano* incumbat obligatio invasorem occidendi, quià ly *debet* usitatè admodum pro *potest* accipitur in ejusmodi interrogationibus, præsertim quando agitur de materiâ, in quâ nihil obligationis esse, passim constat.

Etiam minimè *prætereundum*, quod S. *Aug.* in Epistolâ citatâ varia enumeret defensionum genera à Deo permissa, inter quæ tamen non collocat occisionem injusti aggressoris.

Hæc doctrina in S. *Augustino* tam clara est, ut ejus adver-

adversarii non dubitent illam tanquam errorem adversùs Sancti Patris authoritatem opponere.

Ad confirmationem sententiæ nostræ etiam adduci potest Capitulum *Interfecisti.* de homicidio, in quo Pontifex suadet pœnitentiam interfectori invasoris vitæ, & quidem, ut ait, *secundùm indulgentiam*, quo satis innuit, se magis rigorosè adversùs talem procedere posse, & pœnitentiam præcipere, *ubi enim datur indulgentia, evidenter denotatur culpa*, ut ait S. *Aug.* l. de peccato Originali cap. 38. ad similem Apostoli locutionem, quâ secundùm veniam, seu indulgentiam permittit conjugibus, ut vitandæ incontinentiæ causâ commercium carnale habeant.

Hæc pro stabilimento hujus doctrinæ abundè sufficere putem. Si quis tamen plura desideret, is vidêre potest D. *Neesen* in supplemento de Jure, & Justitiâ Tractatu 3. quæstione 2. dubio 4.

Obj. 1. Catechismus Romanus parte 3. in præcept. 5. Decal. numero 7. & 8. post recensitas varias cædes, quæ in peccatis non numerantur, subnectit: *Quâ etiam ratione, si quis salutis suæ defendendæ causâ, omni adhibitâ cautione, alterum interemerit, hâc lege* (Non occides) *non tenêri satis apparet. Atque hæ quidem, quas commemoravimus, cædes sunt, quæ hoc legis præcepto non continentur.*

Resp. ibidem agi de homicidio casuali, quod fit omni adhibitâ cautione, ne occidatur invasor, ita ut occidens non sciat mortem invasoris ex suâ defensione secuturam. Id planum est ex textu, quià loco citato numerantur cædes aliquot non peccaminosæ, quià non voluntate, sed præter nostram voluntatem inferuntur, & mox subjungitur: *quâ etiam ratione, si quis salutis suæ defendendæ causâ &c.*

Obj. 2. Vetustum Pœnitentiale citatum à *Joanne Morino* ad calcem operis de Pœnitentiâ fol. sexto ubi in formulâ judicii, quam servare debent Presbyteri,

teri, & Episcopi, quoties peccator ad pœnitentiam accedit §. 10. declaratur, quod reus non sit, qui in sui defensionem alterum occidit: sic enim habet: *si autem forsan se defendendo, vel parentes suos, vel familiam suam, occidisset aliquem, ille non erit reus.*

Resp. hæc verba *non erit reus* sic exponenda esse; *non punietur, ut homicida, nec subire debebit pœnas homicidis a Sacris Canonibus constitutas.*

Adde quod Pœnitentiale illud non tantæ sit authoritatis, ut fundamentis à nobis allatis præponderare valeat.

Obj. 3. Exodi 22. v. 2. dicitur: *si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulne mortuus fuerit, percussor non erit reus Sanguinis, quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Ad quæ verba S. *August.* quæst. 84. super Exodum ità scribit: *intelligitur ergo tunc non pertinêre ad homicidium, si fur nocturnus occiditur, si autem diurnus, pertinêre. Hoc est enim quod ait; si orietur super eum sol, poterat quippe discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, hoc & in legibus antiquis secularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur, impunè occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, jam enim plus est, quam fur.* Ex quibus patet, quod licitè occidatur, qui venit ad occidendum. Porrò notandum, quod verba *Augustini* jam citata in jus Canonicum relata sint Cap. *Si perfodiens.* de homicidio. Hic est contrariæ sententiæ Achilles, ad quem

Resp. legem *Exodi* nobis objectam esse merè judicialem, & judicibus formam præscribere, quâ adversùs reos in judicio procedere debeant, quemadmodum patet ex ipso titulo capitis 21. & 22.

Id etiam suadet, quod verbis objectis proximè præmittitur, nempè *si quis furatus fuerit ovem, vel bovem & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno resti-*

reſtituet. Si enim id non niſi ad forum externum pertineat, ut adverſarii fatentur : ergo etiam quod immediatè ſequitur, ſcilicet, *ſi effringens fur* &c.

Deindè in eadem lege dicitur, quod fur diurnus poſſit occidi, qui telo ſe defendit, quod non niſi in foro externo licitum fatetur tota *Schola Auguſtiniana*, & multi ex illis, qui in præſenti quæſtione nobis adverſantur.

Denique cum Deus in veteri Lege multa permiſerit impunita, quæ ſine peccato non fiebant, ut patet in libello Repudii, pœná talionis, aliiſque : ex eo, quod Deus occiſionem furis nocturni per judices non punierit, inferri non poteſt, ejuſmodi interfectores culpâ vacare.

Ad *S. Auguſtinum* hanc legem interpretantem reſpondeo, illum conformiter ad ſenſum Legis, id eſt, de foro externo intelligendum eſſe, ita ut tantùm velit occiſionem furis nocturni à Judicibus non debere puniri : quod ulteriùs ſatis ſuadetur his verbis proximè ſequentibus : *Hoc & in legibus antiquis ſecularibus, quibus tamen iſta eſt antiquior, invenitur, impunè occidi nocturnum furem quoquo modo* : non enim ait *licitè*, ſed *impunè*.

Prætercà ſi S Pater de foro conſcientiæ loqueretur, *conſequens* eſſet, quod fur nocturnus licitè occideretur, etiam quando aliter repelli poteſt, ejuſque occiſio ad vitæ conſervationem neceſſaria non eſt, cum generatim dicat : *impunè occidi nocturnum furem quoquo modo.*

Ad capitulum *Si perfodiens.* etiam reſpondetur illud non aliter, quam legem Exodi, & S. *Auguſtinum* poſſe intelligi ; quandoquidem ex S. *Auguſtini* verbis conſtet.

Et id quidem confirmari poſſet ex eo, quod ibidem etiam dicatur, poſſe occidi furem diurnum, *qui telo ſe defendit, quià plus eſt, quam fur* : id enim non niſi

in

in foro externo licet, cum fur tunc occidatur non ob conſervationem vitæ, ſed ob defenſionem vel recuperationem bonorum temporalium. Inſuper *conſequens* foret raptorem, quià plus eſt quam fur, licitè periimi.

Inſtabis, in jure Canonico Cap. *Quoniam.* de præſcriptionibus dicitur, omni conſtitutioni atque conſuetudini eſſe derogandum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari: ergo lex permittens occiſionem invaſoris vitæ, per Eccleſiam abolêri deberet, quemadmodum conſtitutio civilis occiſionem adulteræ impunitam relinquens, per jus Canonicum reformata eſt.

Reſp. 1. Quod lex illa, quæ interfectorem invaſoris vitæ impunitum relinquit, ſine omni penitùs peccato obſervetur, quamvis occiſor ille à culpâ immunis non ſit.

Reſp 2. Capitulum iſtud intelligendum eſſe de illis, quæ peccati mortalis reatum certò inferunt, & ſine gravibus incommodis abrogari queunt, quià certum eſt multa ſæpius ab Eccleſiâ ex neceſſitate impunita relinqui, quæ ſine gravi peccato non fiunt.

Quod lex civilis permittens occiſionem uxoris in adulterio deprehenſæ per jus Canonicum reformata ſit, mirum non eſt, quià planè certum erat, quod ejuſmodi occiſio peccatum mortale involveret, nec erat ratio illam impunitam relinquendi.

Obj. 4. Verba S. *Auguſtini* ex Epiſtolâ 153. aliàs 54. *Cum homo ab homine occiditur, multùm diſtat, utrum fiat nocendi cupiditate, vel injuſtè aliquid auferendi, ſicut fit ab inimico, ſicut à latrone; an ulciſcendi vel obediendi ordine ſicut à judice, ſicut à carnifice; an evadendi vel ſubveniendi neceſſitate, ſicut interimitur latro à viatore, Hoſtis à milite: & aliquando qui causa mor-*

tis.

tis fuit potiùs in culpâ eſt, quam ille, qui occidit. In quibus verbis *Notandum* quod S. Pater in toto illo diſcurſu duas ſemper occiſiones licitas, vel illicitas ſimul conjungat: undè cum occiſionem invaſoris vitæ ſimul ponat cum interfectione hoſtis, quæ fit à milite, planum videtur illam ex mente S. *Auguſtini* licitam eſſe.

Reſp. ex allatis S. *Auguſtini* verbis id ſolùm confici, quod occiſio, quæ fit à viatore, ut ſe defendat, multùm diſtet ab eâ, quâ latro viatorem perimit, quià poſterior eſt peccatum longè gravius.

Quod autem occiſionem invaſoris ſimul ponat cum eâ, quâ occiditur hoſtis à milite, tantùm indicat utramque ab aliis enumeratis diſtare, quamvis una licita ſit, altera illicita. Porrò quod S. Pater ibidem ſimul ponere intendat occiſiones illicitas, atque licitas, gratis aſſumitur.

Poſtremò hæc verba; *aliquando qui cauſa mortis fuit, potius in culpâ eſt, quam ille qui occidit*, nobis favent potiùs, quam officiant, quià quod invaſor potiùs in culpâ occiſionis ſit, quam ille qui invaſorem occidit, nequaquam impedit, quin etiam huic homicidium in culpam imputetur.

Obj. 5. Deus nobis cuſtodiam corporis & vitæ noſtræ commiſit: ergo eam tueri, etiam per actionem occiſivam, tenemur.

Reſp. 1. hoc argumentum nimis multum probare, ſcilicet quod invaſus illicitè permitteret ſe occidi ex charitate proximi, ut nempè invaſor ſpatium habeat pœnitendi.

Reſp. 2. *negando conſequentiam*, quià iſtud defenſionis, ſeu conſervationis vitæ medium non invenitur à Deo permiſſum.

Nec refert, quod Deus permiſiſſe cenſeatur abſciſſionem membri pro conſervatione totius corporis, quià membrum eſt propter totum, & ab illo depen-

dependet, quod locum non habet in vitâ invasoris respectu vitæ illius, qui invaditur. Deindè quod Deus membri mutilationem ex simili causâ permiserit, est in confesso, aliud verò in disputationis ambiguo.

QUÆSTIO X.

De Quibusdam ad resolutionem jam datam spectantibus.

PEtes 1. *An rectè à quibusdam dicatur, quod invasorem servandæ vitæ causâ perimens, indirectè dumtaxat ejus mortem intendat?*

Resp. si *indirectè intendere* idem sit, atque *propter aliud velle*, clarum est mortem invasoris in casu nostro indirectè tantùm intendi. Cæterùm hic intellectus non satis apparet commodus, quià sequeretur, quod manducans, & bibens tantùm indirectè sumptionem cibi, & potûs intendat, quandoquidem sumptionem illam ad vitæ conservationem dirigat.

Interim certum est, fragilem esse hujus argumentationis texturam: *invasorem servandæ vitæ causâ occidens tantùm indirectè ejus necem intendit: ergo ab homicidii crimine immunis est*; quià etiam hæc consequentia valeret: *militem pro conservatione unius aurei interimens indirectè tantùm ejus necem intendit: ergo homicidii reatum non incurrit.*

Porrò quid sit indirectè aliquid intendere, ex illis, quæ in Tractatu *De Actibus Humanis* dicta sunt, erui potest.

Petes 2. *Quæ sit mens Divi Thomæ circà quæstionem jam resolutam?*

Resp. quamvis aliqui S. *Thomam* nobis contrarium opinentur, tamen favêre videtur eodem in loco, ex quo alii contrà nos argumentantur, scilicet

cet 2. 2. q. 64. art. 7 in corpore, ubi sic loquitur: *Quià occidere hominem non licet, nisi publicâ authoritate propter bonum commune, illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei, qui habet publicam Potestatem.*

Prætereà postquam S. *Thomas* ibidem discussit, an liceat aggressorem vitæ occidere, ultrà non perrexit, nec inquisivit, an liceat interficere invasorem bonorum temporalium, quod tamen ipsi restabat *examinandum*, si putasset licitùm occidi aggressorem vitæ. Verùm juxtà nos quæstione illâ supersedit, quià ex eo, quod non liceat occidere invasorem vitæ, evidenter sequebatur, fas non esse pro conservatione bonorum temporalium homini vitam adimere.

Nonnulli ad verba D. *Thomæ* à nobis citata respondent, quod *Doctor Angelicus* non invasoris occisionem, sed occidendi intentionem prohibeat: verùm quo pacto intentio in nostro casu ab occisione removêri queat, non video. Quisquis enim actionem ponit, ex quâ mors alterius certò sequetur, ejus occisionem omninò intendit, quamvis non ultimatè, utpotè illam ulteriùs referens ad vitæ suæ conservationem.

Insuper si S. *Thomas* solùm culpet intentionem, quâ quis occisionem invasoris non ut medium defensionis, sed propter se vellet, ejus causalis non subsistit, quià ne vel publicæ potestati mortem malefactoris ità intendere licet.

Dices: D. *Thomas* loco citato disertè dicit: *secundùm jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, quià plus tenetur homo vitæ suæ providere, quam alienæ.*

Resp. S. *Thomam* dumtaxat velle, quod invasus non debeat prætermittere sui defensionem, quamvis prævideat invasorem per eam forsitan occidendum: quià

quià tunc occisio præter ejus intentionem evenire censetur, & quodam sensu casualis dici potest : ut V. G. si fuste se defendens, gladiumque è manu latronis excutere nitens, ictum lethalem capiti ejus impingat, ex mente D. *Thomæ* homicidii reus non erit; quod etiam *Catechismus Romanus* loco antè citato insinuare videtur.

Nec refert, quod in responsione ad tertium dicat, Clericum fieri irregularem, non tamen peccare, si aliquem occidat sese defendendo, quià etiam hîc de simili occisione, scilicet fortuitâ, & quasi casuali intelligi potest.

Si quis dicat, homicidium casuale secundùm D. *Thomam* non gignere irregularitatem : respondêri potest, id verum esse de homicidio purè casuali, quod nempè nec prævisum est, nec prævidêri potuit : porrò in nostro casu invasus mortem invasoris probabiliter secuturam cognovit, & actionem ex naturâ suâ periculosam posuit, cui irregularitatem annexam censuit S. *Thomas.*

Petes 3. *Quarè invasus cor invasoris ense transverberans, non possit se habêre merè permissivè respectu mortis secuturæ, ita ut illam nullo modo intendat, sicut V. G. Chirurgus venam secans, non intendit deliquium animi, quod infirmus certò patietur?*

Resp. latam esse disparitatem inter mortem invasoris, & deliquium animi, quod infirmus ex venæ sectione patitur, quià mors Invasoris V. G. amputationi capitis, similive actioni necessariò, & ex naturâ rei annectitur, sed deliquium animi ex venæ sectione non nisi per accidens oritur.

Insuper deliquium animi non est medium ad infirmi sanitatem, quam medicus intendit, ordinatum: verùm mors invasoris in nostro casu est unicum evadendi remedium, ideòque ab occidente non potest non intendi.

Alia paritas contrà adversarios urgêri potest hoc modo: venam secans non potest non velle Sanguinis effusionem, quià illa sectionem necessariò, & naturaliter consequitur: ergo invasori caput amputans, vel cor confodiens necessariò vult, & intendit separationem animæ à corpore, quandoquidem illa ex actionibus memoratis necessariò, & naturaliter sequatur.

Petes 4. *An dives mille imperiales numerare teneatur mendico dicenti: nisi nummos illos illicò tradas, me suspendam?*

Resp. pecuniam regulariter dandam non esse, quià non constat diviti, quod negotium feriò peragatur: & similibus donationibus excitarentur nebulones ad pecunias piis hominibus extorquendas. Si tamen dives quispiam certò sciret hominem V. G. debitis oppressum ad desperationem adigi, seque occisurum &c. nisi adjuvetur, ex lege charitatis obligabitur ad proximum è foveâ desperationis, & præsentis damnationis periculo eruendum.

Petes 5. *Quid si invasus conscientiam peccato mortali gravatam inveniat? An tunc saltem invasorem perimere licitè poterit?*

Resp. *negativè*: sed elicito charitatis, & contritionis actu saluti suæ consulet.

Neque dicas quod se periculo damnationis, mortem tolerando, exponet: quià certissimum est, quod actus contritionis cum excellentissimo illo charitatis opere in tali angustiâ satis momenti habeat ad justificationem, & quorumcumque peccatorum remissionem.

Verùm, quid si invaso gratia desit, sine quá se ad Deum convertere, & contritionis actum elicere nullo modo potest?

Resp. quæstionem illam locum non habêre in sententiâ illorum, qui homini gratiam semper adesse opinantur, quando lex divina urget. In

In ſententiâ noſtrâ, ſecundùm quam Deus non ſemper peccatori gratiam præbet, quâ ſeſe ad Deum convertere, & de peccatis ſuis ſeriò dolêre poſſit, dicendum, quod propter hominis malitiam, qui ſuâ ſponte, & liberrimè gratiam abjecit, non relaxetur obligatio hujus præcepti *Non occides*, neque Deus ipſi tradat poteſtatem in vitam invaſoris, quæ juſtis non conceditur.

Attamen forſitan non deerit, qui exiſtimabit in caſu illo peculiari, occiſionem invaſoris practicè licitam eſſe, propter dictamen juris naturæ, quo quilibet ſaluti ſuæ conſulere, animamque ex certâ damnatione eripere tenetur, quod fortè violaret, ſi ſeſe occidi permitteret: quando enim non tantùm actio, ſed etiam actionis omiſſio probabiliter juri naturæ adverſantur, non numquam agere licet, quando nempè minus verosimile eſt actionem eſſe malam; ejuſque omiſſioni graviora annectuntur incommoda, ut in Tractatu de *Actibus Humanis* dictum eſt.

QUÆSTIO XI.

An, & quomodò Homicida, & Mutilator ad reſtitutionem teneantur?

Dico 1. Qui alterum injuſtè occidit, aut mutilavit, tenetur ad ſolvendas expenſas factas in curatione vulneris, & morbi indè ſecuti. Item ad compenſandum damnum emergens, & ſpem lucri ceſſantis, quod ex arte, vel induſtriâ læſi, vel occiſi proveniſſet.

Ratio eſt, quià hæc omnia illi coram Deo imputantur, & omninò voluntaria ſunt, adeòque reſpectu illorum militat injuſtæ acceptionis, ſeu damnificationis titulus.

Porrò ſpes lucri æſtimanda eſt arbitrio prudentis viri, detractis expenſis, quas mutilatus in procuratione lucri ſubiviſſet, ſi manſiſſet illæſus.

Attendi etiam debet *ætas*, *robur*, & *complexio* occiſi, nec non periculum, cui lucrum ſperatum erat obnoxium: nam juvenis, robuſtus, & firmæ valetudinis, cæteris paribus, plus lucri ſperare poteſt, quàm delicatus, aliuſve, qui fortè ex ſenio, vel ægritudine erat brevî moriturus. Similiter ſpes certa lucri pluris fieri debet quam incerta, & periculis expoſita; imò ſpes incerta eò minoris æſtimanda eſt, quò periculum eſt majus.

Occiſor tamen non tenetur ad expenſas funeris, niſi hæ forſitan occaſione homicidii debuerint augêri, quià expenſæ illæ equidem fieri debebant, adeòque eatenùs non cenſetur damnum per occiſionem illatum.

Dico 2. Qui hominem, etiam liberum, injuſtè occidit, aut mutilavit, non tenetur pecuniâ, aut aliâ re compenſare vitam ſecundùm ſe, vel membrum abſciſſum.

Prob. quià vita, & membra ſecundùm ſe, & quoad ſubſtantiam non ſubjacent dominio hominis, ſed ſolius Dei, adeòque quoad hoc ſoli Deo per Pœnitentiam ſatisfieri debet.

Deindè corpus, & vita hominis ſecundùm ſe nullam recipiunt æſtimationem, ſed ſuprà omne pretium ſunt: hinc Lege ſecunda *de his qui effuderint vel ejecerint*, dicitur: *Cum liberi hominis corpus èx eo, quod ejectum effuſumque quiderit, læſum fuerit, judex computet mercedes Medicis præſtitas, quæ in curatione factæ ſunt. Prætereà operarum, quibus caruit, vel cariturus eſt. Cicatricum autem, & deformitatis nulla fit æſtimatio, quià liberum corpus nullam recipit æſtimationem.*

Obj. quiſquis damnum intulit, tenetur illud repa-

rare

rare quantùm potest: V. G. qui abstulit mille florenos, & totam illam summam restituere non valet, debet reddere centum, vel tantum, quantum potest: ergo quamvis vita hominis non possit ex æquo pecuniâ compensari, occisor equidem aliquid pro vitâ à se destructâ restituere tenetur.

Resp. *negando supposítum*, scilicet, quod per mutilationem, vel homicidium damnum homini inferatur, quatenùs scilicet vita, vel membrum secundùm se consideratum destruitur, quandoquidem dominium & vitæ, & membrorum sit penes solum Deum.

Respondent aliqui, antecedens tantùm esse verum respectu damni, quod per se est reparabile, & compensabile, quale est damnum mille florenorum, quià per accidens est, & merè oritur ex inopiâ damnificatoris, quod hîc & nunc plenè reparari nequeat. Sed vita, & corpus hominis liberi sunt ordinis adeò sublimis, ut secundùm se pecuniâ compensari non possint.

Dico 3. Aliqua tamen compensatio fieri debet propter ablatum vitæ, aut membri usum, ad quem alter jus habebat.

Prob. quià usus ille, quemadmodum & jus ad utendum, est pretio æstimabile: ergo si injustè violetur, reparari, & resarciri debet.

Quod jus illud pretio sit æstimabile, satis liquet ex communi hominum æstimatione, à quâ potissimùm rerum pretia dependent. Idem patet in venditione mancipiorum, & pactis militum, qui accepto pretio sese ad labores, imò etiam ad mortis, & mutilationis pericula obstringunt.

Huic nostræ assertioni apertè suffragatur D. *Thomas* 2. 2. q. 62 art. 2. ad 1. his verbis: *Quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri compensatio qualis est possibilis, puta cum aliquis*

quis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecuniâ, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utriusque personæ secundùm arbitrium boni viri: hujus ratio est, quod licet membrum non sit restituibile secundùm se, possit tamen compensari illius usus, ad quem jus habemus.

Obj. 1. Vita, & corpus hominis nullam recipiunt æstimationem, nec determinari potest, qualis compensatio pro ablatione vitæ, vel membri fieri debeat: quidquid enim dabitur, & erit improportionatum, & numquam ad æqualitatem poterit perveniri

Resp. 1. retorquendo argumentum in homine libero, qui sese alteri vendit in mancipium, item in illo, qui accepto pretio suscipit periculum mortis, aut mutilationis.

Resp. 2. *distinguendo assumptum*, vita & corpus hominis nullam recipiunt æstimationem ratione sui, & secundùm se considerata, *transeat*, spectata secundùm usum, ad quem jus habemus: *nego assumptum*: ut sic enim non superant omne pretium, sed ad arbitrium prudentis viri æstimari possunt, ut patet ex dictis.

Deindè vita, & corpus hominis recipiunt æstimationem si non totalem, & adæquatam, saltem inadæquatam, idque ex conventione partium, & arbitrio prudentum.

Obj. 2. Qui abstulit mille florenos, nec habet undè restituat, non tenetur compensare in alio genere V. G. in honore, vel bonis spiritualibus: ergo cum vita, & membra corporis nequeant restitui secundùm se, non tenemur in alio genere compensare.

Resp. *negando consequentiam*, quià cum pecunia sit ex naturâ suâ restituibilis, possitque fur ad meliorem fortunam venire, & idoneus fieri ad restituendum; Dominus pecuniæ ablatæ compensationem in

alio

alio genere poſtulare non ſolet, quamvis abſolutè poſſet exigere furis operam, laborem &c. porrò uſus vitæ, & membri nunquam reddi poteſt, hinc homicida, vel mutilator ſtatim in alio genere damnum iſtud compenſare tenetur.

Obj. 3. Ergo quamvis homicida plectatur capite, ad compenſationem hæredibus occiſi præſtandam obligatur.

Reſp. quamvis nonnulli exiſtiment, quod tunc homicida plenè ſatisfaciat juſtitiæ reddendo vitam pro vitâ, rectiùs tamen admittitur etiam illo caſu reparationem damni hæredibus eſſe præſtandam, quià per hoc quod homicida plectatur capite, ſatisfit quidem Juſtitiæ vindicativæ reſpectu Reipublicæ, ſed non juſtitiæ commutativæ reſpectu partis læſæ; cum damna ipſi illata non reſarciantur. Prætereà fur tenetur ad reſtitutionem rei furto ablatæ, quamvis ſuſpendatur: ergo &c.

Advertе tamen aliquando nihil exigi ab hæredibus occiſi, ne quidem pro compenſatione damnorum realium, præſertim quando nobilitate, & divitiis eminent, quià ut plurimùm contenti ſunt ſola morte homicidæ, quo caſu nec homicida, nec hæredes ejus ad ullam compenſationem obligantur. Cæterùm hoc non provenit ex naturâ rei, neque ex ſatisfactione præſtitâ per mortem homicidæ, ſed ex liberali condonatione hæredum occiſi.

QUÆSTIO XII.

Nonnulla expediuntur materiæ jam diſcuſſæ affinia.

PEtes 1. *An homicida eximatur ab onere reſtituendi, ſi lethaliter læſus à Confeſſario interrogatus, utrum injuriam ſibi illatam homicidæ remittat, reſpondeat ſe remittere?*

Resp. *negativè*. Ratio est, quià talis remissio injuriæ, quando nihil aliud additur, tantùm intelligitur, & procedit secundùm legem charitatis, ita ut vulneratus tantùm significet sese inimicum non persequi odio, nec privatæ ultionis vindictam adversùs homicidam expetere : cui non adversatur, quod jus ad compensationem damni illati sibi, suisque hæredibus velit reservatum.

Petes 2. *An hæredes occisi justè aliquid possint prætendere, si jam ex vulnere moriturus, consideratâ homicidæ paupertate ei remittat compensationem, quam pro usu vitæ adempto, aliisque damnis ex morte secuturis præstare deberet* ?

Resp. *negativè*, quià sicut Testator ante mortem de bonis suis pro suo libitu disponere potest, & illa aliis elargiri, ità quoque obligationem reparandi damna injustè sibi illata, aut inferenda relaxare valet.

Petes 3. *An lethaliter vulneratus relinquens superstites uxorem, & liberos, quos alere debebat, validè remittat Homicidæ compensationem lucri illius cessantis, quo familiam sustentabat*?

Resp. 1. Quod ejusmodi condonatio sit inofficiosa, & certò illicita, utpotè charitati repugnans.

Resp. 2. Si occisus ad ejusmodi sustentationem ex justitiâ tenebatur, non videtur illi compensationi, utpotè hæredibus ex justitiâ debitæ, posse cedere, quandoquidem jus illorum extinguere nequeat.

Petes 4. *An occisor teneatur ad restitutionem, si cum altero quasi ex pacto inierit duellum, eâ scilicet lege, ut, uterlibet occumberet, superstes eximeretur ab obligatione restitutionis*?

Resp. *negativè*, quià in isto casu uterque suo jure decidit, & obligationem restitutionis sponte relaxat.

Petes 5. *An resolutio data locum etiam habeat, quando duellum prævià quidem provocatione, & con-*

ventio-

ventione initur, ſed de relaxando reſtitutionis onere non fit mentio ?

Reſp. Non nulli hîc tacitum relaxationis pactum intercedere opinantur, & idcircò occiſorem ab obligatione reſtitutionis eximunt Verùm neque provocans, neque provocatus videtur juri ſuo, quod habet ad reſtitutionem ex hypotheſi quod occidatur, velle cedere, quandoquidem inimico nullâ in re favêre, ſed omne ipſi nocumentum inferre intendat.

Petes 5. *An teneatur ad reſtitutionem, qui calumniis, & injuriis ad pugnam provocatus, alterum occidit ?*

Reſp. *affirmativè*, quià talis injuſtè alteri vitam adimit, adeòque eſt injuſta cauſa damnorum, quæ ex illâ occiſione ſequuntur.

Nec refert, quod ab altero fuerit irritatus, quià id occiſionem ab injuſtitiæ labe non expurgat.

Petes 7. *An reſtitutionis onere gravetur, qui injuſtum invaſorem occidit ?*

Reſp. 1. Ex dictis ſatis liquet illum reſtitutionis vinculo innodari, qui invaſorem famæ, pudicitiæ, pecuniæ, aut honoris perimit.

Dices tamen: quamvis in iſtis caſibus injuria Deo inferatur, quatenùs vita ejus dominio ſubjecta ſine ejus conſenſu deſtruitur, invaſor tamen de adempto vitæ uſu rationabiliter conqueri non poteſt, ut neque de damnis realibus ex ſuâ morte fluentibus.

Reſp. hoc argumentum non nihil probabilitatis pro oppoſito gignere; quarè ejuſmodi homicidis obligationem omnia prorsùs damna ex æquo reparandi imponere nolim. Cæterùm reſpondêri poſſet, nimis magnam eſſe inæqualitatem inter uſum vitæ, qui invaſori eripitur, & inter illa bona, quæ ipſe alteri auferre nitebatur.

Reſp. 2. Qui invaſorem vitæ perimit ad reſarcienda damna realia ex ejus nece provenientia non videtur

detur obstrictus. Imò etiam verosimilius est, quod pro ablato vitæ usu hæredibus defuncti nihil rependere teneatur. Sanè si quis eum, qui domum suam incendere nititur, repellere, & avertere nequeat, nisi ædes ipsius incendendo, restitutionis nexu non vinciˆtur : ergo similiter qui ad conservandum vitæ suæ usum invasori usum vitæ adimit, nihil compensationis præstare debet.

Verùm si invasus aliâ viâ mortem effugere potuerit, illum à restitutionis obligatione exemptum nolim, si invasorem necaverit.

QUÆSTIO ULTIMA.

Quando contrahatur Irregularitas ex homicidio?

Dico 1. Certum est irregularitatem non incurri per homicidium non liberum, nec humano modo commissum; ut si quis V. G. occidat in somno, vel amentiá. Patet ex Clementinâ unicâ *de homicidio*, in qua dicitur: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit.* Ex quo

Collige 1. Non incurri irregularitatem ex homicidio nullo modo voluntario, quale est purè casuale, quod neque præviSum est, neque prævidêri potuit, præsertim si homicida dederit operam rei licitæ. Id etiam erυitur ex Cap. *Lator.* Cap. *dilectus.* & Cap. *exhibita.* de homicidio.

Collige 2. Eum non contrahere irregularitatem, qui hominem occidit pōnendo actionem licitam, quamvis ex suo genere periculosam, adhibendo scilicet debitam circumspectionem, ut homicidium ex eâ non sequatur, ut expressè declaratur Cap. ultimo *de homicidio.*

Et ratio est, quià tunc homicidium nullo modo est vo-

voluntarium, nec agitur contrà manſuetudinem, quam Eccleſia in ſuis miniſtris requirit.

Dico 2. Etiam non contrahitur irregularitas ex occiſione invaſoris vitæ, quæ fit ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, id eſt, merè ex neceſſitate propriam vitam conſervandi. Liquet ex *Clementinâ* jam citatâ, ubi poſtquam homicidium involuntarium exemptum eſt ab irregularitate, ſubjungitur: *Idem cenſemus de illo, qui mortem aliter non valens vitare, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem*

Obj. in *Tridentino* ſeſſ. 14. cap. 7. de reformatione dicitur: *ſi verò homicidium non eſt ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe à morte defenderet, commiſſum fuiſſe narretur: quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum, & altaris Miniſterium, & beneficia quæcumque, ac dignitates jure quodammodò diſpenſatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex causâ Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo, qui non niſi causâ cognitâ, & probatis precibus & narratis, nec aliter diſpenſare poſſit:* atqui non diſpenſatur in irregularitate, niſi incurratur: ergo &c.

Reſp. hoc argumentum nimium probare, ſcilicet quod contrahatur irregularitas etiam ex homicidio merè caſuali, ut ex verbis objectis patet. Quarè dicendum, diſpenſationem ibi accipi *latè*, ſcilicet pro permiſſione alicujus rei.

Non deſunt, qui exiſtimant *Tridentinum* agere de caſu, in quo dubium eſt, an occiſor non exceſſerit moderamen inculpatæ tutelæ.

Dico 3. Irregularitas incurritur per homicidium graviter culpabile. Id omnibus eſt in confeſſo. Imò non nulli exiſtimant ſatis plauſibiliter irregularitatem contrahi, quamvis occidens negligentiam, ſeu culpam tantùm venialem commitat, quod in praxi tenendum nullus ambigo.

Dico 4. Certum eſt irregularitatem poſſe contra-

hi ex occisione prorsùs inculpabili, modò sit voluntaria: *Judex* enim furem morti adjudicando, nec vel venialiter delinquit, uti neque *tortor* illum suspendendo, & tamen uterque irregularitatis nexu constringitur. Imò generatim dici posset irregularitatem contrahi ex quovis homicidio plenè voluntario, nisi sit ratio excipiendi, ut colligitur ex Canone primo Distinct. tertiâ.

Porrò *Clementina* excipit casum, quo quis occidit invasorem vitæ servato moderamine inculpatæ tutelæ, id est, ex necessitate vitam tuendi.

Collige, illum irregularitatis ligamine stringi, qui vel *honoris*, vel *pudicitiæ*, vel *pecuniæ* conservandæ causâ hominem perimit.

Dices: irregularitas est censura, seu pœna Ecclesiastica: atqui pœna non infligitur nisi ratione culpæ: ergo irregularitas non contrahitur per occisionem licitam.

Resp. irregularitatem non semper esse pœnam, seu Ecclesiæ censuram, sed aliquando esse merum impedimentum respectu susceptionis, vel administrationis Ordinum ex causâ legitimâ ab Ecclesiâ constitutum.

Irregularitas igitur non imponitur Judici, aliisque licitè occidentibus in pœnam, sed quià non sunt præditi eâ mansuetudine, quam Ecclesia requirit in Ministris Altaris, qui debent imitari lenitatem, & mansuetudinem à Christo exhibitam in suâ Passione, quæ per Sacrificium Missæ repræsentatur.

Collige, quod etiam irregularitas nata ex defectu natalium, vel ex deformitate corporis non habeat rationem censuræ, sed sit tantùm impedimentum Canonicum.

Dico 5. Non omnis ille fit irregularis, qui dans operam rei illicitæ hominem occidit.

Prob. 1. quià fieri potest, ut occisio ex actione illicita

cita proveniat merè casualiter citrà intentionem, & voluntatem agentis, ità quidem ut homicidium prævidêri nullo modo potuerit, V. G. si Clericus contrà prohibitionem Ecclesiæ venationi vacans hominem occidat, quem putat esse feram. In quo casu irregularitatem non incurri, patet ex dictis, quià homicidium planè involuntarium ligamen istud non injicit.

Prob. 2. Si Laicus venetur in Sylvâ alienâ sine facultate Domini, dat operam rei illicitæ: atqui tamen non fit irregularis, si merè casualiter hominem occidat: ergo &c.

Collige, cum non fieri irregularem, qui alteri infligit vulnus non lethale, nec periculosum, quamvis mors aliundè sequatur, V. G. ex imperitiâ Chirurgi, ut expressè dicitur Cap. *significasti.* secundo de homicidio, quià mors alterius non est ipsi ullo modo voluntaria

Obj. 1. Cap. *Dilectus.* de homicidio Capellanus quidam, qui equitando casu puerum occiderat, excusatur ab irregularitate, *quià nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam rei illicitæ:* ergo homicidium casuale, quod ex opere illicito sequitur, inducit irregularitatem.

Resp. *distinguendo consequens*, ergo homicidium, quod sequitur ex opere illicito ex naturâ suâ, seu circumstantiis periculoso (de quo agit Capitulum) inducit irregularitatem, *concedo consequentiam*, quod sequitur ex opere illicito nullatenùs periculoso, inducit irregularitatem, *nego consequentiam.*

Obj. 2. S. *Thomas* 2. 2. q. 64. art. 8. ad secundum dicit, eum, qui percutit mulierem prægnantem incurrere homicidii reatum, si mors pueri, vel mulieris fortuitò sequatur, quia dedit operam rei illicitæ.

Resp. verba D. *Thomæ* esse hæc: *qui percutit mulierem*

lierem prægnantem dat operam rei illicitæ, & ideò si sequatur mors mulieris vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen, præcipuè cum ex tali percussione in promptu sit, quod mors sequatur. Quarè manifestum est eum nobis non adversari: quià non dicit homicidium imputari præcisè, quià sequitur ex opere illicito, sed quià provenit ex opere periculoso, nempè ex percussione, ex quâ in promptu sit, quod mors sequatur.

Instabis, verba postrema, nempè *præcipuè cum ex tali percussione in promptu sit, quod mors sequatur*, innuunt, quod quamvis id in promptu non sit, equidem homicidii reatus incurratur.

Resp 1. *Negando assumptum.*

Resp. 2. Verbis D. *Thomæ* hunc sensum posse tribui, *qui prægnantem percutit, homicidii reus est, quià exercet actionem periculosam, & quidem adeò periculosam, ut in promptu sit mortem ex eâ sequi.*

Obj. 3. Cap. *Tua nos.* de homicidio, refertur de quodam Religioso, quod alicui mulieri ferro inciderit tumorem gutturis, seu apostema, quæ ab eodem admonita ne aëri se exponeret; nihilominùs se exposuit, & ex illâ occasione obiit: additur autem, quod Religiosus irregularitati fuerit obnoxius.

Porrò hujus rei ratio assignari non potest, nisi quià dederat operam rei illicitæ, officium Chirurgi exercendo, & guttur feminæ incidendo, quod prohibetur Clericis Cap. *Sententiam Sanguinis.* titulo *ne Clerici, vel Monachi.*

Resp. 1. Incertum esse, an Monachus ille Chirurgiæ satis fuerit peritus, item an incisio ex se periculosa non fuerit.

Resp. 2. Si supponatur actionem attentis omnibus circumstantiis periculosam non fuisse, Religiosum non incurrisse irregularitatem, quià in Capitulo citato expressè dicitur, *licet ipse Monachus multùm deliquerit*

querit officium alienum usurpando, quod sibi minimè congruebat. Si tamen causâ pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in officio Chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere, non ex eo, quod per culpam mulieris contrà consilium ejus accidit, adeò reprobandus, quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut Divina valeat celebrare.

Instabis, immediatè subjicitur: *alioquin interdicenda ei sacerdotalis Ordinis executio in rigore.*

Resp. hoc dici ex supposito, quod non fuerit satis peritus, vel sufficientem diligentiam non adhibuerit, ut ait Glossa: quod etiam colligi potest ex particula *alioquin*, quæ solet facere sensum contrariuum præcedenti.

Pro Coronide *Notandum* 1. Homicidium, & mutilationem in ordine ad contrahendam irregularitatem in Jure fermè æquiparari, ideòque casus, in quibus irregularitas ratione homicidii contrahitur, etiam ad mutilationem cum proportione esse extendendos.

Notandum 2. Irregularitatem contrahi non tantùm ab illo, qui per se occidit, vel mutilat, sed etiam ab iis, qui propinquam mortis causam voluntariè præbent, & concurrunt moraliter, etiam citrà culpam, ut colligitur ex Can. *si quis viduam.* distinctione 20. & aliundè. Hinc qui consilium, vel auxilium præbent occidenti, vel præmium ipsi addicunt; *item* qui mortem alterius verbo, vel facto accelerant, sive moriens sit infirmus, sive non, irregularitatis ligamine constringuntur.

CAPUT VII.

De Injuria, & Restitutione

RATIONE

Stupri, & Adulterii.

QUÆSTIO I.

Ad quid teneatur, qui corrupit Virginem consentientem?

Nota 1. Septimo Decalogi præcepto NON MOECHABERIS septem impudicitiæ species prohibêri, scilicet *fornicationem simplicem*, *adulterium*, *stuprum*, *raptum*, *incæstum*, *Sacrilegium*, & *peccatum contrà naturam.* De his fusè agunt Scholastici, quos Confessarii consulere possunt. Nobis hîc potissimùm agendum de Stupro, & Adulterio scilicet in ordine ad restitutionem.

Nota 2. *Stuprum* accipi tripliciter. *Primò* pro omni concubitu extra-Matrimoniali. *Secundò* pro concubitu violento, ut si quis Virginem invitam violet. *Tertiò* pro corruptione puellæ Virginis extrà statum Matrimonii, sive consentiat, sive non. De stupro in *secundâ* & *tertiâ* acceptione hîc est quæstio, ad quam

Resp. & *Dico* 1. Qui corrupit Virginem liberè consentientem, id est, nec vi, nec fraude, nec importunis solicitationibus inductam, sed ultrò se offeren-

ferentem, vel leviter rogatam, non tenetur aliquid reſtituere, nec eam ducere, vel dotare.

Ratio eſt, quià ſcienti, & volenti non fit injuria, ut antè dictum eſt, quando nempè juri ſuo cedere poteſt: atqui certum eſt Virginem poſſe ſuo juri cedere, quantùm ad reparationem damnorum ipſi ex crimine emergentium: ergo &c.

Dices: Virgo non poteſt extrà Matrimonium alicui cedere uſum ſui corporis: ergo illa titulo compenſationis aliquid prætendere poteſt.

Prob. antecedens, quià ſi jus ad uſum ſui corporis in alterum tranferret, actus fornicationis mali nihil involveret, imò fornicatio non eſſet, quandoquidem jus ad uſum mutui corporis intercederet.

Reſp. 1. Nonnullos dicere, quod femina in caſu det jus ad utendum ſuo corpore validè, id eſt, citrà injuriam, quamvis non ad utendum licitè, quod in ſolo Matrimonio tradi aſſerunt. Sed hæc reſponſio non nihil habet difficultatis.

Reſp. 2. Quod quamvis non poſſit cedere juri in corpus ſuum extrà Matrimonium, tamen relaxare valeat obligationem reſtitutionis, quam alter ratione corporis violati præſtare teneretur. Porrò quando in ſui violationem ultrò conſentit, cenſetur cedere juri, ſi non corporis, ſaltem præſtandæ alioquin compenſationis.

Obj. 2. Parentes equidem, vel Tutores Virginis ſupponuntur inviti: ergo illis ſaltem reſtitutio aliqua fieri debet.

Reſp. *negando conſequentiam*, quià Parentibus, ſeu Tutoribus nihil infertur injuriæ, quandoquidem nihil juris in corpus Virginis habeant.

Inſtabis, fieri poteſt, ut Parentes per filiæ corruptionem famæ jacturam patiantur, imò & dotem augêre debeant, ut filiam juxtà ſtatum, & conditio-

ditionem ſuam nuptui tradant : ergo &c.

Reſp. quod filia æquè ac corruptor ad illa damna concurrat, quam tamen omnes ab obligatione reſtitutionis abſolvunt.

Quantùm ad nuptias dici poteſt, quod Parentes ad illas jus ſtrictè dictùm non habeant, ſed electio ſtatûs ab arbitrio filiæ plenè dependeat, ſic ſaltem ut per illam Parentibus nihil injuriæ irrogetur.

Quantùm ad famam, admittendum videtur, quod corruptor, uti & filia, compenſationis aliquid præſtare teneantur, ſi nempè Parentes id exigant.

QUÆSTIO II.

Ad quid obligetur Corruptor Virginis invitæ?

P*Rænotandum*, quod Virgo tripliciter invita eſſe poſſit. *Primò* ſimpliciter, & abſolutè, itaut nullo modo conſentiat. *Secundò* poteſt eſſe invita ſecundùm quid, ità nempè ut quidem conſentiat, ſed ex metu reverentiali Corruptoris, vel ob graves minas ab eo intentatas. *Tertiò* etiam cenſetur invita, quando conſentit propter moleſtas, & difficiles admodùm alterius ſolicitationes, quæ morali violentiæ æquiparantur.

Dico 1. Si quis Virginem ſenſu jam dato invitam corruperit, eique Matrimonium promiſerit, certum eſt, quod corruptam ducere teneatur.

Ratio eſt, quià aliàs puella foret graviter decepta, & ingens damnum pateretur ex fraude corruptoris, promiſſis ſtare renuentis.

Excipi ſolet caſus, in quo puella potuit facilè dignoſcere, quod Matrimonium non ſeriò promitteretur, quià V. G. promiſſor ſermone ambiguo utebatur, vel inæqualis adeò conditionis eſt, ut non prudenter potuerit ipſi credere : tunc enim ſeſe deceptam conqueri non poteſt. *Obj.*

Obj. Promiſſio illa non ſolet fieri niſi ſub conditione actûs turpis, ſive eâ lege, ut puella faciat copiam ſui corporis: ergo jure naturæ irrita, & invalida eſt, quandoquidem promiſſiones ob turpem cauſam nihil habeant roboris, ut in Tractatu *De Contractibus* oſtendetur.

Reſp. quamvis promiſſiones ejuſmodi juræ naturæ ſupponantur invalidæ, tamen jure gentium, & conſuetudine populorum vim, & valorem obtinent.

Dico 2. Si talis corruptor non promiſerit Matrimonium, tenetur puellam vel ducere, vel ſic dotare, ut æque commodè poſſit nubere, vel in alio ſtatu collocari.

Ratio eſt, quià aliàs eſſet injuſta cauſa damni. Porrò cum id non habeat rationem pœnæ, ſed debiti, ad hoc obligatur etiam ante ſententiam judicis.

Inſuper admodum veroſimile eſt, imò practicè certum, quod compenſatio aliqua pro integritate corporis violatâ præſtari debeat

Si alia quoque damna ex Stupro oriantur, etiam hæc citrà dubium compenſanda erunt.

Petes: *Quid ſi puella corrupta tam benè nupſerit, acſi violata non fuiſſet?*

Reſp. quod compenſatio tunc per dotem fieri non debeat, quià puella non patitur damnum, cui ſtuprator per dotem occurrere teneatur. Compenſanda tamen tunc erit ablata corporis integritas ad arbitrium prudentis viri. Imò non eſt improbabile, compenſandum eſſe periculum non æquè benè nubendi, ſi illud verè ſubfuerit.

CAPUT VII.

QUÆSTIO III.

An Stuprum Fornicationi ſpecialem ſuperaddat malitiam?

Dico 1. Certum eſt, quod Stuprum Virginis ſimpliciter invitæ, id eſt, nullo modo conſentientis ſpecialem deformitatem neceſſariò in Confeſſione exprimendam ſimplici fornicationi ſuperaddat, & peccatum ſpecie diſtinctum conſtituat.

Ratio plana eſt, quià præter malitiam fornicationi intrinſecam, ſpecialis, & admodum gravis injuria Virgini infertur, quatenùs integritas corporis illius, & ſignaculum pudoris ab invitâ aufertur, & illa variis inſuper damnis involvitur.

Idem ſtatue de Stupro Virginis invitæ ſecundùm quid, ad ſenſum anteà datum, quià licet tunc Virgo *ſimpliciter*, & abſolutè conſentiat, ipſi equidem infertur injuria, quatenùs eâ libertate privatur, quam natura cuilibet attribuit.

Dico 2. Plurimi exiſtimant ſtuprum Virginis, etiam liberè conſentientis, ſpecialem involvere deformitatem à malitiâ Fornicationis diſtinctam, præſertim ſi Virgo ſit ſub cuſtodiâ Parentum, vel Tutorum. Ità ſentire videtur S. *Thomas* 2. 2. q. 144. art. 6. nixus duplici ratione, quam ibidem in Corpore aſſignat.

Prima eſt, quod puella impediatur à legitimo matrimonio, & ponatur in viâ meretricandi. *Altera* eſt, quod infringatur cuſtodia Parentum. In reſponſione ad primum ſuperaddit *Tertiam*, nempè quod ſignaculum pudoris, & illa corporis integritas Virgini à Naturâ ſic detur, ut extrà matrimonium tolli licitè nequeat.

Eſt tamen, qui opinatur D. *Thomam* tantùm age-

re

re de Stupro Virginis, quæ seducitur, quià in responsione ad tertium sic ait: *Habet stuprum duplicem injuriam annexam, unam quidem ex parte Virginis, quam etsi non vi corrumpat, tamen eam seducit, & tenetur ei satisfacere..... aliam verò injuriam facit patri puellæ.*

Dico 3. Admodum probabile est Stuprum Virginis liberè consentientis specialem malitiam non complecti, quamvis Virgo sit sub custodiá Parentum, & ipsi non consentiant.

Prob. quià non penes Parentes, aut Tutores, sed apud solam Virginem existit jus, & dominium integritatis corporis, quæ Stupro violatur: ergò parentibus nihil infertur injuriæ.

Neque corporis integritas, quæ actu ejusmodi aufertur, specialem fundare videtur malitiam, quandoquidem illa potestati, & juri Virginis plenè subjaceat.

Obj. 1. Quamvis Maritus in adulterium suæ uxoris consentiat, actus tamen ille specialem continet malitiam à deformitate simplicis fornicationis distinctam: ergo &c.

Resp. *negando consequentiam*, quià consensus ille Mariti nihil prorsùs operatur, & res perindè se habet, acsi non consentiret, adeòque ipsi infertur injuria, quatenùs adulter corpore non suo utitur: porrò in nostro casu nihil simile intervenit, cum nulli peculiaris per actum ejusmodi injuria irrogetur.

Obj. 2. Struprum Virginis consentientis non dumtaxat Castitati, sed etiam Virginitati repugnat: ergo specialem involvit malitiam in Confessione denudandam.

Resp. *negando consequentiam*, quià Virginitas specialiter in præcepto non est, aliàs primus actus conjugalis esset illicitus, & peccaminosus; actusque Virginitati contrarius malus non est, nisi quatenùs castitati adversatur.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Ad quid obligetur Adulter, ſi proles ex adulterio genita ſit?

RESP. & *Dico*, quod obligetur ad compenſationem omnium damnorum, quæ obveniunt Marito adulteræ, & proli legitimæ, aut hæredibus.

Ratio plana eſt, quià ipſe omnium illorum damnorum injuſtè cauſam dedit.

Inter hæc damna recenſêri debent expenſæ, quæ fiunt circà prolem illegitimam, ſcilicet ab anno tertio completo, & deinceps: ſiquidem quod pater onere prolis ſpuriæ poſt triennium, & deinceps gravetur, mater verò à partu uſque ad annum tertium, ſatis convenit inter Authores, & colligitur ex Cap. *Ex litteris.* de converſione infidelium, & aliundè.

Sunt & alia damna, quæ conſequi ſolent: V. G. quod proles illegitima fiat hæres bonorum Mariti adulteræ, quod accipiat dotem in ordine ad matrimonium, quod intuitu illius ſpeciales fiant expenſæ V. G. ut ſtudeat ſcientiis altioribus, ut promoveatur ad Officium, ut adipiſcatur Statum conditioni ſuæ putatitiæ congruentem, &c.

Hæc omnia reſarcire tenentur Adulter, & Adultera, ſi proles illegitima communi conſilio ſupponatur tanquam legitima. Iſti autem obligationi ſatisfacere debent per bona ſuæ diſpoſitioni relicta, ſi quæ habeant, vel per Laborem extraordinarium, vel parcendo ſumptibus, quos in veſtimentis, & aliis jure facere potuiſſent.

Petes 1. *Quid ſi adulter non ſuaſerit, neque conſenſerit, ut proles illegitima ſupponeretur?*

Reſp. illum equidem certò obligari ad alimenta,

ta, & ſuſtentationem prolis illegitimæ poſt triennium, quandoquidem hæc ipſi debeantur, donec alimenta ſibi conquirere poſſit.

Quoad damna, quæ ex ſuppoſitione naſcuntur, ut V. G. quod proles illegitima ſuccedet in hæreditatem cum aliis liberis, non adeò certum eſt, quod illa reparare teneatur. Plurimi exiſtimant illum ad hoc obligari, alii non improbabiliter autumant, id ſolùm verificari, quando ſuppoſitio prolis commodè evitari non potuit, vel adulter non adhibuit ſufficientem diligentiam ad illam impediendam. Si enim Adulter omni modo ſuppoſitionem impedire ſtuduerit, & Adultera ipſo invito prolem malitiosè ſupponat, neque ſuppoſitio, neque damna ex illâ provenientia adultero videntur voluntaria; *nam ille, qui occaſionem dat, licet videatur dammum dediſſe, ſecùs tamen de illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nihil omiſit.* ut ait *Gregorius* IX. Cap. ultimo de injuriis.

Obj. Adulter perpetrando adulterium dedit operam rei illicitæ, & quidem periculoſæ, id eſt, tali, ex quâ ejuſmodi damna ſequi nata ſunt, & plerumque ſequuntur, ergo &c.

Reſp. *diſtinguendo antecedens:* dedit operam rei illicitæ, & periculoſæ ex ſuo genere, *concedo antecedens:* periculoſæ, attentis omnibus circumſtantiis, & diligentiâ ab Adultero adhibitâ, *nego antecedens:* porrò ut damna Adultero poſſent imputari, debuiſſet actionem ponere hîc & nunc omnibus conſideratis periculoſam, & ejuſmodi damna cauſare natam.

Petes 2. *Quid ſi proles exponatur in Hoſpitali, aut alibi, Reipublicæ ſumptibus, aut piorum Eleëmoſynis alenda?*

Reſp. expenſas omnes prorsùs eſſe compenſandas, niſi forſitan ex inopiâ id fieret. Ratio eſt, quiâ fundatio-

dationes illæ tantùm constitutæ sunt in favorem pauperum, ad illorum proles piè, & honestè educandas.

QUÆSTIO V.

Ad quid obligetur Adulter, si proles ex crimine non sequatur?

RESp. & *Dico*, in illo casu Adulter nihil compensationis præstare tenetur, quià non intulit damnum.

Nec refert, quod per adulterium Marito adulteræ injuriam intulerit: quià si maritus id resciat, non tenetur illi satisfacere nisi petitione veniæ, similive modo, cum leges prohibeant convenire pro injuriâ adulterii, scilicet ne Maritus videatur suæ uxoris lenocinium facere, ut habetur Leg *Miles.* 11. ff. ad legem Juliam de adulteriis, & *Leg. Transigere.* 18. Cod de transactionibus.

Petes 1. *An Maritus adulteræ possit clam pacisci cum adultero de injuriâ?*

Resp. *affirmativè*, undè non tenebitur ad restitutionem pecuniæ ex tali pacto receptæ. Ratio est, quià ejusmodi conventio ex naturâ rei licita est, & Leges, quæ eam prohibere videntur, concernunt judices, illisque tantùm cavetur, ne in foro externo Marito adulteræ actio concedatur ob præsumptionem lenocinii. Saltem Jura similibus pactis valorem non adimunt, præsertim quando occultè fiunt.

Verùm si injuria Marito adulteræ illata sit pretio æstimabilis, ut passim admittitur, non apparet, quomodò adulter ab omni restitutione, seu compensatione eximatur, quamvis Maritus non sit conscius adulterii: si enim quis alterius rem destruxerit, aut corruperit, ipsi etiam ignaro restitutionem præstare tenetur.

Petes

Petes 2. *Quid si adulter dubitet, an proles ex adulterio, an ex Matrimonio genita sit?*

Resp. quamvis non nulli tunc adulterum eximant ab onere prolem sustentandi, & damna compensandi, tamen omninò certum est, quod illo casu ad medietatem tum sustentationis, tum compensationis damnorum obligetur juxtà regulas antecedenter traditas: quisquis enim de damno illato dubitat, saltem partem ejus cum proportione ad qualitatem dubii resarcire tenetur.

Frustrà hîc obtruditur tritum istud: *in dubio melior est conditio possidentis*, quià quo sensu id accipiendum sit, ex dictis satis liquet. Sanè etiam Maritus adulteræ onus alendi prolem hoc argumento à se facilè propulsare posset, atque ità nullus erit, qui ad sustentationem prolis obligetur. Fortè satiùs foret hîc applicare hanc regulam: *melior est conditio innocentis, quam nocentis*: atqui maritus adulteræ est insons, adulter autem certò nocens: ergo ab istis gravaminibus eximendus foret potiùs Maritus, quam Adulter.

Adde, quod quamvis hîc dubitetur, an proles ex adulterio nata sit, tamen indubitatum existat, quod partem damnorum, quæ verò similiter causavit, reparare debeat.

Petes 3. *Quid aget Adultera, quæ prolem spuriam supposuit ut legitimam, si nequeat labore speciali, aut simili modo compensare damna, quæ ex suppositione proveniunt?*

Resp. quod studiosè in id incumbere debeat, ut prolem spuriam expensis, ut fieri potest minimis, ad statum aliquem perducat, ità tamen ut nimiâ importunitate libertati non officiat.

Cæterùm non tenetur adultera Marito, vel ipsi spurio crimen suum aperire, partim quià non debet ejusmodi damna cum tanto suo gravamine,

ſcilicet diſpendio famæ impedire; partim quià natum eſt fieri, ut ipſi non credatur, & graviſſimæ lites, ac difficultates indè naſcantur.

Non nulli id colligunt ex Cap. *Officiis.* de pœnitentiis, & remiſſionibus. Caſus tamen excipi ſolet, in quo adultera famam ſuam jam manifeſtè perdidiſſet, cum tunc ex illâ declaratione non adeò grave pateretur incommodum.

Si tamen prævideret ſibi non credendum, & gravia indè incommoda naſcitura, rem pandere non teneretur.

Petes 4. *An ſpurius teneatur credere Matri dicenti ſe illum ex adulterio genuiſſe?*

Reſp. ſi mater notoriè proba ſit, & crimen ſuum declaret ſub juramento, præſertim in articulo mortis, aut aliis circumſtantiis, in quibus homo prudens nequit fraudem præſumere, non video, cur ipſi fides adhibêri non debeat

Si tamen ex circumſtantiis prudenter dubitari poſſit, an Mater ejuſmodi declaratione aliis liberis favêre non velit, & ex odio non procedat, propriam turpitudinem alleganti non neceſſariò credendum erit.

Petes ultimò: *An peccaret Adultera, ſi in articulo mortis curaret convocari omnes liberos, diceretque: filii mei, ut ſatisfaciam meæ conſcientiæ, declaro unum ex vobis eſſe illegitimum. An vultis eum nominari?* Talem caſum ſuo tempore contigiſſe Avenione memorat Alciatus libro 8. cap. 12. addens filios omnes ſibi mutuo condonaſſe, eoquòd quiſque ſibi metueret.

Reſp. quod Adultera peccaret, 1. quià ſic proles legitimas infamaret, quatenùs eas redderet ſuſpectas illegitimitatis 2. quià injuſtè metum gravem incuteret prolibus legitimis, ratione cujus facilè renuntiarent juri ad hæreditatem ampliorem, quià

natum

natum eſt fieri, ut quiſque ſibi timens juri ſuo cedat.

Sed major eſt difficultas, an Adultera morti vicina ſpurio ſoli rem detegere non debeat, ſcilicet ut ipſe ab hæreditatis occupatione abſtineat, vel hæreditatem occupatam occultè reſtituat.

Ex unâ parte urget damnum, quod proli legitimæ obveniet, niſi ſpurio crimen ſuum denudet. Ex aliâ parte à manifeſtatione illâ retrahit, quod ſeipſam, & prolem legitimam apud ſpurium infamet.

Accedit, quod forſan timêre poſſit, ne ſpurius ille contrà conſcientiæ dictamen partem hæreditatis, non obſtante illâ declaratione, equidem occupare velit, aut infelicitatem ſuam coram aliis deploret cum detrimento famæ non dumtaxat adulteræ, ſed etiam prolis legitimæ. Quæ omnia me inclinant, ut matrem illam iſtius declarationis onere minimè gravandam putem

CAPUT VIII.

De Injuriâ, & Reſtitutione ratione Furti.

QUÆSTIO I.

Quid Furtum, quid Rapina? Et an ſpecie inter ſe differant?

PRænotandum, Furtum accipi *latiſſimè*, *latè*, & *ſtrictè*. *Latiſſimè ſumptum* comprehendit omnes actiones, & omiſſiones, quibus proximus in bonis fortunæ injuſtè læditur, ſive rem ejus uſurpando,

sive destruendo, sive deteriorando, sive non solvendo ei, ad quod jus, seu actionem ex justitiâ habet, sive alio quovis modo. Ità accipitur in octavo præcepto, *Non furtum facies*, ubi omnis actio, vel omissio circà ejusmodi bona, ut justitiæ repugnans prohibetur.

Furtum latè accipitur pro injustâ acceptione rei alienæ, sive quæ fit Domino rationabiliter invito. Furtum sic acceptum etiam Rapinam comprehendit.

Furtum strictè sumptum definitur: *acceptio injusta boni externi absque vi, & consensu ejus, cujus est, saltem quoad possessionem.*

Per ultimas particulas innuitur, quod etiam furtum committatur, quando aliquid accipitur à non Domino, qui tamen jus habet ad usum, vel possessionem rei ablatæ: ut V. G. quando res alteri commodata occultè ipsi aufertur.

Non nulli furtum à contractu usurario per hoc distinguere nituntur, quod usuræ non dentur sine omni consensu solventis: verùm si ratio illa subsisteret, aliquando Rapina rationem furti non haberet, quandoquidem à prædonibus res alienæ sæpius ità extorqueantur, ut earum Domini consentiant, scilicet ex metu mortis, vel alterius mali.

Per ly *absque vi* distinguitur furtum simplex à Rapinâ, in quâ vis aperta Domino infertur.

Resp. & *Dico* 1. Furtum simplex à Divo *Thomâ* definitur; *occulta acceptio rei alienæ invito Domino.*

Dico 2. Rapina est *ablatio rei alienæ videnti, ac renitente Domino.*

Dico 3. Si auferatur res Sacra, vel res profana ex loco Sacro dicitur *Sacrilegium*. Si res pertinens ad æratium publicum dicitur *peculatus*. Si grex, dicitur *abigeatus* scilicet ab abigendo. Si homo liber,

ut mancipatui subjiciatur, dicitur *Plagium*. Si femina ad fruendum, dicitur *Raptus*. Si nihil horum, sed res alia tollatur, dicitur *furtum simplex*.

Dico 4. Rapina à furto simplici specie differt, & peculiarem continet malitiam in Confessione necessariò exprimendam.

Prob. quià per Rapinam specialis Domino injuria irrogatur, scilicet *personalis*, quatenùs ipsi vis infertur contrà jura Societatis humanæ, & libertate suâ privatur.

Declaratur, furtum V. G. mille aureorum est quidem gravius furto unius aurei, sed manet intrà eandem speciem peccati, quià si furtum non esset vetitum, ablatio mille aureorum non foret illicita, imò non aliâ ratione censetur prohibita, quam quià generaliter inhibitum est rem alienam auferre invito Domino. Econtrà verò quamvis non esset prohibitum clam furari, ratio naturalis, & lex æterna adhuc meritò prohiberent auferre alienum renitente Domino propter injuriam, quæ Domino irrogatur per violentiam.

Si quis velit tunc actionem ad aliam speciem transferri, quando repugnat speciali regulæ, seu dictamini rectæ rationis, non abnuo. Cæterùm peculiaris est rectæ rationis regula injuriam personalem, seu violentiam, quæ in Rapina continetur, vetans.

QUÆSTIO II.

An, & quando furtum sit peccatum mortale?

REsp. & *Dico* 1. Furtum ex genere suo est peccatum mortale.

Prob. quià ex se, id est, non transeundo ad aliam speciem peccati potest esse grave: V. G. quando

ingens pecuniæ ſumma aufertur, & grave nocumentum Domino infertur. Hinc primæ ad Corinth. 6. v. 10. dicitur: *neque fures.....Regnum Dei poſſidebunt.*

Dico 2. Furtum poteſt eſſe veniale propter levitatem materiæ.

Prob. quïà injuria furti eſt proportionata damno illato, & damnum correſpondet materiæ ablatæ, quæ proindè ſi levis ſit, injuria, adeòque & materia furti levis ſit oportet.

Obſervandum tamen, quod duplici ex capite lethalis peccati reatum incurrere poſſit, qui rem parvi momenti aufert.

Primò, ſi ex illâ ablatione grave damnum per accidens alicui obveniat: V. G. ſi ſartor poſt ablationem acûs diebus aliquot ab opere ceſſare cogatur. Verùm in iſto caſu actio non erit mortifera in ratione furti, ſed quatenùs eſt gravis damnificatio proximi: hinc ſi furto gravi excommunicatio annecteretur, acum auferens illam non incurreret.

Secundò, ſi quis rem levem auferat, animo tollendi quidquid invenire potuiſſet: tunc enim graviter peccatur affectu, & voluntate, quod proindè in Tribunali Confeſſionis exprimi debet. *Cæterùm* neque in iſto caſu furtum quatenùs eſt ablatio rei alienæ, eſt peccatum lethale, ſed prout à voluntate graviter malâ proficiſcitur.

Dico 3. Gravitas furti per ſe non eſt deſumenda à paupertate, vel divitiis illius, cui res aufertur, ſed à valore rei, quæ furripitur.

Prob. quià gravitas furti peti debet ab injuriâ, & à damno, quod per furtum infertur: atqui damnum commenſuratur ipſius rei valori, quæ aufertur, ita ut dives, cui V. G. imperialis furripitur tantum ſubeat damnum, quantum pauper: ergo &c.

Ut

Ut hoc plenius intelligatur, *observandum*, quod in furto duplex subindè damnum considerari possit, nempè intrinsecum & extrinsecum. *Intrinsecum est privatio rei*, quæ aufertur, omnisque utilitatis, & commoditatis, quæ ex re illâ percipi posset: hoc damnum prorsùs idem esse, sive res auferatur Regi, sive mendico per se patet. *Damnum extrinsecum est*, quod personæ, cui res surripitur, per accidens, id est, ratione alicujus circumstantiæ obvenit; quemadmodum in casu Sartoris antè proposito cessatio lucri.

Obj. pauper plus patitur incommodi ex ablatione rei suæ, & magis est invitus, quam dives: ergo &c.

Resp. incommodum intrinsecum jam delineatum utrobique esse prorsùs idem, quamvis aliquando, vel penè semper incommoditates aliquæ pauperibus extrinsecè obveniant.

Quod autem pauper sit magis invitus, nihil refert, quià aliàs sequeretur, quod furtum sit gravius, quando aliquid surripitur *avaro*, quià ille magis invitus est, quam cæteri.

Hoc igitur in furto attendi tantùm debet, quod Dominus rei ablatæ non consentiat.

Fatendum tamen malitiæ furti aliam quandoque superaddi posse ex eo, quod Dominus rem ablatam peculiariter diligat, ità quidem ut ex ejus ablatione ingentem tristitiam concepturus prævideatur. Similiter & illæ commoditates, quæ pauperibus non numquam obveniunt malitiam furti aggravare queunt.

Dico 4. Quænam materia sit sufficiens respectu furti ad constitutionem peccati mortalis determinandum est judicio prudentis viri, attentis circumstantiis.

Quamvis autem in illâ determinatione non conveniant authores, tamen practicè certum apparet suf-

ficere quantitatem correſpondentem ſtipendio operæ diurnæ operarii artis ſuæ periti, vel etiam ſuſtentationi unius diei, ſcilicet perſonæ mediocris.

Ratio eſt: quià talis quantitas meritò cenſetur notabilis, cùm ſit notabiliter commoda ad uſus humanos: ex quo habetur damnum per ablationem ſimilis materiæ illatum eſſe notabile & grave.

Collige, ad conſtitutionem peccati mortalis ſufficere, & requiri quatuor aut 5 ſolidos, quià talis ſumma videtur hoc tempore, & in his locis ſufficere ad ſuſtentationem diurnam perſonæ etiam haud abjectæ. Cæterùm determinatio iſtius quantitatis non eſt accipienda *Phyſicè*, ſed *moraliter*, & ità qui furatur 28. V. G. aſſes non minùs peccat mortaliter, quam qui aufert triginta.

QUÆSTIO III.

An Domeſticorum furta poſſint eſſe lethifera?

REſp. & *Dico* 1. Certum eſt *Domeſticos* omnes peccato furti graviter delinquere poſſe, ſi aliquid magni pretii, & æſtimationis invito Patre familias uſurpent, quià hic rationabiliter invitus eſſe poteſt, etiam quoad ſubſtantiam rei ablatæ.

Porrò per *Domeſticos* intellige hîc *uxorem*, *filios*, *famulos*, & *famulas*.

Advertendum tamen, quod quantitas eadem, quæ reſpectu extranei furtum grave conſtituit, non ſemper ſufficiat ad fundandam culpam gravem reſpectu Domeſticorum, quià Pater-familias reſpectu horum non adeò invitus eſſe ſolet, & non-numquam tantùm diſſentit quoad modum.

Dico 2. Quænam quantitas requiratur ad furtum grave reſpectu domeſticorum generali regulâ definiri non poteſt, quandoquidem ex multis circumſtantiis

stantiis, à Confessario diligenter .expendendis, dependeat.

Primò considerandа est materiæ acceptæ qualitas, V. G. an sint pecuniæ, an esculenta & poculenta, &c. *Secundò* videndum an ad proprios usus surripiantur, an verò ut aliis dentur. *Tertiò* pensanda est conditio, & status Patris-familias, an sit pauper, an dives, an liberalis in suos, an parcus & tenax. *Quartò* etiam dispicienda qualitas accipientis, an sit uxor, cui plus licet quam aliis, an filius, cui plus conceditur quam servis &c. ex his, dijudicandum est, an Dominus quoad substantiam rei acceptæ graviter sit invitus. Verùm ut etiam in particulari aliquid statuamus,

Dico 3. Si *uxor* excessivas largiatur Eleëmosynas ex bonis mariti dominio subjectis graviter delinquit.

Ratio est, quià alienat rem notabilem Domino rationabiliter invito, etiam quoad substantiam. Hinc S. *Aug.* Epist. 262. aliàs 199. graviter reprehendit feminam, quæ penè omnia, quæ habebat, inscio marito pauperibus erogando donaverat. Verba *Sancti Augustini* sunt: *nihil de tuâ veste, nihil de tuo auro, vel argento, vel quâcumque pecuniâ, aut rebus ullis terrenis sine arbitrio* Viri *facere debuisti.*

Admittendum tamen, quod Uxor Eleëmosynas ordinarias statui suo congruentes præstare tutò queat, quamvis Maritus expressè, & disertè in id non consenserit, quià respectu similium voluntas ejus interpretativa habetur.

Si Maritus in familiæ præjudicium bona dilapidet, uxor quædam pro suâ, & suorum sustentatione occultare, & reservare sine scrupulo potest, si nempè virum emendare nequeat.

Dico 4. Etiam *filius* peccat mortaliter, qui inscius, invitisque parentibus notabile aliquid surripit, si

nempè non tantùm quoad modum, ſed etiam quoad ſubſtantiam diſſentiant. Inter omnes tamen convenit quod plus requiratur, ut furtum filii grave ſit, quam extranei, quià Pater reſpectu filii non adeò eſt invitus, & quamvis ei diſpliceat modus accipiendi, tamen reſpectu ſubſtantiæ ipſius rei, quæ accipitur aliquando diſſentire non cenſetur.

Dico 5. Regula moralis in præſenti materiâ deduci debet ex variis circumſtantiis : V. G. ex opulentia, vel inopiâ Patris, ex ejuſdem liberalitate, vel tenacitate, vel qualitate, & ætate filiorum &c. plus enim Pater dives, & liberalis, quam inops, & tenax filiis indulget; amplius etiam ſenioribus, quam junioribus concedi ſolet. Latior etiam indulgentia reſpectu cibi, & potûs, quam reſpectu pecuniæ. Imò ordinariè non peccant graviter filii ſurripiendo eſculenta, & poculenta in uſum proprium.

Petes 1. *An ergo Filius teneatur ad reſtitutionem, ſi admodum notabilia clam parentibus abſtulerit, reſpectu quorum, ne vel interpretativè conſentire cenſebantur?*

Reſp. *affirmativè*, undè in diviſione hæreditatis æquivalens aliquid Fratribus, & Sororibus cedere debet, vel, ſi id famæ, & exiſtimationi obeſſet, occultam poſteà illis compenſationem præſtare.

Dico 6. *Famuli* quoque non-numquam eximuntur à culpâ gravi ſurripiendo eſculenta, & poculenta ad proprios uſus : quià Domini reſpectu cibi, potûſque vulgaris, aut non admodum pretioſi, inviti eſſe non ſolent, ſaltem quoad ſubſtantiam.

Si tamen cibum, potumve pretioſiorem, quem Dominus uſui ſuo vult reſervatum, conſumant, haud dubium eſt, quin reatu furti gravis obſtringantur. Reſpectu pecuniarum, & ſimilium ampliori privilegio non gaudent, quam extranei. An ſur-

reptiones

reptiones famulorum à furto excusentur ratione occultæ compensationis, infrà resolvam.

Petes 2. *An famuli Sartorum sibi licitè retineant fragmenta serici, vel panni, quæ confectis vestibus supersunt?*

Resp. quod à furto excusari nullo pacto possint, si nempè justum laboris sui stipendium accipiant.

QUÆSTIO IV.

Quomodò per minuta furta peccetur?

PRænotandum, quod furta minuta diversimodè fieri possint. *Primò*, si quis ab eâdem personâ minutum aliquid sæpius auferat. *Secundò*, si minuta ejusmodi surripiantur diversis. *Tertiò*, si plures eidem modicum quid subtrahant.

Resp. & *Dico* 1. Qui animo corradendi summam notabilem, aut rem magni pretii minura furatur, in quolibet actu mortiferè delinquit.

Prob. quià actus singuli procedunt ex voluntate graviter malâ, seu mortaliter peccaminosâ, cujus proindè malitiam imbibunt: hinc Proverb. 11. v. 1. dicitur: *Statêra dolosa abominatio est apud Dominum.* Et Deuteron. 25. v. 13. *&c. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tuâ modius major, & minor .... abominatur enim Dominus eum, qui facit hæc.* Siquidem hæc sunt instrumenta, quibus furta minuta in summam notabilem corraduntur.

Obj. ergo furtum leve illo casu erit grave; atque ità qui furatur assem animo perveniendi ad imperialem, obligabitur ad restitutionem sub culpá gravi: quando enim furtum grave est, obligatio restitutionis levis esse nequit: ergo &c.

Resp. quod furtum istud grave sit non ex damno gravi realiter illato, sed ex damnificatione notabili dumtaxat intentâ, ex quo patet, quod obligatio restitutionis gravis non sit, cum hæc non damno mentaliter intento, sed realiter, & exteriùs illato correspondeat. Furtum igitur istud simpliciter leve vocari potest, eoquòd furti gravitas à damno reali, & quidem gravi peti soleat. Quarè per simile furtum non incurreretur excommunicatio, si quæ furto gravi forsitan constituta foret.

Dico 2. Ultima ablatio materiæ levis, quâ grave damnum completur, non est mortalis, præcisè ut est ablatio.

Prob. quià actio illa non nisi circà materiam levem versatur: ergo lethifera esse nequit.

Nec refert, quod materia ultimæ ablationis cum aliis antecedenter ablatis summam, seu rem notabilem constituat, quià materia illa ad actionem ultimam nullum dicit ordinem, adeòque ipsi malitiam gravem indere nullo modo potest.

Declaratur: si heri quis furatus sit mille aureos, & hodiè unum assem surripiat, furtum hodiernum per materiam gravem heri ablatam non aggravatur: ergo si quis furtivè primò accepit duos solidos, & posteà totidem furetur, actio ultima ex duobus solidis antecedenter ablatis nihil malitiæ haurire potest.

Obj. 1. quamvis materia per ultimam actionem ablata secundùm se levis sit, gravem tamen materiam complet, & ùnà cum aliis minutis constituit: ergo &c.

Resp. quòd aliæ partes materiam gravem cum ultimâ constituentes furtum ultimum nullatenùs attingant, & consequenter gravi malitiâ inficére nequeant.

Obj. 2. Si quis alicui multa levia infligat vulnera, quibus

quibus tandem emoriatur, per vulnus ultimum mortiferè delinquit: ergo &c.

Resp. *negando consequentiam:* disparitas est, quod vulnus istud ultimum, quamvis non solum, grave inferat nocumentum, scilicet mortem, ablatio verò ultimi V. G. solidi, quo materia gravis completur, leve dumtaxat damnum causet.

Dico 3. In ultimo tamen furto, quo completur materia gravis, peccatur mortaliter, non per ablationem materiæ exilis, sed per detentionem materiæ gravis, quæ tunc inchoatur, quando ultima illa ablatio ponitur. Ratio plana est, quià detentio materiæ gravis ablationi æquivalet, & alteri graviter injuriosa, ac damnosa est.

Dico 4. Qui multa minuta diversis surripit, peccati mortalis reatum contrahit, quando ad summam, seu quantitatem notabilem pervenit: quià tunc verum est dicere, quod rem alienam, & quidem gravem detineat, adeòque damnum notabile inferat, non quidem uni in particulari, sed Communitati eorum, qui rebus suis privantur.

Nisi hoc admittatur, omninò consequens est, quod quis citrà culpam gravem ex alieno ditescere, & amplas opes corradere posset.

Huic asserto etiam suffragantur testimonia Scripturæ, stateram dolosam & inæqualia pondera condemnantis, quià non nisi levia damna, & quidem diversis per hæc iniquitatis instrumenta plerumque inferuntur.

Obj. qui diversis detrahit leviter, gravis peccati reatum non incurrit: ergo neque graviter peccat, qui in bonis fortunæ multis leviter nocet. *Consequentia* tenet à pari, imò à fortiori, quandoquidem fama majoris sit momenti, & æstimationis, quam pecunia.

Resp. *negando consequentiam*, disparitas est, quod leves illæ detractiones, seu potius minuta famæ,

quæ

quæ per detractionem auferuntur, non coalescant in unum, neque materiam gravem constituant, quæ à Detractore detineatur; minuta verò pecuniæ diversis ablata unam totalem & notabilem summam constituant, quæ contrà fas à fure possidetur.

QUÆSTIO V.

Quomodò peccent, qui leve nocumentum quidem singuli inferunt, ità tamen, ut alter grave damnum patiatur?

Casus est hic: plures Vineam alterius ingrediuntur, & singuli non nisi modicas decerpunt uvas, sed eorum multitudine tota vinea devastatur. *Quæritur* an singuli peccent mortaliter?

Resp. & *Dico* 1. Si communi Consilio id faciant, singuli mortaliter peccant, & ad restitutionem obligantur *in solidum*, si nempè alii deficiant Ratio est, quià singuli ad totum damnum, quod grave supponitur, concurrunt.

Dico 2. Si merè casualiter id contingat, & unus furti alterius non sit conscius, tantùm venialiter peccant, & non tenentur ad restitutionem nisi pro illâ parte damni, quam quisque intulit.

Idem censendum, quamvis quilibet furti alterius conscius sit, modò se invicem nullatenùs excitent.

Ratio est, quià equidem singuli damnum dumtaxat leve inferunt, nec sibi mutuo cooperantur per hoc, quod aliorum damnorum ab aliis illatorum notitiam habeant: hinc quando scio V. G. *Joannem* heri damnum leve intulisse *Petro*, & hodiè simile damnum eidem infero, peccati mortalis reatum non incurro, quamvis damnum à se causatum cum præcedenti grave damnum constituat.

Obj. singuli videntur approbare totale damnum, quod

quod infertur ab omnibus simul, quando unus furti alterius conscius est, & singuli norunt Dominum grave damnum passurum.

Resp. dubium non esse, quin singuli graviter peccent, si in gravi damno, quod proximus patitur, sibi complaccant, illudque expressè, vel tacitè approbent. Cæterùm quemadmodum hodie quid leve auferens, furtum hesternum alterius leve, aut grave non necessariò approbat, ità etiam in nostro casu uvas modicas decerpens, similes aliorum actiones vel improbare, vel respectu earum indifferenter se habêre potest.

QUÆSTIO VI.

An compensatione occultâ uti citrà furti notam liceat?

Dico 1. Qui rem certò suam, vel certò sibi debitam occultè recuperat, non violat justitiam commutativam, nec ad restitutionem obligatur.

Ratio est, quià non aufert rem alienam Domino rationabiliter invito, verùm id apprehendit, ad quod jus strictè dictum habet.

Dico 2. Fieri potest, ut quis in occultâ compensatione nullo modo peccet, quando nempè hæ conditiones servantur.

Prima, quod res nequeat aliter obtinêri, sive in judicio sive extrà judicium, vel non nisi cum magnâ molestiâ, gravibus expensis, litibus, amicitiæ jactură &c.

Secunda, ut caveatur periculum, ne Debitor, aut detentor peccet ex conscientiâ erroneâ, perseverando in affectu non solvendi, vel non restituendi, quod reverà solutum, & restitutum est: item ne ipse postea, vel hæredes iteratò solvant.

Tertia, quod neque Debitor, seu detentor, neque

tertius detrimentum aliquod patiatur. Hinc rem tuam, si extet, & non aliud æquivalens accipere debes. Si autem non extet ampliùs, prospiciendum est, ne ex bonis alterius apud debitorem fortè depositis, sed ex rebus debitori propriis tibi solvas.

Dico 3. Si aliqua ex conditionibus recensitis deficiat, compensatio occulta erit illicita.

Ratio est, quià si rem tuam commodè aliter possis obtinere, impingis in justitiam legalem prætermittendo ordinem juris, & usurpando judicium rei tuæ, cum illud à Potestate publicâ petere debeas, utpote quæ constituta est, ut cuique jus suum tribuat. Si autem res non sit certò tua, vel tibi certò debita, etiam contrà justitiam commutativam delinquis, quandoquidem alterum re, in quam jus saltem probabile habet, totaliter prives.

Petes: *An famuli, & ancillæ peccent utendo occultâ compensatione, eoquòd stipendio nimis exiguo operam suam elocaverint?*

Resp. *affirmativè*: Probatur ex propositione 37. inter 65. proscriptas ab *Innocentio XI.* quæ ità sonat: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod accipiunt.*

Sanè hæc doctrina admodum pernicioſa est, nam famulos, & ancillas, homines ad officium judicis plerumque ineptos, judices constituit in propriâ causâ, in taxando scilicet laboris sui stipendio, & in materiâ, quæ homines cupiditate lucri præventos in errorem sibi faventem facilè inclinat. Deindè omnia ferè Contractuum genera occultis compensationibus erunt obnoxia, si privilegium istud famulis concedatur.

Famuli igitur, & ancillæ conventioni cum Dominis suis initæ stare tenentur, & si stipendium nimis videatur exiguum, id sibi imputent, quiâ eis omninò

ninò liberum erat plus exigere, vel à contractu abstinêre, & alium Dominum quærere.

Porrò aliud foret, si Dominus anno evoluto minus dare vellet, quam anteà promiserat, tunc enim servatis conditionibus anteà enumeratis, compensatio famulis licebit.

Adverte tamen, quod licet compensatio prædicta famulis, & ancillis illicita sit, Domini equidem injustitiæ labem non effugiant, qui famulos, & ancillas conducunt stipendiis, quæ eorum labori improportionata nôrunt, quià mercedem operariorum pro parte defraudant.

Nec refert, quod famuli, & ancillæ in talem contractum consentiant, quià consensus ille necessitate potius extorquetur, quam liberâ voluntate, & sponte detur.

QUÆSTIO VII.

An fur teneatur etiam ad restitutionem fructuum, quos ex re ablatâ percepit?

Nota, fructus alios esse rei, alios meræ industriæ.

Fructus rei dicuntur, qui ex ipsâ re nascuntur, sive interveniat industria humana, sive non: tales sunt V. G. Seges, & Messis respectu agri.

Fructus meræ industriæ sunt, qui proveniunt quidem occasione rei, non tamen ex re ipsâ, sed potiùs ex nostrâ industriâ; tale est V. G. lucrum, quod acquiritur ex pecuniâ negotiationi applicatâ, vel potiùs occasione ejusdem.

Resp. & *Dico* 1. Non tantùm res furto sublata restituenda est, sed etiam *fructus rei*, quos Dominus erat percepturus.

Prob. quià res quælibet fructificat suo Domino,

&

& juſtum non eſt, ut quis diteſcat ex alieno. Nullus ſanè excogitari poteſt titulus, quo fructus illi à fure retinêri queant. Quarè ſi injuſtè agrum poſſederis alienum, eumque excolueris, tenêris Domino dare grana, quæ ipſe ex agro percepiſſet. Idem dicendum de fructibus rei, quos Dominus non acceperit ob rationes jam aſſignatas.

Dico 2. Fur non tenetur fructus *meræ induſtriæ* Domino rei furto ſublatæ tradere, quià fructus illi non ex re alienâ, ſed propriâ furis induſtriâ proveniſſe cenſentur. Hinc ſi pecuniam negatiationi applicárit, & hoc pacto lucri aliquid conſecutus ſit, iſtud Domino pecuniæ conſignare ex juſtitiâ non obligatur.

Dico 3. Fructus planè omnes, quos Dominus erat percepturus, ſive ſint fructus *induſtriæ*, ſive *rei* reſtitui, ſeu compenſari debent, quamvis fur eos non acceperit, ut colligitur ex Cap. *Gravis*. & Cap. *Conquerente*. de reſtitutione ſpoliatorum. Et ratio eſt, quià fur eſt injuſta cauſa iſtius damni, ſeu carentiæ ejuſmodi fructuum.

Advertendum tamen, ſpem fructuum non æqualiter cum fructibus præſentibus eſſe æſtimandam: hinc qui ſegetes creſcentes conculcaret, non tam multum reſtituere deberet, ac ſi maturas conculcaſſet.

QUÆSTIO VIII.

An res apud furem meliorata reſtitui tota debeat?

Caſus eſt hic. Abſtuliſti vitulum, qui crevit in vaccam, quæritur, an vaccam ipſam reddere debeas, an verò ſatisfacias vitulum alteri conſimilem reſtituendo?

Reſp & *Dico*, in caſu poſito ipſa vacca reſtitui debet, prout eſt.

Prob. quià ſicut res Domino ſuo fructificat, ità eidem

eidem crescit, & melioratur, quandoquidem melioratio non minùs quam fructus ex ipsâ re proveniat.

Prætereà justum non est, ut fur ditescat ex alieno, quod omninò fieret, si melioratio rei ablatæ ipsi accederet.

Ex quo patet, quod fur pretium vaccæ in casu posito planè æquivalens restituere debeat, si vaccam vendiderit, aut alienaverit; sicuti si consumpsisset nummum aureum quoad valorem apud se melioratum, deberet refundere aliquid nummo meliorato æquivalens, ita ut etiam incrementum valoris compensetur.

Ex quo ulteriùs sequitur, quod fur debeat restituere fructus omnes, quos ex re melioratâ percepit, imò & illos, quos Dominus vel ex re, vel ex industriâ suâ occasione rei percepisset, si rem suam ità melioratam habuisset.

Petes 1. *An resolutio data etiam intelligenda sit de melioratione extrinsecâ, quâ fit, ut res plurìs æstimetur, quamvis intrinsecè non mutetur, & nihil ipsi accedat incrementi?*

Resp. *affirmativè*, quià sive melioratio ab intrinseco, sive ab extrinseco proveniat, equidem res, adeoque ejusdem fructus Domino accedit; nec ullus excogitari potest titulus, quo furi attribui queat. Ex quo

Collige 1. Quod si V. G. equi valor tempore, quo apud furem extat, ab extrinseco crescat, quià equi fiunt rariores, restitui debeat prout est.

Collige 2. Quod si fur vendat, vel consumat rem ab extrinseco melioratam, etiam incrementum rei Domino compensare teneatur, quamvis fortè Dominus rem non vendidisset, nec consumpsisset; quià equidem consumpsit rem alienam, quæ valebat tanti.

Petes 2. *An fur deducere possit expensas, laborem, & industriam, quam rei meliorandæ impendit?*

Resp.

Resp. plerosque id asserere: undè fur, qui vitulum ablatum aluisset, ex communi sententiâ in restitutione vaccæ posset detrahere expensas in alimento vituli factas.

Verùm hoc non apparet certum, imò contrarium videtur probabilius, ut in simili declaratur Qui agrum seu hortum alterius absque prævià conventione coluit, & injecto fimo meliorem reddidit, nihil à Domino agri vel horti tanquam ex justitiâ debitum exigere potest: ergo neque fur in casu posito quidquam ex rigore justitiæ prætendere valet.

Antecedens omnibus est in confesso; *consequentia* verò solida videtur: ideò enim in casu antecedentis nihil tanquam debitum exigi potest, quià agrum non præmisso pacto de accipienda mercede excolens jure suo decidit: Porrò hanc rationem etiam in casu consequentis locum habêre patet considerranti.

Obj. Si bonâ fide comedam panem *Petri*, putans esse meum, teneor posteà ipsi dare aliquid pani æquivalens, quià panis alterius est apud me æquivalenter, quatenùs illum panem vel pecuniam habeo, quam expendere, seu consumere debuissem, nisi panem alterius comedissem; ergo &c.

Resp. *disparitatem esse*, quod *Petrus*, cujus panis comeditur, juri suo non cedat, quià panem suum ab altero comedi ignorat, & conventionem præmittere non potest. Verùm in alio casu fur non ignorat fœnum suum à vitulo alterius comedi, & nihil eum à restitutione faciendâ impedit.

Instabis 1. Etiam fur cum Domino de compensatione alimenti pacisci nequit, cum sibi laqueum pararet, furtum suum manifestans.

Resp. quod teneatur vitulum statim reddere, vel cum Domino de expensis convenire. Si nolit, quasi sponte abjicit, quidquid alendo vitulum impendit.

Sanè

Sanè non video, cur conditio furis sit melior conditione innocentis rustici, qui agrum alterius non præmissâ conventione coluisset.

Instabis 2. Tacita hîc intercedit conventio furem inter & Dominum, quià Dominus vult, ut fur vitulum alat ex hypothesi, quod illum restituere nolit.

Resp. quod Dominus tantùm curet, ut res sua sibi restituatur de aliis minimè solicitus, quià fur ad totius damni reparationem obligatur, si res pereat. Deindè fur non intendit alere vitulum Domino, sed sibi, suoque commodo, adeòque non censetur velle cum Domino paciscì de compensatione expensarum.

QUÆSTIO IX.

Quomodò restitui debeat res non meliorata?

Dico 1. Si res apud furem in eodem statu permanserit, sufficit eam restituere sicuti est, compensato tamen damno, si quod Domino rei emersit, & lucro, quo privatus est.

Dico 2. Si res apud furem sit facta deterior, restituenda est secundùm æstimationem, quam habuit, dum ablata fuit, quamvis Dominus suâ culpâ eam quoque deteriorari permisisset. Ratio est, quià aliàs fur non ponit æqualitatem inter rem ablatam, & redditam, quandoquidem rem inferioris bonitatis, & minoris pretii restituat.

Dico 3. Si res facta sit deterior quoad valorem extrinsecum; vel Dominus erat eam venditurus, & tunc citrà dubium restitutio fieri debet secundùm æstimationem, quam res habebat pro tempore, quo fuit ablata, ut ponatur æqualitas inter id, quod restituitur, & quod ablatum est, & damnum ex integro

gro

gro reſarciatur: vel non erat venditurus eam, ſed recreationis, vel utilitatis causá retenturus, & plerique reſolvunt ſufficere reſtitutionem rei ſecundùm ſe, compenſato damno, quod Dominus ex carentiâ rei ſuæ forſitan incurrit.

Rationem hanc adferunt, quià tunc Dominus non patitur damnum à carentiâ rei diſtinctum, quâ proindè redditâ, juſtitiæ factum eſt ſatis.

Hoc tamen poſterius non ſatis ſolidum apparet, quia reponi poſſet, quod Dominus damnum patiatur, in quantùm non recipit rem tanti valoris, quanti erat, dum ablata, vel injuſtè detenta fuit.

Deindè ſi res eſſet facta deterior intrinſecè, quamvis Dominus eam non vendidiſſet, deterioratio tamen compenſari deberet: ergo etiam in caſu præſenti; ſive enim res deterioretur intrinſecè, ſive extrinſecè, verum eſt quod non tanti ſit valoris, quanti erat dum auferebatur, adeòque quod non habeatur æqualitas rem ablatam inter, & redditam.

Dico 4. Si res apud furem caſu fortuito pereat, eatenùs ad reſtitutionem obligatur, quatenùs fortè ex re eſt factus ditior, quamvis ſimiliter apud Dominum periiſſet. Ratio eſt duplex, quià tunc res extat æquivalenter apud furem, ſaltem ſecundùm partem; & æquum non eſt, ut quis ex alieno diteſcat.

Dico 5. Si res pereat culpâ furis, quæ caſu apud Dominum periiſſet, Fur obligatur ad eam in æquivalenti reſtituendam, ſi nempè illam extrà periculum conſtitutam deſtruxerit: V. G. fur de domo meâ librum tempore incendii abſtulit, illumque alteri donavit, haud dubium eſt, quin ad reſtitutionem teneatur, quamvis liber incendio periiſſet.

Ratio eſt, quià liber iſte meus manet, & quando extrà periculum incendii eſt, eandem habet æſtimationem, quam anteà habebat, adeòque non minus in-

tegrè

tegrè restitui debet, quam si remoto periculo ablatus fuisset.

Sed si res apud Dominum certò erat peritura per actionem injuriosam, V. G. per rapinam, quicumque eam abstulerit restitutionis vinculo innodatur, quamvis numquam extra periculum fuerit, & casu fortuitò illam amiserit. Ratio est, quià successit in locum alterius, qui rem injustè destruxisset, adeòque quantùm ad obligationem restitutionis ejusdem cum illo conditionis est. Sanè per hoc quod res aliena furto sit auferenda, vel injustè destruenda, Dominus suo jure non excidit, adeòque injuriam patitur, dum res ab alio aufertur.

Dico 6. Si res apud Dominum casu fortuito, V. G. inundatione, aut incendio, vel etiam justâ hostium deprædatione certò periisset, & interim ab aliquo destructa sit, probabile est, illum destructorem ad restitutionem non obligari, quià moraliter loquendo rem auferendo, vel destruendo, damnum non intulit, cum res statim certò peritura nullius momenti, vel æstimationis censeatur.

Si autem dubium sit, an res fuisset peritura, quidam dicunt in favorem innocentis esse judicandum, adeòque rem totam restituendam. Alii verò censent partem dumtaxat pro magnitudine, vel parvitate dubii esse reddendam, quià dum probabile est rem apud Dominum fortuitò perituram, non est tantæ æstimationis, quam esset, si constaret certò illam non esse perituram, & pluris fit, aut minoris, prout magis, aut minùs probabile est, quod interitura sit, nisi fortè periculum sit ignotum, quià tunc res minoris æstimari non solet, quam si periculum abesset.

Dixi *probabile esse furem non obligari*, quià non improbabile apparet oppositum. Resolutio hâc distinctione videtur explicanda: vel res ablata est, vel destructa

structa eo tempore, quo nondum constabat eam apud Dominum fortuitò perituram, & ejus ablatio, vel destructio obligationem restitutionis parit, quià valor rei idem permansit, adeòque Dominus per ejusmodi actionem damnum passus est, quod consequenter reparari ex justitiâ debet: vel certò peritura casu fortuito passim sciebatur tempore ablationis, seu destructionis, & destructor ad nihil obligatur, quià res morali hominum judicio nullius tunc erat valoris, adeòque per ejus destructionem Domino nihil damni illatum est.

Sanè si quis equum alterius morte naturali statim moriturum occideret, nihil obligationis contraheret: ergo neque ad restitutionem obstringitur, qui rem quamlibet, quæ statim peritura certò scitur, aufert, vel destruit.

Si tamen vel brevi temporis spatio extrà periculum fuerit, fur eam in æquivalenti restituere tenetur, quamvis casu posteà apud illum pereat, si nempè in morâ fuerit restituendi. Sed si moram purgaverit, rem furto ablatam Domino offerendo, & hic eam acceptare noluerit, sed ejus custodiæ reliquerit, non magis tenetur ad restitutionem rei casu destructæ, quam Depositarius, apud quem res alterius fortuitò perit.

QUÆSTIO X.

Quænam sit obligatio restituendi ratione rei acceptæ?

Dico 1. Certum est, illum, qui bonâ fide possidet alienum, ubi id rescierit, ad restitutionem obligari: quià res quælibet suum inclamat Dominum, & sine ejus consensu injustè detinetur.

Dico 2. Qui rem alienam consumpsit, quam bonâ fide suam existimabat, obligatur ad restiturionem,

in

in quantùm est factus ditior, quando nempè cognoscit eam fuisse alienam.

Ratio est, quià tunc res aliena apud eum æquivalenter extat, quatenùs rei suæ pepercit, & id apud eum existit, quod consumere debuisset, si re aliena usus non fuisset. Verùm si non sit factus ditior, nihil restituere debet, quià non obligatur titulo *injustæ acceptionis*, cum rem ab initio bonâ fide habuerit, & taliter consumpserit, neque titulo *rei acceptæ*; quandoquidem rem neque formaliter, neque æquivalenter penes se habeat.

Dico 3. Possessor ille etiam obligatur ad restitutionem fructuum adhuc extantium, qui non sunt meræ industriæ, eoquòd res quælibet suo Domino fructificet.

Fructus verò bonâ fide destructos eatenùs restituere debet, quatenùs ex illis evasit ditior.

Fructus, quos tempore bonæ fidei suâ culpâ non recepit, Domino rei compensare non tenetur, cum hîc neque titulus injustæ damnificationis, neque rei acceptæ interveniat.

Multò minùs possessor bonæ fidei tenetur ad rei compensationem, si hæc casu apud eum pereat, quamvis apud Dominum non periisset.

Advertendum autem, quod Possessor bonæ fidei nihil prorsùs tanquam debitum à Domino rei salvâ justitiâ exigere possit, quià rem ipsi restituit; titulus enim exactionis deest, & rem non tam restituceret, quam venderet, imò ex parte retineret.

QUÆSTIO XI.

An res bonâ fide empta Furi restitui queat, ut pretium recuperetur?

SUpponi debet, quod Emptor ille aliâ viâ pretium suum recuperare nequeat, quià satis certum est, quod illicitè rem furi tradat, quando aliter sibi consulere valet.

Resp. & *Dico*, rem in casu salvâ justitiâ in manus furis reponi non posse.

Prob. 1. Quià, ut sæpè dictum est, res quælibet ad Dominum suum reverti debet.

Prob. 2. Quià rem alterius alienare, vel in statu deteriori ponere citrà Domini consensum justitiæ adversatur: atqui si res furi reddatur, in statu deteriori, invito quidem Domino, collocabitur: ergo &c.

Prob. 3. Non licet in casu rem alicui tertio tradere, & pretium ab illo recipere, ut omnes fatentur: ergo neque in manus furis restitui potest, quandoquidem fur non plus juris habeat, quam tertius.

Prob. 4. In simili: si milites equum alicujus injustè abduxissent, Dominus equi haud licitè ipsis equum sui vicini, quem casu in suo stabulo reperit, offerret, & traderet, quamvis alio modo equum suum recuperare non valeret: ergo neque Emptor rei furtivæ eam furi licitè tradit, quamvis pretium aliâ viâ recipere non posset.

Obj. 1. Emptor ille jus habet ad pretium à se furi traditum, præsertim cum emptio ab initio fuerit nulla: ergo potest contractum rescindere.

Resp. quod contractum licitè rescindat agendo contrà furem, ut pretium reddat, sed non ità, ut rem ipsi restituat propter rationes jam assignatas.

Obj.

Obj. 2. Dominus ægrè ferre nequit, quod rem ejus constituam in illo statu, in quo antè fuerat, ut rebus meis consulam.

Retp. *negando assumptum*, quià ex eo damnum patitur, & jus habet, ut res sibi restituatur.

Deindè quamvis res tunc ponatur in eodem statu, in quo ante emptionem fuerat, in statu tamen deteriori collocatur, quam erat post emptionem; quia emptione factâ erat in manibus meis sine ullo periculo, & furi reddita mille periculis subjacet.

Instabis, si quis sarcinam ex navi pereunte projectam ingruente tempestate denuò abjiciat, quià alioquin periculo naufragii exponeretur, nihil injustitiæ committit: ergo etiam emptor ille recuperandi pretii causâ rem in manus furis abjiciens injustitiæ argui nequit.

Resp. *negando consequentiam*, disparitas est *primò*, quod res aliena in navim recepta, subortâ tempestate incipiat esse nociva, quià suo pondere naufragii causa foret; res autem empta nihil planè inferat nocumenti, quandoquidem damnum jam ante causatum sit, & quidem per solam malitiam furis. *Secundò*, sarcina illa fluctibus innatans non ex contractu, neque in commodum Accipientis in navi admittitur, sed nomine ipsius Domini in favorem ejus apprehenditur, cum eâ scilicet conditione, quod in similibus circumstantiis iterum abjici poterit

Obj. 3. Nemo tenetur cum tanto damno rem alterius custodire: ergo &c.

Resp. quod in nostro casu res non tantùm non custodiatur, sed etiam moraliter quasi destruatur, cum penè certum sit, eam, si in manus furis iterum reponatur, numquam Domino esse restituendam.

Instabis: si ex re alienâ in plateâ repositâ damni

aliquid timeam, eam in domum meam inducere, & cuſtodire non teneor, quamvis alioquin peritura ſit, imò ſi eam acceperim, in eodem loco licitè repono: ergo &c.

Reſp. *negando conſequentiam*: diſparitas eſt, quod rem alienam in plateâ relinquens, vel reponens, quià ex eâ nocumentum metuit, eam non tradat alicui tertio, ſed merè permiſſivè ſe habeat, ſi ab aliquo tranſeunte forſitan occupetur, Emptor verò in noſtro caſu rem furi poſitivè tradat.

Alia diſparitas eſt, quod in caſu primo res ipſa, quæ in plateâ reponitur, nocitura timeatur, ubi res empta in noſtro caſu nihil damni emptori allatura eſt. Verùm quidem eſt, quod emptor ille eatenùs damnificetur, quatenùs pretio à ſe tradito carêre cogitur, ſed hoc non rei emptæ, at malitiæ furis adſcribendum.

Dico 2. Emptor bonæ fidei rem furtivam Domino reſtituens, ne vel partem pretii ab ipſo exigere poteſt.

Ratio eſt, quià Dominus jus habet, ut rem ſuam integram recipiat: porrò integram non reciperet, ſi partem pretii refundere cogeretur.

Deindè emptor nullum habet titulum, quo aliquid tanquam ex juſtitiâ debitum à Domino rei poſſit prætendere. Quod autem fur pretium acceptum reddere renuat, Domino rei imputari non poteſt.

Qui probabile exiſtimant, emptorem poſſe rem furtivam pretii recuperandi causâ furi reddere, conformiter reſolvere poſſent, damnum inter Dominum rei, & emptorem bonæ fidei eſſe dividendum, ita ut mediam ejus partem quilibet ſuſtineret.

Petes 1. *Quid ſi emptor ſciverit rem eſſe alienam, & emerit animo eam Domino reſtituendi, quià nempè videbat ipſam alioquin numquam ad ſuum Dominum reverſuram?*

Resp. illum tunc indemnitatem prætendere posse, si modico eam pretio emerit, quià censetur nomine Domini emisse, & rem ejus utiliter gessisse, idque ex ejus consensu rationabiliter præsumpto : æquum enim est, ut negotium alterius utiliter agens servetur indemnis. Porrò aliud foret, si magno pretio rem emeret, quià tunc de consensu Domini præsumptio prudenter formari non posset, nisi fortè ex circumstantiis quibusdam constaret, hoc Domino gratum futurum.

Petes 2. *An qui rem alienam bonâ fide emit, & alteri bonâ fide vendidit, teneatur emptori secundo pretium restituere, si is Domino rem reddiderit.*

Resp. *affirmativè*, quià pretium istud accepit ex re non suâ, & ex contractu prorsùs irrito.

QUÆSTIO XII

Quo ordine restitutio fieri debeat, quando omnibus Creditoribus satisfieri nequit ?

Dico 1. Quando res extat in specie apud debitorem, & aliena certò cognoscitur, restituenda est Domino, si notus sit, vel danda pauperibus, si notitia Domini habêri nequeat, conformiter ad illa, quæ suprà diximus de debitis incertis. Dominus ergo ante omnes Creditores jure præferentiæ gaudet, quià res quælibet Domino suo pecurialiter obstricta est, & ad illum reverti debet.

Obj. pauperes rei istius non magis dominium habent, quam alii creditores : ergo non est ratio, cur res ipsis præ aliis tribuatur.

Resp. *negando consequentiam*, quià voluntas Domini præsumitur talis, ut rem in utilitatem suam spiritualem piis causis cupiat applicatam.

Collige 1. Venditorem rei cæteris Creditoribus es-

se præferendum, quando res quidem vendita est, & emptori tradita, sed nondùm transiit in ejus dominium, quod fit, quando neque pretium est solutum, neque pignus, aut fide jussor datus, neque venditor fidens emptori pretium habuit pro soluto, ut colligitur ex Instit. *de rerum venditione.* §. *venditor.*

Ratio est, quià tunc res verè est ipsius venditoris, & sub ejus Dominio permanêre supponitur.

Si verò semel in emptoris dominium transierit, vel quià venditor pignus, aut fide-jussionem loco pretii acceptavit, vel emptori fidens pretium pro soluto habuit, venditor nullam ante alios Creditores præferentiam habebit, quia non est res ipsius, neque ipsi magis obstringitur quam aliis, neque ex ullo capite ostendi potest, rem venditori quasi hypothecari, quamdiu pretium non est solutum, ut aliqui prætendunt.

Ex quo etiam patet, Dominum rei furtivæ, quæ in specie apud furem extat, sed rebus ejus ità permixta est, ut moraliter loquendo discerni nequeat, non habêre præferentiam ante alios Creditores. Ratio est, quià factâ ejusmodi commixtione, res non censetur amplius manêre sub dominio illius, cui ablata est; sed in dominium furis transiit cum onere restituendi æquivalens, ut colligitur ex Leg. 46. ff. *de solutionibus*, ubi dicitur: *si alicui nummi inscio, vel invito Domino, soluti sint, manent ejus, cujus fuerant: si mixti essent, itaut discerni non possent, ejus fieri, qui accepit, scriptum est.*

Dico 2. Debita certa solvi non debent ante incerta hoc sensu, quod priùs oporteat satisfacere Domino certo, & posteà tantùm incerto, sive ignoto, si de debito constet.

Prob. quià Dominus ignotus tantum juris habet, quantum notus: ergo non minùs ipsi satisfieri debet, quam cæteris.

Sane

Sanè si hæres istius Domini cognosceretur, ipsi æquè ac cæteris satisfieri deberet: atqui dum ignoratur Dominus, pauperes hæredis vices supplent, quià voluntas Domini est, ut, quod sibi debetur, pauperibus tribuatur: ergo &c

Quando autem debitum est incertum hoc sensu, quod de ipso non constet, tunc ex communi opinione debita certa prius solvenda sunt.

Verùm hoc ità intelligendum censeo, quod tota summa tantùm verosimiliter debita solvi haud debeat, quamvis pars ejus cum proportione ad incertitudinem debiti tradi debeat, conformiter ad illa quæ antè dicta sunt.

Dico 3. Quamvis alii opinentur, quod debita certa contracta ex delicto, V. G. ex furto solvi debeant ante alia, quæ ex Contractu justo originem ducunt; probabilius est, quod æqualiter solvi debeant, modò res furto sublata non ampliùs extet, quià ratio nulla adferri potest, cur una obligatio alteri præferenda sit.

Obj. ubi satisfit debito ex delicto, tollitur duplex injuria, una Deo, altera homini illata.

Resp. quod pro injuriâ Deo illatâ satisfieri possit, & debeat per pœnitentiam, pro aliâ verò hominem respiciente per solutionem partis secundùm facultatem Debitoris

Dico 4. Prius satisfaciendum est Creditori, qui obligationem contractûs accepto pignore, vel hypothecâ assecuravit, quià ratione pignoris jure prælationis gaudêre censetur.

Sunt & alia quædam debita, quæ ex dispositione Juris positivi ante cætera solvi debent, quæ vidêri possunt apud Authores.

Dico 5. Non prius satisfieri debet inopi, quam diviti. Ratio est, quià solutio debiti fit ex justitiâ commutativâ, quæ non nisi satisfactionem juris alterius attendit.

tendit. Fieri tamen potest, ut paupertas unius Creditoris tanta sit, ut ex charitatis lege aliis præferri debeat.

Petes: *Cujus expensis restitutio fieri debeat?*

Resp. 1. si res teneatur ex delicto, expensis detentoris restituenda est, quià æquum non est, ut Dominus rem suam cum isto gravamine recuperare cogatur.

Resp. 2. si res non teneatur ex delicto vel contractu, sed inventa sit, expensis Domini restitui debet, quià inventor illi commodum præstat, adeòque par est, ut ab onere eximatur.

Resp. 3. si res debeatur ex contractu, videndum, an hic utilis sit soli debitori, an soli Creditori, an utrique. In *primo casu*, ut si quis habeat equum commodatum, debitor gravatur expensis in restitutione faciendis.

In secundò obligatur creditor.

In tertiò videnda est loci consuetudo, & modus, quo contractus initus est: ut si V. G. conduxeris equum, teneris illum Domino expensis tuis eodem in loco restituere, nisi aliter conveneris, quià consuetudo id requirit, imò in contractu id subintelligi solet.

Petes 2. *An fur teneatur rem denuò restituere, si ad Dominum transmissa in viâ perierit?*

Resp. *affirmativè*, quià periculum rei non Domino, sed furi incumbit, donec ad manus Domini devenerit.

QUÆSTIO XIII.

Quæ causæ à restitutione excusent?

Dico 1. *Causæ* à restitutione excusantes variæ sunt. *Prima* est inopia, seu impotentia physica, vel moralis: V. G. si quis non habeat undè solvat, aut extremâ ipse necessitate laboret.

Secunda, dum imminet grave periculum salutis animæ, vel corporis, aut notabile detrimentum famæ, bonorum indebitorum, statûs decentis &c. quià Creditor tunc non censetur rationabiliter invitus. Cæterùm hîc moralis quædam impotentia intervenit.

Tertia, quando restitutio scitur graviter nocitura uni tertio, vel ipsi Creditori: ut si Creditor repetat ensem depositum animo se, vel alium occidendi.

Quarta, si debitum remittatur, dummodò tamen remissio non extorqueatur metu, vel fraude, & Creditor non sit incapax ad debitum relaxandum.

Quinta, si Creditor vicissim debeat suo Debitori, tunc enim potest debitor uti compensatione, si omnia sint paria, nec aliter conventum sit. Vetita tamen est compensatio ex Deposito debitoris apud Creditorem existente, ut habetur cap. *Bona fides.* de Deposito.

Sexta est cessio bonorum.

Observandum tamen, quod foro cedens coram Deo non excusetur, si habeat undè solvat. Ratio est, quià beneficium foro cedentibus concessum, nec debet, nec potest patrocinari iniquitati nolentium solvere, sed merè datur in gratiam illorum, qui necessitate premuntur, ne scilicet Creditores miserias debitorum talium novâ molestiâ, V. G. incarceratione aggravent.

gravent. Hinc si Debitor ille posteà perveniat ad meliorem fortunam, in foro conscientiæ æquè tenetur satisfacere, ac si bonis, & foro non cessisset.

In aliis etiam casibus (excepto illo, in quo facta est libera debiti remissio) obligatio restituendi revivisçit, quando cessat ratio, ob quam restitutio dilata fuit.

Petes 1. *An peccet debitor integrè solvens uni Creditori, si per hoc fiat incapax ad solvendum aliis?*

Resp. *affirmativè*, si nempè talis Creditor jure præferentiæ præ aliis non gaudeat.

Igitur debitor, qui omnibus creditoribus satisfacere non valet, debet primò solvere illis, qui habent jus præferentiæ, ac deindè, quod reliquum est, inter alios jure pares dividere.

Petes 2. *An gravatus debitis possit intrare Religionem, priusquam satisfecerit?*

Resp. non posse licitè, quando aliena detinentur in specie. Quando autem non detinentur, communis est opinio, illum tunc Religionem licitè ingredi, quando prævièsatisfacere non potest, nisi laboribus extraordinariis, Statui suo non congruentibus cum notabili dilatione ingressûs Religionis. Ità quoque sentire videtur *D. Thom.* 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3.

Verùm si debitor arte, aut labore non admodum extraordinario, & sine longâ nimis dilatione satisfactionem procurare queat, eam ante ingressum Religionis præstare tenetur.

Porrò *Sixtus V.* anno 1587. in Bullâ *Cum de omnibus.* & anno sequenti in Bullâ *Ad Romanum spectat.* multo ære alieno gravatos declaravit inhabiles ad Professionem Religiosam, & Religiosos, qui tales recipiunt, omni honore, gradu, & officio privatos voluit. Sed *Clemens VIII.* anno 1602. per Bullam *In suprema.* utramque constitutionem fuit moderatus, quan-

quantùm ad eam partem, quâ Professio declaratur nulla, & ad terminos juris communis reduxit, ità tamen, ut pœnæ Superioribus, qui illos admittunt, constitutæ, nequaquam mitigentur.

CAPUT IX.

De Cooperantibus ad Furtum.

HOc capite de illis agitur, qui ad Furtum, seu aliam actionem damnificativam concurrunt mediatè, idque seu *positivè*, seu *negativè*, quod fit novem modis his verticulis comprehensis:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sex priores modi concursum involvunt positivum, *tres posteriores* verò solùm important negativum.

QUÆSTIO I.

Quomodò restituere teneatur Jubens?

Nota, quod quis mandare possit explicitè, ut si Dominus dicat famulo: *fac hoc*; vel implicitè, ut si dicat coram famulis: *erit mihi gratum, si quis hoc fecerit.*

Resp. & *Dico*, qui furtum sive explicitè, sive implicitè mandat, ad restitutionem obligatur, si nempè jussio executioni mandetur.

Prob. Ex hac regulâ generali, fundata in ratione, & in *S. Thoma* 2. 2. q. 62. art. 7. Quicumque suâ coöperatione physicè vel moraliter influit in furtum, tenetur ad restitutionem, eoquòd sit causa furti: atqui Jubens id præstat: ergo &c.

Collige, illum à restitutione excusari, si effectus ex mandato non sit secutus; & è contrario mandantem non eximi, si revocatio mandati quidem fiat, sed non intimetur Mandatario antè executionem, quià tunc per mandatum suum adhuc influit in furtum.

Petes 1. *An mandans semper eximatur ab onere restitutionis, quando mandatum suum coram Mandatario revocavit?*

Resp. plerumque, non tamen semper eximi, quià fieri potest, ut mandans vi sui mandati corruptionem aliquam, seu malam voluntatem Mandatario impresserit, quæ revocatione mandati non omninò tollatur, sed posteà furti causa sit.

Petes 2. *Quid si Mandans ante executionem Mandatarii doleat, & Sacramentaliter confiteatur?*

Resp. id nihil referre, quià quamvis tunc retractet suum mandatum coram Deo, non tamen satis retractat respectu Mandatarii ad impediendum furtum, quod vi mandati committitur.

Obj. Furtum non est ipsi amplius voluntarium, quià aliàs Sacramentaliter absolvi non posset.

Resp. *negando antecedens*, ad probationem dico, illum absolvi posse, si nempè damnum secuturum reparare proponat, quià mandatum ejus sufficienter retractatum est respectu Dei, quamvis non respectu Mandatarii, & in ordine ad impediendum furtum.

Simile foret, si quis alicui venenum propinasset, illoque introsumpto de crimine doleret; talis enim supposito veræ contritionis motu tutò absolvi posset, & tamen posteà damna ex morte alterius provenientia resarcire teneretur.

Petes 3. *Quid si alius quispiam idem æquè efficaciter mandasset?*

Resp. illum, qui de facto mandavit, idcircò ab

onere restitutionis non eximi, quià equidem est causa furti, & damni quod à fure infertur.

Petes 4. *Quid si mandatum non influat in furtum, quià V. G. Mandatarius neque mandantem, neque mandatum ejus curat?*

Resp. quod Mandans quidem peccet, quatenùs paratus est alterum ad furandum inducere; non tamen ad restitutionem obstringatur, quià jussio ejus non fuit causa furti.

Petes ultimo: *An sola rati-habitio sufficiat, ut quis ad restitutionem obligetur; V. G. famulus injussus accendit ædes alterius tuo nomine, & posteà ratum habes, sive approbas quod fecit, an restitutioni sis obnoxius?*

Resp. *negativè*: quià rati-habitio, seu approbatio furti jam perpetrati non est causa damni, nec in illud influit.

Obj. regulam decimam juris in sexto, quæ sic sonat: *rati-habitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.*

Resp. regulam illam habêre locum *primò*, dum in foro externo pœna ratione delicti constituitur, quià ratum habens maleficium suo nomine perpetratum, perindè punitur, ac si reverà mandasset.

Secundò in contractu, ut V. G. si quis tuo nomine aliquid emerit, licet injussus, & posteà id ratum habeas, contractus in foro externo vim obtinet, perindè ac si ab initio mandatum dedisses.

Cæterùm in præsenti materiâ admitti non potest: quià jura nequeunt efficere, ut mea rati-habitio sit causa damni, quamvis statuere valeant, ut æquivaleat mandato in ordine ad pœnas, & similia dispositioni Legum subjacentia: atque ità Cap. *Cum quis.* De sententiâ excommunicationis in 6. statuitur, ut ratum habens percussionem Clerici suo nomine factam, excommunicationis vinculum incurrat.

Ex

Ex dictis patet, te longè minùs ad restitutionem obligari, si approbes furtum non tuo nomine perpetratum, quemadmodum approbans Clerici percussionem non suo nomine factam excommunicationi non subjacet, ut declarat *Bonifacius VIII.* capitulo jam citato hanc allegans rationem: Quià *ratum quis habêre nequit, quod ejus nomine non est gestum.*

QUÆSTIO II.

Ad quid obligetur Consulens?

REsp. certum est, *Consulentem*, qui suo consilio influit in furtum, obligari ad restitutionem, quià est causa damni.

Nomine *Consulentis* etiam intelligitur *suadens*, *obsecrans*, *instruens*, *promissis alliciens* &c.

Quæ articulo præcedenti de jussione dicta sunt, cum proportione Consilio applicari debent, cum utriusque eadem sit ratio.

Petes 1. *Quid si consilium ante executionem revocetur?*

Resp. si Consilium ità revocetur, ut tota furti, seu damnificationis causa censeatur sublata, planum est, quod nulla restitutionis obligatio illi incumbat, qui consilium præbuit, quià tunc non influit in furtum, neque est causa damni.

Verùm si omnis causa furti remota non sit, non obstante revocatione, *Consulens* ad damni illati reparationem obstringitur; V. G. induxit quis *Petrum* ad furandum, modum, & media opportuna ipsi suggereus, sed illicò facti pœnitens eum à furto deterrêre conatur, ast frustrà. Dubium non est, quin restitutioni sit obnoxius, si *Petrus* vi instructionis prioris ad furtum procedat, quià causam furti à se positam non removit. Res perindè se habet, ac si venenum

alteri

alteri propinatum ex corpore ipſius expellere quis niteretur caſio effectu : ſicut enim tunc mors iſtius hominis, ità in noſtro caſu damnum, ipſi imputatur, qui cauſam dedit.

Sed ſi promiſſis aliquem ad furtum induxiſti, & promiſſionem tuam ante executionem revocaſti, nullo reſtitutionis onere gravaberis; quià hoc pacto omnem cauſam à te poſitam ſuſtuleris.

Eâdem ratione qui falſo conſilio uſus eſt, dicendo aliquid licitum, quod eſt vetitum, non obligatur ad reſtitutionem, ſi conſilii ſui falſitatem pandat alteri ante executionem.

Petes 2. *Utrum Conſulens, aut Mandans obligetur ad Reſtitutionem, ſi executor jam ante fuerat determinatus ad furandum?*

Reſp. illum obligari, quatenùs conſilio ſuo influit, & damnum cauſat. Ex quo

Collige 1. Quod ſi fur ſtatuerit hodiè furari citrà determinationem perſonæ, & rei, obligeris ad reſtitutionem, ſi ſuaſeris, ut rem *Petri* auferret.

Collige 2. Quod ſi furi hodie volenti furari ſuadeas, ut expectet in craſtinum, plerumque non teneris ad reſtitutionem, quià non influis in ſubſtantiam furti, ſed in dilationem minimè damnoſam.

Collige 3. Quod ſi furem volentem furari V. G. equum, aut vaccam *Petri*, inducas ut ſolùm ejus vitulum, aut potius rem minoris momenti auferat, reſtitutionis onere non graveris, quià non concurris ad damnum *Petri*, ſed tantùm efficis, ut fur à majori furto abſtineat, imò rem alterius utiliter geris, qui proindè reſpectu ejuſmodi inductionis invitus non eſt.

Collige 4. Quod ſi fur ſit determinatus ad auferendam vaccam, & ſuadeas, ut capiat & vitulum, ad reſtitutionem vituli obſtringaris.

Collige 5. Quid ſi fur erat ſuâ voluntate determi-

natus

natus ad furandum rem V. G. *Petri*, & Consilium adjeceris, ad restitutionem tenearis, si etiam consilio tuo ad furandum moveatur, quià verè in furtum influis & ad actionem damnificativam concurris.

Nec refert, quod equidem furtum fuisset commissum, quamvis consilium tuum non addidisses, quià eo non obstante in actionem furtivam influxisti. Sanè si quis vulnus lethale alteri infligat, & tu eodem tempore simile vulnus adjicias, nemini dubium est, quin homicidii reatui, & restitutioni sis obnoxius.

Petes 3. *An Consulens, aut Mandans teneatur ad restitutionem in casu dubii?*

Resp. 1. si constet de causâ adhibitâ, & solùm dubitetur de effectu; V. G. si ambiguum sit, an damnum ex consilio, quod certò datum noscitur, sit secutum, author consilii ad restitutionem obligatur pro qualitate dubii.

Ratio est, quià actionis damnificativæ verò similiter causam posuit, adeòque ad damni istius reparationem verosimiliter obstringitur: porrò in casu obligationis dubiæ rem dividendam, affatim anteà probatum est. Insuper absonum apparet, quod in casu dubii nocenti potiùs, quam innocenti quispiam favêre vellet: porrò qui consilium suppeditavit, certò nocens est, & rei ablatæ Dominus innocens: ergo &c.

Nec est, cur quis tritum istud: *melior est conditio possidentis* in favorem Consulentis proferat, quià non semel genuinum istius axiomatis sensum, huic assertioni non adversantem, protuli.

Resp. 2. quamvis dubium versetur circà causam damnificativam, V. G. si quis ambigat, an furi consilium furandi dederit, illum ab omni restitutione immunem dicere non ausim, quià probabile est, ut supponitur, quod causam damni posuerit, adeòque

quod

quod illud reparare ex æquitate teneatur. Porrò ubi dubia est obligatio restitutionis, medietatem solvendam jam sæpius diximus.

QUÆSTIO III.

Quomodò alii Coöperatores ad restitutionem obligentur?

Dico 1. *Consentiens* damno alterius, *favens*, *approbans*, *suffragium ferens* &c. si consensu, vel favore suo influat in actionem damnificativam, obligatur ad restitutionem: ut si Consiliarii Regis, à quorum judicio Princeps dependet, consentiant in bellum injustum.

Verùm si Consentiens in actionem damnificantem non influat, restitutioni non est obnoxius, quià non est causa damni: sic privatus bellum injustum approbans, quamvis graviter peccet, restitutionis onere non gravatur.

Petes: *Quid si plures jure suffragii gaudeant, & omnes, aut majorem eorum partem in actionem injustam consensuram certò sciam? An illis accedendo, & suffragando obligationem restitutionis contraham?*

Resp. *affirmativè*, quando valor electionis requirit omnium suffragia. Item quando primus suffragium fero, vel saltem eo ordine, ut suffragiorum numerus non præcesserit, qui requiritur ad valorem electionis, vel decreti.

Imò quamvis ultimo loco suffragium feram, omnesque in actionem, seu electionem injustam jam consensisse certò sciam, restitutionis nexui me involvo, si suffragium meum aliis superaddam. Ratio est, quià ad talem electionem injustam verè concurro, & consequenter etiam in omnia damna, quæ ex eâdem consequuntur.

Nec refert, quod electio illa sine meo suffragio

rata,

rata, & valida fuiſſet, quià per hoc non deſino in eam influere, & ad damna ejuſmodi concurrere, præſertim cum electio illa executioni mandetur ex vi omnium ſuffragiorum.

Sanè ſi quis furibus rem alterius tollentibus ſe ſocium jungeret, reſtitutionis obligationem certò incurreret, quamvis res illa independenter ab ejus concurſu fuiſſet ſublata: ergo ſimiliter.

Dico 2. *Palpo* ſeu *Adulator*, id eſt, qui actionem damnificativam laudat, vel ejus omiſſionem vituperat, tenetur ad reſtitutionem, quando in ejuſmodi actionem influit, ut ſi quis furtum laudando quempiam ad furandum inducat. Si quis autem furtum jam perpetratum laudet, non obligatur, niſi fortè laus illa ad aliud furtum viam ſternat, & animum furis inclinet.

Dico 3. Qui furem recipit, ejuſque inſtrumenta, aut res ablatas domi occultat, conſervat, aut vendit, eatenùs ad reſtitutionem obligatur, quatenùs furem in malâ furandi voluntate fovet, & ad ejus furta concurrit. Hac de re vidêri poteſt S. *Aug.* Epiſt. 153. aliàs 54.

Dico 4. Dupliciter quis in damno alteri illato participare poteſt. *Primò*, ſic ut prædæ particeps fiat, & tunc tenetur ad reſtititutionem pro parte acceptâ. *Secundò* quatenùs participat de actione damnificativâ ad illam aliquo modo concurrendo: ſic V. G. in furto participat, qui ſcalas defert, aut ſuſtinet, quibus fur domum alteriùs ingreditur, aut ad ejuſdem ſecuritatem excubias agit &c. quod ità *participans* reſtitutioni ſit obnoxius in aperto eſt, quià ad actionem injuſtam, & damna ex eâdem provenientia concurrit.

Dico 5. *Mutus* hîc dicitur, qui damnum impedire debet loquendo, V. G. *prohibendo*, *clamando* &c. & tamen tacet.

Non

Non obstans hîc est, qui ope, & auxilio suo damnum proximi impedire tenetur, nec impedit tamen.

Non manifestans dicitur, qui furem alteri manifestare debet, vel ante furtum, ut impediatur, vel post, ut restituere cogatur, nec tamen obligationi suæ satisfacit.

Hi omnes obligantur ad restitutionem, quando damnum alteri obveniens ex justitiâ, V. G. ex Officio, aut contractu impedire tenentur. Verùm si non nisi ex charitate ejusmodi nocumentum arcêre debeant, quod à restitutione immunes sint, commune dogma est.

QUÆSTIO IV.

An prædicti coöperatores teneantur in solidum? & quo ordine?

Dico 1. *Coöperatores* obligantur eo modo, quo coöperantur, id est, tenentur in solidum, sivè ad restitutionem totius damni, si ad damnum totale concurrant. Sed si solùm influant in partem, tantùm ad partem obligantur: sic V. G. milites spoliantes domum, si communi consilio, vel instigatione hoc faciant, singuli ad damni totius restitutionem obstringuntur, quià ad totum damnum concurrunt. Si autem absque mutuo consilio, respectu, & influxu, id peragant, quisque partem, quam abstulit, restituere tenetur.

Obj. 1. Quando plures ad idem furtum concurrunt V. G. *mandans*, *exequens*, & *laudans*, habent se ut causæ se invicem adjuvantes, ità quidem ut influxum inæqualem præbeant, ergo non nisi ad partem tenentur juxtà proportionem sui influxûs.

Resp. *negando consequentiam*, quià singuli equidem

dem

dem in totum damnum influunt, nec est ratio, cur una pars damni præ altera uni particulari imputetur

Obj. 2. Ergo si mille simul ædes meas incendant, à singulis damnum integrum exigere, & recipere jure potero, atque ità mille domos pro unicâ habebo.

Resp. *negando consequentiam*, quià coöperantes non obligantur singuli in solidum, nisi quando alii in restituendo deficiunt: undè uno domum restituente cæteri respectu mei ad nihil tenentur, quià damnum mihi illatum ex æquo reparatum est.

Dico 2. Quod *Cooperatores* certo ordine ad restitutionem teneantur, ità quidem, ut unus antè alium obligetur, tradere videtur S. *Thom.* 2. 2. q. 62. art. 7. ad 2. quem passim sequuntur Theologi.

Ratio autem hujus assertionis est, quod *Coöperatores* non sint æquè principales in damnificatione, sed unus alteri subordinetur: ex quo colligitur, quod etiam in restitutione sibi invicem subordinari debeant.

Petes: *Quid sit aliquem tenêri primo loco ad restitutionem, quid secundo, quid æquè primo?*

Resp. tenêri *primo, loco* est aliquem sic obligari, ut illo restituente cæteri fiant liberi, alio autem restituente, ipse eidem teneatur refundere.

Secundo loco tenêri dicitur, quo restituente cæteri, excepto primo, fiunt liberi, & sic de aliis.

Æquè primo obligari, sive in eodem gradu obligari dicuntur, qui obligantur æquè immediatè, ita ut nullus eorum teneatur in solidum, nisi omnibus deficientibus, & deficiente nemine, singuli ad aliquam partem obligentur juxtà proportionem sui influxûs.

Dico 3. Quando res extat, certum est illum primo

mo loco tenêri, qui eam habet. Ratio plana est, quià res quælibet suum inclamat Dominum.

Petes: *Quid si is rem consumpserit?*

Resp. si bonâ fide consumpsit, tenetur in quantùm evasit ditior. Si malâ fide destruxit, primo loco ad restitutionem obligatur, quià antè destructionem ante omnes alios tenebatur: ergo & post eam, cum actio tam iniqua ipsi patrocinari non debeat. Insuper rem alienam suo nomine destruens, restitutionis obligationem præ aliis contrahit.

Dico 4. Post illum, qui rem habet, vel si damnificatio in destructione rei alienæ consistit, primo loco tenetur *Præcipiens*, & post illum *Exequens*, ut docet D. *Thomas* loco citato.

Ratio primæ partis est, quod *Mandans* sit causa principalis, & author damnificationis, ita ut actio damnificativa ejus nomine ab aliis tanquam instrumentis exerceatur.

Ratio secundæ partis est, quod *Executor* respectu aliorum Coöperantium sit causa magis principalis.

Dico 5. Post *Executorem* tenentur alii, qui positivè concurrunt, ut *Consulens*, *Consentiens*, *Palpo*, *Receptans*, & quidem æque primò, quià sibi mutuo non subordinantur, & æquè principaliter in damnum videntur influere.

Omitto *Participantem*, quià si participat in prædâ, tenetur primo loco, ut satis patet ex dictis; vel est *Particeps* in actione damnificativâ, & sic obligatur eodem loco, quo *Executor*, ut per se liquet.

Dico 6. Qui coöperantur *negativè*, tenentur post alios, qui *positivè* concurrunt. Ratio est, quià influxus eorum est inefficacior, & posterior actione Coöperantium positivè.

Multi inter Coöperantes negativè hunc ordinem ponunt, ut *primo* loco teneatur *non obstans*, secundo

do *mutus*, tertio *non manifestans*, quià *non obstans* tenebatur ponere impedimentum efficacius quam *mutus*, & *non manifestans*, quià furi resistere debebat facto. *Mutus* vero furem voce immediatè arcêre tenebatur, ubi *non manifestans* mediatè dumtaxat damnum impedire, aut ejus reparationem procurare obligatur.

Cæterùm hæc non tanti sunt momenti, ut *Coöperatores* isti impari loco constitui necessariò debeant; saltem ità, ut unus antè alium obligetur.

Petes: *An quando is, qui damnum passus est, uni debitum relaxat, cæteri Coöperatores evadant liberi?*

Resp. si obligatio restitutionis relaxetur illi, qui antè alios obligatur, certum est omnes, qui post ipsum tenentur, liberari; quià non nisi ipso deficiente, obligabantur.

Si autem relaxatio illa respiciat unum ex posterioribus, anteriores non eximuntur, quià hi tenentur independenter à posterioribus.

Si unus eorum, qui æquè primò, vel æqualiter obligantur, à restitutionis onere liberetur, reliqui ejusdem ordinis & gradûs obstricti remanent.

Dico ultimò: quæ de ordine inter Coöperatores servando jam dicta sunt, non adeò solido nituntur fundamento, ut pro certis habêri debeant. Mihi sanè probabilius apparet, quod Coöperatores omnes ad partem aliquam majorem, aut minorem obligentur, prout magis, vel minùs efficaciter in damnum influunt.

Hactenùs intelligere non valui, cur qui ædes alterius ex pravo alicujus consilio incendit, totum illud damnum reparare teneretur, cum Consiliarius ille æquè, vel potius damni author, & causa dici debeat.

Insuper si dependentia Coöperationis ordinem illum fundet, ut plerique existimant, *Consulens* ante

Exequen-

Exequentem sæpius obligabitur, quià influxus ejus est naturâ prior, & executio à consilio plerumque dependet, ità quidem ut sine illo non poneretur.

CAPUT X.

De Injuria, & Restitutione honoris, & famæ.

QUÆSTIO I.

Quid Fama, Honor, Detractio, Contumelia?

Dico 1. Fama strictè accepta *est bona æstimatio plurium de vita, & moribus alterius.*

Honor verò est testificatio excellentiæ alterius facta per externam reverentiæ, aut submissionis exhibitionem.

Hæc inter famam, & honorem est differentia, quod *fama* in judicio interno, *honor* verò in externo reverentiæ, seu submissionis signo consistat. Item quod fama sit existimatio plurium, honor verò possit esse unius.

Advertendum tamen, quod, quando hîc de læsione famæ agitur, Fama non tam strictè sumatur, sed paulò largius, scilicet: pro bonâ æstimatione etiam unius, quæ per detractionem aufertur.

Dico 2. Detractio est *alienæ famæ occulta, & injusta læsio, seu ablatio.*

Contumelia est alieni honoris injusta, & aperta, & quasi in faciem violenta læsio, seu ablatio. Sicut ergo rapina est gravior furto simplici, ità malitia contume-

tumeliæ major est quam Detractionis, quæ proindè in Confessione specialiter exprimi debet.

Petes 1. *Quotuplex sit Detractio?*

Resp. duplex, scilicet materialis, & formalis. *Detractio materialis* est, quando lædimus famam proximi bonâ fide, & citrà peccatum, ut si quis peccatum alterius satis publicum prudenter, & certò judicet, atque ità de illo loquatur. *Formalis est*, quando famam alterius destruimus cum injuriâ proximi, & peccato coram Deo.

Petes 2. *Quot modis fiat Detractio?*

Resp. quod *directè fiat* quatuor modis, scilicet *imponendo falsum crimen, amplificando verum, detegendo occultum*, & *sinistrè interpretando*, quod ab alio rectè gestum est.

Fit etiam indirectè quatuor modis scilicet *negando dotes alterius*, aut recte-factum, *illud extenuando*, item *tacendo* in istis circumstantiis, in quibus silentium pro vituperio habetur, denique *frigidè laudando*. Omnes hi modi sequentibus verficulis continentur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remissè.

Petes 3. *Quale peccatum sit Detractio?*

Resp. est ex genere suo mortale, quiâ non minus potest esse peccatum grave sistendo in ratione Detractionis, & non transeundo ad aliam speciem peccati, quam ablatio pecuniæ, quæ minoris momenti, & æstimationis est, quam fama.

Cæterùm sicut in furto, & in aliis, ità etiam in Detractione levitas materiæ, & indeliberatio actûs minuunt culpam, & ex mortali faciunt venialem.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An viro prudenti, & taciturno crimen alterius revelare liceat?

REsp. & *Dico*, à mortali peccato excusari non potest, qui crimen alterius vel uni viro, & quidem prudenti, ac taciturno sine justâ, & urgente causâ manifestat.

Prob. 1. Quià ejusmodi manifestatio est famæ alienæ, seu bonæ æstimationis in tali viro, cui crimen aperitur, destructio, seu extinctio, quam graviter injuriosam negare nemo potest, quandoquidem æstimatio etiam unius viri prudentis permagni sit momenti.

Prob. 2. Si vir ille taciturnus alterum gravis peccati reum temerariè judicaret, mortiferè delinqueret, quià ejusmodi judicium alteri esset injuriosum, qui per hoc grave damnum pateretur: ergo etiam peccatur lethaliter, quando idem peccatum occultum ei revelatur, quià per hoc non minùs læditur fama alterius apud talem virum, quam si hic judicium temerarium de simili crimine formaret.

Multi existimant Pœnitentem peccatum mortale licitè in Confessione celare, quando prævidet illud per Confessarium alicui tertio revelandum: ex quo evidens est, nocumentum famæ satis grande esse, quando crimen vel uni dumtaxat manifestatur, quià alioquin ne vel ratio verosimilis haberetur in tali casu non integrè confitendi.

Obj. 1. Dum crimen occultum uni tantùm revelatur, fama alterius non destruitur, quandoquidem in æstimatione plurium sita sit, ut ante dictum est.

Resp. 1. quod fama alterius si non destruatur penitùs,

nitùs, ſaltem graviter lædatur, quod ad peccatum mortale ſufficit.

Alii dicunt, quod tunc habeatur inchoatio quædam deſtructionis famæ alterius, & talis quidem, quæ gravem injuriam involvit, & notabile nocumentum infert.

Reſp. 2. quæſtionem eſſe de nomine, an in caſu noſtro fama deſtruatur: ſi enim per famam quis intelligat æſtimationem plurium, in aperto eſt, ejuſmodi revelatione famam non perire. Cæterùm quæcumque æſtimatio, etiam unius dumtaxat, Fama dici poteſt, quo ſenſu famam hîc annihilari, planum eſt.

Obj. 2. Per ejuſmodi revelationem nihil alterí emerget incommodi, quià vir ille ſibi commiſſa centum, quod aiunt, occludet clavibus.

Reſp. *negando aſſumptum*: quià jacturam famæ patietur apud illum, cui crimen manifeſtatur.

Petes: *An crimen alterius Superiori ſine notâ detractionis manifeſtari poſſit?*

Reſp. *affirmativè*, ſi nempè ordo correptionis fraternæ ſervetur, qui deſcribitur *Matthæi* 18.

Id ipſum docet *D. Thomas* 2. 2. q. 33. art. 7. in Corpore dicens, quod, quando peccatum Fratris eſt publicum, poſſit etiam coram aliis argui, ſi verò ſit occultum, & vergat in damnum notabile aliorum, poſſit manifeſtari illis, qui iſtud impedire poſſunt, modò tamen non ſit moraliter certum, quod per ſecretam admonitionem ceſſaret: tunc enim non liceret manifeſtare aliis.

Si autem ex peccato occulto nullum aliis damnum immineat, ordinariè non licet iſtud immediatè Prælato dicere prætermiſsâ fraternâ correptione, quam *Chriſtus* requirit.

Hoc etiam *D. Thomas* loco citato ad 5. extendit ad caſum, *quando Prælatus præcipit, ut ſibi dicatur, quod quis ſciverit corrigendum, quià*, inquit, *intelligendum*

gendum est præceptum sanè, salvo ordine fraternæ correptionis, sive præceptum fiat communiter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed si Prælatus expressè præciperet contrà hunc ordinem à Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens.

Fatendum tamen, quod post privatam monitionem sine fructu, & emendatione adhibitam, res ad Superiorem devolvi tutò queat, imò debeat, ut nempè ab ipso efficacius remedium spirituali morbo Fratris adhibeatur.

Non statim tamen post unam secretam monitionem incassum factam ad ejusmodi manifestationem procedendum est, sed occultæ correptioni insisti debet, quamdiu probabilis spes emendationis affulget, nisi fortè alicui periculum gravis damni crearetur ex dilatione.

QUÆSTIO III.

An liceat alterius crimen in uno loco publicum divulgare in alio?

Nota, crimen posse esse publicum vel *jure*, vel *facto*.

Dicitur publicum jure, quando per Confessionem, aut convictionem in judicio, vel per sententiam Judicis de ipso constat.

Dicitur publicum ipso facto, quando crimen patratum est in talibus circumstantiis, ut moraliter loquendo non possit celari: V. G. si quis in foro multis adstantibus hominem occiderit.

Resp. & *Dico* 1. Non est contrà justitiam infamem in uno loco per sententiam publicam, diffamare in alio, quià talis jure ad famam excidit, & infamia censetur pars pœnæ pro peccato à judice inflictæ.

Dixi, per ſententiam publicam, quià non-numquam ſententia judicis certis limitibus circumſcribitur, ita ut in aliis locis, ſeu apud alias perſonas crimen divulgari nolit: hinc violatæ juſtitiæ reus eſt, qui facinus aliquod in familia, ſeu Religione punitum, in notitiam aliorum deducit.

Obſervandum tamen, quod per ſententiam publicam infamem in uno loco diffamare in alio, charitati ſæpius adverſetur.

Dico 2. Juſtitiæ repugnat illum, qui ratione facti infamis eſt in uno loco, diffamare in alio, ad quem notitia criminis non tam facilè poterat pervenire, quià talis retinet jus ad ſuam famam pro iſto loco, quandoquidem ratione delicti famâ non excidat, niſi quantùm notoreitas facti poſtulat.

Collige 1. Infamem notorium, qui talis eſt in uno loco, quià crimen confeſſus, aut de eo convictus fuit in judicio, citrà injuſtitiam non poſſe infamari in alio loco, ad quem notitia criminis non facilè poterat devolvi, ſi nempè ſententia non ſit ſecuta, quià talis infamia non eſt pœna criminis, ſed tantùm effectus Confeſſionis, quæ non magis jus ad famam tollit, quam ipſa facti notoreitas.

Collige 2. Tales abſque injuſtitiâ infamari in illis locis, ad quæ notitia criminis facilè perventura erat, quià pro iſtis locis jus ad famam perdidiſſe cenſentur.

Cæterùm proximi peccata, & defectus, etiam illis in locis divulgare charitas vetat, niſi peculiaris, & urgens ratio interveniat.

Petes: *quid ſi infamis diuturnitate temporis, aut oblivione ipſorum, qui conſcii erant, vel probâ vitâ famam recuperet, poteritne abſque injuſtitiâ denuò infamari?*

Reſp. *negativè*, quià pleno jure ad famam præſentem gaudet.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Diversis materiam præsentem concernentibus.

PEtes 1. *An justitiam violet, qui occultum proximi crimen ab aliis injustè publicatum divulgare pergit?*

Resp. verosimilius esse, quod in justitiam impingat, quià ejusmodi divulgatio est injuriæ ab aliis irrogatæ continuatio, quià qui peccatum commisit, non privatur jure ad famam ob iniquitatem illius, qui primò detraxit, & peccatum sine causâ aperire cœpit.

Petes 2. *An justitiam lædat, qui infamatum de uno crimine infamat de alio?*

Resp. *affirmativè*, quià infamis ratione unius criminis non excidit jure ad famam respectu aliorum, quæ occulta sunt. Secùs tamen dicendum, si crimen, quod manifestatur, cum alio jam satis publicato talem habet connexionem, ut in ejus notitiam facilè deveniri possit: item quando specialem notam superaddere non censetur.

Petes 3. *Utrum justitiæ repugnet divulgare crimen alicujus, quod per sententiam Judicis brevì publicandum certò scimus?*

Resp. cum fama justè, & brevi destruenda non sit magnæ æstimationis, nocumentum, quod tali divulgatione proximo infertur, parvi apparet momenti. Sanè si quis V. G. bovem alterius naturali morte statim periturum occidat, haud gravem Domino injuriam irrogat: ergo similiter.

Verùm quando fama injustè auferenda prævidetur, eam prævièdestruens non minùs peccat, quam peccassent alii, qui postea famam injustè destruxissent.

Petes 4. *An peccet, qui merè refert occultum alterius*

terius crimen nihil asserendo, sed disertè addendo: Hoc quidem de tali audivi, sed quòd verum sit, affirmare nolim?

Resp. plerumque in audientibus suspicionem aliquam narrati criminis generari, ac proindè grave vulnus famæ alterius infligi, præsertim quando author istius rumoris fide dignus nominatur, vel etiam quando causa additur, cur istud perpetrasse credatur: ex quo narratorem ejusmodi à gravi peccato excusari non posse satis liquet.

Petes 5. *An defunctorum occulta crimina revelare liceat?*

Resp. *negativè*: quià defuncti jus ad famam suam retinent perindè, acsi adhuc viverent.

Petes 6. *An licitè infametur, qui fictis virtutibus famam sibi bonam comparavit?*

Resp. *negativè*, quià par est aliis occultè peccantibus, adeòque nequitia ejus sine causâ rationabili manifestari licitè non potest.

Petes 7. *An detractio, quæ fit ex loquacitate sine advertentiâ, peccatum sit?*

Resp. *affirmativè*, quià licet læsio famæ alterius directè, & expressè non intendatur, est equidem volita interpretativè, quatenùs voluntariè verba proferuntur, ex quibus læsio famæ alterius prævidêri potest.

Admittendum tamen, quod subindè verbum aliquod alterum lædens ore sic possit excidere, ut propter inadvertentiam in peccatum non imputetur. Verùm hac excusatione uti non possunt, qui in loquendo nimis præcipites, quidquid in buccam venit, effutiunt, quià læsio famæ aliorum ipsis in causâ saltem, scilicet in istâ præcipitantiâ, voluntaria censeri debet.

Petes 8. *An crimen occultum referre liceat, Personam occultando?*

Resp.

Resp. id à detractione satis remotum esse, modò non sit periculum, ne Persona innotescat. Cæterùm narrationes ejusmodi plerumque verbis otiosis accensêri debent, imò subindè ansam scandali præbêre possunt.

Petes 9 *An peccatum mortale alterius revelare semper sit lethiferum?*

Resp. *negativè*, quià fieri potest, ut ille, cujus peccatum manifestatur, id non admodum ægrè ferat: ut si quis dicat militem iniviſſe duellum, qui de ejusmodi pugnis gloriari solet.

Petes 10. *An denudatio peccati venialis aliquando mortalis esse posset?*

Resp. *affirmativè*, ut si V. G. de viro honorato quis dicat, illum promiscuè mentiri: quià æstimatio ejus tali assertione graviter lædi potest.

Petes 11. *An amico exponere liceat injuriam, quam occultè ab aliquo passi sumus?*

Resp. id licitè fieri, si author injuriæ non exprimatur. Verùm id ad detractionem pertinet, si, quis injuriam intulerit, exponatur, nisi fortè id necessarium sit ad procurandam injuriæ reparationem, aut injuriam similem, quæ timetur, propulsandam.

Petes 12. *An Detractori aures præbere charitati, vel justitiæ repugnet?*

Resp. 1. id justitiæ adversari, si per hoc occasionem demus detractioni, vel si detractorem ad detractionem inchoandam, vel continuandam excitemus.

Ex quo patet, illum Detractionis, & læsæ justitiæ reum esse, qui Detractorem interrogat prævidens, aut prævidêre valens illum in detractionem erupturum.

Resp. 2. detractionem merè audire, & Detractorem non monêre, quando commodè, & cum spe emendationis id fieri potest, tantùm repugnat cha-

ritati, nisi quis detractionem ex justitiâ impedire teneatur.

Cæterùm *observandum*, quod quando spes nulla affulget emendationis, aut alterius utilitatis, nulla sit obligatio monendi Detractorem, aut displicentiam ostendendi.

Verùm quamvis Detractor obduratæ mentis cognoscatur, ipsi resisti sæpius debet, ut alterius fama integra servetur.

Dubium non est, quin mortaliter peccet, qui detractione gravi oblectatur, quamvis tales sint circumstantiæ, in quibus obligatio non est Detractorem corripiendi, nisi fortè complacentia versaretur merè circà facundiam Detractoris.

QUÆSTIO V.

An judicium temerarium, Opinio, & Suspicio justitiæ opponantur?

Nota 1. Quod propriè illud *judicium prudens*, quod motivis est proportionatum, & à morali erroris periculo alienum. Quo sensu omnis opinio imprudens dici potest, quandoquidem errori obnoxia sit.

Nota 2. Quod Theologi plerique in præsentiarum illud *judicium prudens* appellent, quod motivis occurrentibus est proportionatum, sive motiva illa certa sint, sive incerta, & tantùm probabilia.

Juxtà hanc acceptionem illud *judicium imprudens* dicitur, quod non est proportionatum motivis, quæ occurrunt, sed extrà eorum exigentiam progreditur, ut V. G. si judicem *Petrum* velle furari, eoquòd serò domo egrediatur.

Ad judicium temerarium pertinent opinio temeraria, suspicio, & dubitatio.

Judi-

Judicium temerarium speciatim sumptum, *est firmus, & absolutus assensus, sive judicium certum sufficienti fundamento, & motivo carens.*

Opinio temeraria est judicium cum formidine de oppositio ultrà exigentiam motivorum progrediens.

Suspicio est inclinatio in assensum, sive propensio ad judicandum.

Dubitatio est suspensio omnis assensûs. His prænotatis,

Dico 1. Judicium certum de peccato, aut improbitate alterius, motivis occurrentibus proportionatum, neque justitiæ, neque charitati adversatur: V. G. si quis videns *Petrum* furari, aut ex testibus fidedignis id audiens, judicet illum esse furem, nullius peccati argui potest. Apertè id docet S. *Aug.* Serm. 66. aliàs 202. de Temp. Et ratio suffragatur, quià quando proximi peccatum nobis apertum, & manifestum est, judicium suspendere, vel non possumus, vel saltem non debemus.

Dico 2. Quando motiva improbitatis tantùm probabilia sunt, imprudenter proximum, quamvis cum formidine de oppositio, judicamus improbum, quià periculo nos exponimus errandi, hominemque probum velut improbum dijudicandi. Hac de re legi potest S. *Aug.* serm. 66. aliàs 202. de Temp. & lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 18. ubi etiam docet, quod in illis, quæ an bono, an malo animo fiant, scire non possumus, meliùs in partem dexteram animum inclinemus.

Imò non pauci tradunt, quod dubia æstimationem proximi concernentia in meliorem partem sic interpretanda, & torquenda sint, ut positivè de ipso benè sentiamus, quià, ut ipsi quidem asserunt, quilibet jus habet, ut positivè judicetur probus, donec certò demonstretur improbus.

Nec refert, inquiunt, quod tunc benè judicando

de proximo, nos erroris periculo objiciamus : quià satius est speculativi erroris discrimen incurrere , quam certam proximo injuriam inferre , ipsum in casu dubii ex possessione suæ famæ deturbando. In patrocinium hujus assertionis assumitur S. *Augustinus* locis proximè citatis.

Dico 3. Judicium temerarium, ut & opinio non tantùm charitati , sed etiam justitiæ opponuntur. Idem de suspicione temerariâ, & dubitatione resolvendum.

Ratio est, quià proximus ad famam, & bonam æstimationem jus habet, quamdiu motiva, & fundamenta aliter judicandi non suppeditat. Sanè si detractio exterior proximo graviter nocet , quatenùs internam æstimationem bonam tollit , & destruit, etiam dubitatio, id est, omnis judicii suspensio, & multò magis infundata suspicio , & opinio ipsi admodum injuriosa est, quandoquidem per illa ejus fama, id est, bona æstimatio pereat.

Ex quo patet, non tantùm judicium temerarium, sed & Opinionem, Suspicionem , dubitationemque esse peccata ex suo genere mortalia, quamvis propter indeliberationem actûs, & materiæ parvitatem venialia esse possint. Et ità exponendus est *D. Thomas*, quando dubitationem de bonitate alicujus dumtaxat venialem videtur asserere.

QUÆSTIO VI.

An se, vel alium infamare liceat ad evadendum grave incommodum?

Nota 1. Certum esse, quod numquam per impositionem falsi criminis se, vel alium liceat infamare, eoquòd mendacium intrinsecè ità sit malum, ut nullâ ex causâ umquam possit esse licitum.

Quæ-

Quæstio igitur de manifestatione veri quidem, sed occulti criminis intelligenda est. Ad quam

Resp. & *Dico* 1. verum alterius crimen detegere licet ad grave incommodum spirituale, vel temporale à nobis, vel proximo avertendum, quando nempè illud aliâ viâ à nobis avertere non valemus.

Prob. 1. Ex facto Christi, qui *Lucæ* 12. Discipulos suos ità præmonet: *attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Ità Apostol. 2. ad Timoth. quarto v. 14. & 15. scribit *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit.....quem & tu devita.*

Prob. 2. Ex D. *Thomâ*, qui 2. 2. q. 73. art 2. in Corp. sic ait: *si verba, per quæ diminuitur fama alterius, proferat aliquis propter aliquid bonum, vel necessarium, debitis circumstantiis observatis: non est peccatum, nec dici potest Detractio.* Rationem paulò ante assignat, quià *hoc non est formaliter detrahere, sed materialiter, & quasi per accidens*, eoquòd Detrahens utatur suo jure, nec intendat infamiam alterius, sed tantùm velit consulere bono illius, cui malum imminet: undè respectu læsionis famæ quasi permissivè se habet, vel saltem infamatus de eá rationabiliter conqueri non potest.

Porrò ut clarius intelligatur, quando denudatio veri criminis in praxi licita sit, hæc regula servari poterit:

Quando malum ex occulto alterius peccato secuturum non nisi per ejus manifestationem impediri potest, & longè gravius est malo, quod ex peccati denudatione orietur, licitè illud aperimus iis, qui nocumentum nobis, vel alteri impendens avertere valent.

Collige 1. Quod, si noverim *Petrum* V. G. esse furem, vel suspectæ doctrinæ, licitè admoneam cohabitantes, ut sibi caveant.

Collige 2. Quod vitio verti non possit, si quis vitia, & defectus alicujus ad Officium, vel Beneficium aspirantis Episcopo, vel alteri Superiori manifestet, ne scilicet indignus cum multâ animarum strage promoveatur. Imò ejusmodi manifestationem in præcepto esse, dubitari non potest.

Collige 3. Quod licitè detegatur occultum proximi peccatum Superiori, vel testibus, servato tamen juris ordine, & legibus fraternæ charitatis, ut ipse criminosus ad pœnitentiam, & meliorem vitam adducatur.

Collige 4. Quod licitè alicui Confessario, vel Superiori declarem, & manifestem illum, qui me ad peccandum sollicitat, ut mihi consulam, aliumque ab illo proposito abducam, nisi fortè ego ipse alium emendare, & periculum à me arcêre queam.

Dices: illicitum mihi est alterius nummos auferre ad avertenda gravia damna, vel etiam tormenta, quæ mihi, vel tertio impendent: ergo multò minus ex simili causâ famam ejus destruere licet, quandoquidem bona æstimatio pecuniis præponderet.

Resp. *negando consequentiam*, disparitas est, quod jus ad pecunias sit plenum, absolutum, & illimitatum; jus autem ad famam, supposito crimine, sit quasi restrictum & limitatum, ita ut solùm prohibeatur ejus ablatio, seu destructio sine causâ rationabili. Ratio est, quiâ peccator, quando delinquit jus ad suam famam amittit, saltem hoc sensu, quod rationabiliter conqueri non valeat, quando peccatum ex causâ legitimâ manifestatur.

Prætereà æquum est, ut peccator delicti sui manifestationem sustineat potiùs, quam innocens gravia damna patiatur.

Petes 1. *Quid si crimen alterius viâ secretâ noverim?*

Resp. id nihil referre, nisi forsan ex Confessione tan-

tantùm sciam, aut promiserim me, non obstante gravi incommodo proprio, secretum non aperturum, quià secluso pacto secretum proximi cum gravi damno, aut incommodo celare non teneor.

Petes 2. *An licitè detegam crimen alterius occultum, ut mortem, aut gravia tormenta evadam, quamvis prævideam illum similibus incommodis involvendum?*

Resp. *affirmativè*: quià utor jure meo, & satius est, ut nocens, quam innocens mortem subeat.

Dico 2. Licitè quis proprium crimen fatetur ad evadendam torturam, quamvis supplicium mortis ex confessione secuturum prævideat. Ratio est, quià non tenetur famam suam cum tanto suo incommodo conservare.

Nec refert, quod propriæ mortis occasionem ponat: quià justâ ex causâ id facit, & quidem justitiæ hoc pacto satisfacit.

Petes 3. *An seipsum sine causâ infamare liceat?*

Resp. *negativè*, quamquam id justitiæ non appareat adversum, cum cuilibet famæ suæ dominium competat.

Cæterùm dubitari non potest, quin gravi ex causâ defectus, & peccata propria aliis licitè denudemus, secluso tamen scandali periculo.

QUÆSTIO VII.

An liceat sibi, vel alteri falsum crimen imponere ad evadendam torturam?

NOta, quæstionem non esse, an talis mendacii reatum incurrat, sed an detractionis, & homicidii reus sit, si alter, cui crimen imponitur, capite plectatur.

Dico 1. Qui ad evadendam torturam alteri falsum

ſum crimen imponit, propter quod mors ipſi à judice inferetur, detractionis, & homicidii peccato innectitur. Ratio eſt, quià famam alterius injuſtè deſtruit, & laqueum mortis innocenti ſtruit.

Dico 2. Etiam mortaliter peccat, qui falſum crimen ſibi imponit ad evadendos torturæ cruciatus.

Ratio eſt, quià talis cauſam propriæ mortis ponit, & ſeipſum gladio linguæ interficit.

Obj. quilibet eſt propriæ famæ Dominus: ergo gravis peccati reatum non contrahimus, quando famam noſtram per impoſitionem falſi criminis deſtruimus.

Reſp. quod quamvis fortè gravis peccati reus non ſit, quatenùs famam ſuam deſtruit, ex alio tamen capite reatum lethalem contrahat, quatenùs nempè innocentem, ſcilicet ſeipſum, moraliter occidit.

Collige, quod qui vi tormentorum falſum ſibi crimen impoſuit, ex quo mors ſequètur, ſub culpá gravi ad revocationem ſui dicti teneatur.

Petes: *An graviter delinquat, qui ſe crimen, de quo per falſos teſtes convictus eſt, commiſiſſe fatetur, ut gratiam, & relaxationem pœnæ, quam judex ſuppoſitâ peccati confeſſione offert, conſequatur?*

Reſp. *negativè*, quià ſolùm famæ ſuæ diſpendium patitur, quod gravi ex causâ ſubire poteſt, ſaltem ſine gravi peccato, quandoquidem jus, & dominium in famam ſuam habeat.

Quod autem in veritatem impingat, grave cenſèri non ſolet. Si tamen Confeſſionis veritatem juramento aſſereret, Sacrilegii crimine innecteretur, quatenùs Deum teſtem falſi efficeret.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

Quinam ad restitutionem famæ teneantur?

REsp. & *Dico* 1. Ad restitutionem famæ tenentur omnes, qui famam alterius injustè læserunt sive mediatè, sive immediatè. Porrò mediatè famam proximi lædunt, qui *mandando*, *consulendo*, *laudando*, aut alio quocumque modo in detractionem influunt.

Petes 1. *An hæredes Detractoris defuncti ad famæ reparationem obligentur?*

Resp. passim id negari, nisi infamatus damnum aliquod extrinsecum ex infamia sustinuerit.

Ratio autem hæc assignari solet, quod obligatio restituendi famam sit personalis, adeòque non transeat ad hæredes.

Verùm, qui sustinent famam pecuniâ, vel re aliâ esse compensandam, quando secundùm se restitui nequit, admittere coguntur, hæredes restitutionis onere gravari, quià detractoris defuncti possessiones infamato devinctas & obstrictas acceperunt.

Obj. hæredes non succedunt in famam defuncti: ergo &c.

Resp. *negando consequentiam*: quià non succedunt etiam in ejus vitam, & tamen si defunctus aliquem injustè occidit, tenentur aliquid pendere pro usu vitæ injustè ablato. Sufficit ergo, quod succedant in bona defuncti, quæ infamato obstricta remanent, ubi fama secundùm se restitui nequit.

Petes 2. *An qui bonâ fide, & sine peccato alium infamavit, quià peccatum ejus publicum arbitrabatur, ad restitutionem obligetur, quando postea deprehendit se errasse?*

Resp. quod teneatur restituere, quandò commodè

dè potest restituere. Ratio est, quià debet satagere, ut proximo non sit causa damni. Porrò si errore cognito dictum suum non retractaret, causam infamiæ à se positam moraliter continuaret: ergo &c.

Deindè qui rem alterius bonâ fide abstúlit ad restitutionem obligatur, quamdiu res in ejus potestate permanet, & efficere debet, ut Domino suo reddatur: ergo &c.

Obj. 1. talis non tenetur ad restitutionem titulo *rei acceptæ*, quià fama destructa est; nec ratione *injustæ acceptionis*, quià eam bonâ fide destruxit: ergo &c.

Resp *negando antecedens* pro primâ parte, quià fama censetur moraliter existere apud Detractorem, & ab illo quasi detinêri, quamdiu commodè restitui potest.

Obj. 2. Ergo etiam tenebitur resarcire damna realia, si quæ consequantur.

Resp. admittendo *sequelam*, si agatur de damnis, quæ ex infamiâ sequuntur, postquam detractor ille deprehendit se errasse, & in morá fuit respectu reparationis famæ, ad quam tunc obstringebatur, quià injusta illorum causa existit. Verùm aliud est de damnis, quæ infamato emerserunt illo tempore, quo detractor adhuc in bonâ fide erat.

Petes 3. *An Prælatus teneatur ex justitiâ ad restitutionem famæ, cujus ablationem non impedit?*

Resp illum deficiente detractore tenêri *primò*, quando uterque, id est, detractor, & infamatus est illi subditus. *Secundò*, quando subditus detrahit non subdito. *Tertiò*, quando subditus detrahit Communitati.

Ratio est, quià tenetur ex officio curare, ut subditi nemini noceant, & ut Communitati à nemine nocumentum inferatur.

An autem obligetur, quando videt non subditum detrahere suo subdito, & non impedit, in controversiâ

versiâ est. Cæterùm probabilius est, illum obligari, quià tenetur ex Officio procurare, non solùm ut Communitas, sed etiam ut subditi in particulari quoad famam injuriâ non afficiantur; partim quià bonum particularium redundat in Communitatem, quemadmodum, & infamia; partim quià fama conducit ad honestatem vitæ, ac morum, quæ immediatè subjacet curæ Superioris: fama enim est quasi frænum honestatis, & virtutis, quo semel excusso, plerique licentiùs vivunt cum scandalo Communitatis.

Resolutio jam data comprehendit Dominos respectu servorum, Parentes, & Curatores respectivè.

Quod autem Superiores seculares non teneantur peculiari obligatione procurare, ut subditi quoad famam neque injuriam aliis inferant, neque ab aliis patiantur, communis est apprehensio. Si tamen pars læsa satisfactionem juridicè postulet, Detractor cogi solet à judice, ut vel probet, quod dixit, vel retractet. Cæterùm si probam sufficientem adducere queat, non compellitur, ut parti læsæ satisfaciat, sed conscientiæ suæ relinquitur.

Detractiones tamen, quæ per libellos famosos fiunt, Magistratus, aut alii Superiores seculares ex Officio impedire tenentur.

QUÆSTIO IX.

Apud quos fama reparari debeat? & quid loco famæ restituendum?

Dico 1. Fama reparari debet apud omnes, coram quibus detractor immediatè alterius peccatum, vel defectum manifestavit.

Quoad alios, ad quos infamia mediatè solùm pervenit, distinguendum est: vel enim Detractor prævidit ulteriorem divulgationem ex suâ detractione secutu-

cuturam, aut prævidêre potuit, & tunc procurare tenetur, ut fama læsa omninò à divulgatoribus reparetur, illisque deficientibus ipse id præstare tenetur : vel prævidêre non potuit, & tunc non apparet ad hoc obligatus.

Dico 2. Fama restitui debet, damnaque ex infamiá secuta compensari, ut si V. G infamatus fuerit privatus Officio, aut à consecutione Beneficii impeditus : quià detractor damnorum ex infamiâ emergentium injusta causa est.

Nonnulli quidem assertionem istam restringunt ad detractionem per impositionem falsi criminis factam; sed imineritò, qui enim injustè alterius peccatum reverà commissum detegit, est injusta causa damni, V. G. privationis Officii, quæ ex illá manifestatione sequitur.

Petes 1. *An fama pecuniis, aut aliâ re compensari debeat, quando secundùm se restitui nequit?*

Resp. *affirmativè*, ità sentire videtur *D. Thomas* 2. 2. q. 62. art. 2. ad secundum dicens: *Cùm aliquis prodit crimen alterius contrà ordinem debitum, tenetur ad compensationem famæ quantùm potest..... vel si non possit famam restituere, debet ei aliter compensare, sicut & in aliis dictum est.* Porrò ibidem ad primum disertè affirmat, quod compensatio pecuniaria fieri debeat pro ablatione membri: ergo similiter.

Obj. Fama est ordinis superioris : ergo pecuniâ compensari nequit.

Resp. *negando consequentiam*, quià membra, & vita hominis famam præstantiâ superant, & tamen pecuniâ compensantur.

Deindè fatentur omnes, Detractorem interveniente sententiâ Judicis ad compensationem pecuniariam tenêri : ergo omnium judicio fama per pecuniam aliqualiter compensari potest. Sanè quamvis Deo pro injuriâ

injuriâ per peccatum mortale irrogatâ plenè, & adæquatè satisfieri à nobis non possit, non tamen ab omni satisfactione idcircò exempti sumus.

Instabis, res spiritualis V. G. Baptismus illicitè pecuniâ compensatur, quià est bonum aliquod superioris ordinis: ergo similiter.

Resp. rationem, cur res spiritualis pecuniâ perperam compensetur, hanc esse, quod ejusmodi compensatio in irreverentiam rei spiritualis, & in injuriam Spiritûs Sancti cedat, ut in Tractatu de *Religione* ostenditur.

Insuper rerum spiritualium non Domini, sed meri dispensatores sumus, & voluntas Dei est, ut eas gratis elargiamur.

QUÆSTIO X.

Quomodò Fama restitui debeat?

Dico 1. Qui detraxit falsum crimen imponendo, tenetur apertè confitêri, sese falsum dixisse, ut docet *S. Thomas* 2. 2. q. 62. art. 2. & juramento, si opus fuerit, vel testibus dicti sui falsitatem comprobare, ut prava æstimatio de improbitate proximi ex animo Auditorum evellatur radicitùs. Quarè non sufficit locutio æquivoca, quæ in alio forsitan sensu ab Auditoribus intelligetur.

Dico 2. Qui famam alterius injustè læsit per manifestationem veri criminis, tenetur famam reparare quantùm potest, *sine mendacio tamen*, inquit *D. Thomas* loco citato: quarè non poterit dicere, se fuisse mentitum, quià dictio illa esset mendacium: neque restrictione purè mentali utetur, cum hæc solo nomine à mendacio differat. Dicat igitur, ait *D. Thomas* ibidem, se malum dixisse.

Sunt & alii modi restitutioni famæ satis accommodi,

modi; ut si Detractor dicat, sese erraſſe : erratur enim non solùm à vero per mendacium, sed etiam à recto per quodvis peccatum. Item si sese sine fundamento, & ratione locutum profiteatur.

Si per hæc nota inusta non eluatur, infamatum aliundè palam laudare, & honorare poterit, præsertim coram illis, quibus ejus peccatum revelavit.

Si nec istud sufficiat, poterit coram eisdem veniam ab infamato postulare, dicendo se malè, & injustè fuisse locutum.

QUÆSTIO XI.

Quænam excusent à restitutione famæ?

REsp. & *Dico*, variæ rationes à restitutione famæ excusantes assignari solent. *Prima* est impotentia. *Secunda* condonatio à parte læsâ sponte facta.

Tertia, si infamia re ipsâ subsecuta non sit: quià V. G. crimen prævie notum erat, vel Detractor erat nullius fidei, vel Audientes non crediderunt, vel non intellexerunt.

Quarta, si infamia oblivione deleta censeatur.

Quinta, si infamatus aliundè famam suam recuperaverit.

Sexta, quando crimen aliâ viâ legitimâ licitâque, V. G. per sententiam Judicis publicum evasit. Sed si illigitimè per alium Detractorem sit publicatum, primus *ille* detractor ab onere restitutionis non eximitur.

Septima, si fama non nisi cum periculo vitæ restitui possit.

Casum tamen excipe, quo periculum vitæ ipsi infamato immineret, quamvis detractio per manifestationem veri criminis facta sit. Ratio est, quià in

tali

tali angustiâ innocens detractori præferendus est, & causa mortis injustè posita tolli debet.

Petes 1. *An Detractor cum propriâ infamiâ famam alterius reparare teneatur?*

Resp. *affirmativè*, ob rationem jam allegatam, quià conditio innocentis melior est conditione Detractoris, sibique imputare debet Detractor, quod famæ jacturam subire cogatur.

Exceptio tamen est in Superiore respectu subditi, si fama Superioris Communitati necessaria sit. Hoc casu subditus non est rationabiliter invitus respectu carentiæ famæ, eoquòd bonum commune privato præferri debeat.

Petes 2. *An Detractor à restitutione famæ excusetur titulo compensationis, quià infamatus illi vicissim detraxit?*

Resp. *negativè*, per reciprocam enim infamationem non tollitur damnum, quod alter alteri intulit: undè non est paritas inter illos, qui sibi mutuo sunt obærati, vel qui mutuas ædes incenderunt, & titulo compensationis à solutione eximuntur, eoquòd talis compensatio damnum illatum virtualiter tollat: sive enim alter mihi solvat mille florenos pro domo incensâ, & ego similem pecuniæ quantitatem ipsi debitam contribuam, sive utrimque debiti relaxatio fiat, res perindè se habet.

Peccat igitur infamatus Detractorem vicissim infamans, quià per suam detractionem infamiam sibi irrogatam neque formaliter, neque virtualiter aufert.

Adverte tamen, quod compensatio tunc locum habeat hoc sensu, quod si V. G. *Petrus*, & *Paulus* se mutuo infamaverint, & *Petrus* restituere renuat, *Paulus* vicissim restitutionem licitè differat, ut hoc modo *Petrum* compellat, ad satisfaciendum suæ obligationi. Imò si uterque fiat impotens ad famam secundùm se restituendam, compensationi propriè dictæ

dictæ locus datur, quià tunc debitum famæ in obligationem pecuniariam transiit. Habenda tamen detractionis ratio, & dispiciendum an alter alteri æquè graviter detraxerit, ne inæqualitas committatur.

QUÆSTIO XII.

Quomodò honor restituendus?

Honor variè læditur, scilicet convitio, improperio, irrisione, subsannatione, aliisque modis.

Convitium differt ab *Improperio*, quod *Improperium* propriè sit exprobratio in faciem, V. G. beneficii in necessitate collati, vel alicujus defectûs, ubi *convitium* etiam in absentem vibrari potest.

Irrisio autem fit, dum quis ludibrio exponitur. Si fiat cum deceptione, vocatur *illusio*, si motu membrorum, vel capitis, aut nasi, vocatur *subsannatio*.

Resp. & *Dico*, honor læsus reparari debet per externam manifestationem æstimationis personæ offensæ, manifestam quidem, si contumelia coram aliis illata sit, occultam verò si aliter.

Porrò modi, quibus honor restitui possit, sunt hi: *primò* humiliatio coram personâ offensâ per petitionem veniæ, qui modus servandus est ab inferioribus respectu Superiorum, & valdè commendandus in æqualibus.

Secundò honorifica salutatio, seu compellatio. Hic modus plerumque sufficit in Superiore respectu subditi.

Tertiò invitatio ad mensam, concessio loci honorifici, propinatio &c. hoc modo par pari plerumque satisfacit. Cæterùm humiliatio cò major sit oportet, quò contumelia est atrocior.

CA-

CAPUT ULTIMUM.

De Injuria, & Restitutione in bonis Spiritualibus.

QUÆSTIO I.

Quomodò peccet, & ad restitutionem obligetur nocens in bonis Spiritualibus?

BOna spiritualia quædam sunt naturalia, ut potentiæ, habitus virtutum acquisiti &c. quædam supernaturalia, ut gratia, virtutes infusæ &c.

Resp. & *Dico*, nocêre proximo in bonis spiritualibus est peccatum ex genere suo mortale & quidem contrà justitiam non minus, quam ipsi nocumentum inferre in corporalibus. Ratio est, quià Proximus habet jus, ut in bonis ejusmodi non lædatur. Hinc

Collige 1. Illum restitutionis onere gravari, qui alicui memoriam, aut rationis usum Philtro, aut veneno adimit, aut imminuit.

Collige 2. A restitutione eximi non posse eum, qui vi, vel fraude alterum inducit ad peccandum. Verùm

Dices, qui sic ad peccandum inducitur, sciens, & volens peccat: ergo nulla ipsi infertur injuria.

Resp *negando consequentiam*, quià equidem est invitus secundùm quid, & non omninò liberè consentit propter deceptionem, aut violentiam: hinc eâdem ratione injuriam patitur, quâ Virgo, quæ vi, vel fraude ad lapsum inducitur.

Petes

Petes 1. *An teneatur ad restitutionem, qui proximum non vi, vel fraude, sed merâ persuasione in peccatum pertrahit?*

Resp. *negativè*, quià sic inductus plenè, & liberè vult: cui proindè injuria non infertur. Inducens igitur tantùm committit peccatum scandali, & impingit in charitatem. Si tamen inducat ad peccatum, alicui tertio injuriosum, V. G. ad furtum, damnum istud reparare tenetur, ut ex dictis satis liquet.

Petes 2 *An restitutioni obnoxius sit, qui sine vi, vel fraude aliquem liberè consentientem ab ingressu Religionis, vel Professione avertit?*

Resp. illum peccato quidem esse obnoxium, si sine causâ sufficiente id faciat; non tamen restitutioni, quià nulli infert injuriam: non Religioni, quià illa ante Professionem nullum jus habet; nec etiam juveni, qui plenè sciens, & liberè volens supponitur.

Verùm qui vi, vel fraude aliquem à Religione avertit, omnia damna, quæ Religioni, & isti personæ obveniunt, justitiâ id exigente, resarcire tenetur: quià Religio, & homo quilibet à naturâ jus habet, ut vi vel fraude neque in damnum aliquod pertrahatur, neque utilitate qualibet privetur.

QUÆSTIO II.

De injustitiâ, quæ in collatione Beneficiorum committi potest.

Dico 1. Conferens Beneficium indigno, vel minùs digno, ubi sunt digniores, peccat lethaliter.

Prob. ex *Trid.* sess. 24. cap. 1. de reformatione ubi dicitur, *omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent.... alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores,*

niores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.

Quod Concilium per *digniores* non aliud significare velit, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel impropriè ponat *digniores*, ut excludat *indignos*, vel tantùm loquatur de casu, quando fit concursus, expressè damnavit *Innocentius XI.* in propositione 47. inter 65.

Dico 2. Conferens Beneficium indigno, vel minùs digno, justitiam violat.

Prob. quià Superior Ecclesiasticus ex vi Officii Ecclesiæ utilitati studêre debet: atqui ad Ecclesiæ utilitatem maximè spectat, ut Officia, & Beneficia dignioribus conferantur: ergo &c. Ex quo

Sequitur, eum, qui secùs facit, restitutionis onere gravari: imò & illum eodem nexu constringi, qui Collatorem inducit, ut indigno, vel minus digno Officium aliquod, vel Beneficium conferat.

Dico 3. Certum est, quod ad restitutionem obligetur, qui dignum vi, vel fraude à consecutione Officii, vel Beneficii impedivit.

Ratio est, quià jus alterius violavit, quod habebat, ut vi, vel fraude non impediretur à consecutione Beneficii.

Imò non est improbabile, quod etiam digniſſimus ex Ecclesiæ voluntate, & Divinâ dispositione jus aliquod ad Officium, vel Beneficium habeat, adcòque quod ipsi etiam injuria fiat, dum à Beneficii consecutione, vel vi, vel fraude impeditur.

Declaratur: si Dominus famulo dicat, *volo ut hujus plateæ pauperrimo hunc nummum dones*, & famulus interim minus pauperi det, pauperrimo infertur injuria: ergo similiter. *Consequentia* in paritate

fundatur, quià Ecclesia etiam vult, ut Officia, & Beneficia digniſſimis conferantur.

Adverte tamen fieri posse, ut quis licitè suffragetur digno, relicto digniori, quando nempè hoc necessarium est, ut positivè indignus ab Officio, vel Beneficio arceatur.

FINIS.

TRA-

TRACTATUS
DE CONTRACTIBUS.

CAPUT PRIMUM
De Contractibus in genere.
QUÆSTIO I.
Quid contractus ?

Dico 1. Contractus accipitur *strictè*, & *latè*. *Contractus strictè* sumptus definitur ab Ulpiano : *ultrò citròque obligatio.* Hæc definitio non formaliter, sed causaliter est intelligenda, perindè ac si diceretur : *Contractus est duorum, pluriumve libera conventio, gignens mutuam, sive ultrò citròque obligationem :* ut est V. G. Emptio, & Venditio.

Obligatio hîc strictè accipitur, scilicet pro vinculo justitiæ, adeòque excluditur obligatio Gratitudinis, Religionis, & similes, quæ ad Contractum non sufficiunt.

In definitione dicitur, *conventio libera*, quià ex consensu

ſenſu non libero nexus obligationis non naſcitur. Quomodò autem conſenſus libertate deſtitui queat, patebit ex dicendis.

Contractus ſtrictè dictus à quibuſdam ſic definitur: *Duorum, pluriumve conſenſus in idem exteriùs manifeſtatus, utrimque obligationem juſtitiæ pariens.* Verùm hæc definitio cum aliâ jam expoſitâ penè coïncidit.

Dico 2. Contractus latè acceptus *eſt duorum, pluriumve conventio obligationem ſaltem in alterutro pariens.* Hæc definitio etiam promiſſionem liberalem complectitur, dummodò acceptata ſit.

Hoc poſtremum addo, quià obligatio Promiſſionis pendet, quamdiu Promiſſio non acceptatur. Imò talis Promiſſio non eſt conventio, ſeu conſenſus plurium, ſed unius dumtaxat: undè ne quidem ſub contractu latè dicto comprehendi poteſt.

Pactum, ſeu Pactio cum Contractu latè dicto coïncidit, & apud Ulpianum Leg. 1. ff. *de pactis*, ità definitur, *duorum, pluriumque in idem placitum conſenſus.* Subintellige: *Cum obligatione ſaltem in alterutro.*

Non nulli Pactum, & Contractum adhuc latius accipiunt pro conſenſu duorum, pluriumve in idem ſine omni prorsùs obligatione: ſed acceptio illa fundamento caret.

QUÆSTIO II.

Quotuplex Contractus?

Dico 1. Contractus alius eſt *explicitus*, qui fit expreſsâ conventione Partium, ſoletque nomine contractûs potiſſimùm intelligi, alius *virtualis*, ſive *implicitus*, quem etiam interpretativum, & *quaſi contractum* vocant, quando ſcilicet contrahitur obligatio juſtitiæ ad aliquid præſtandum abſque ullâ expreſsâ

preſsâ pactione : ut V. G. ſi quis fiat *Conſul*, *Paſtor* &c. ubi enim ejuſmodi Officia ſuſcipiuntur, pariter obligatio contrahitur ad functiones ipſis correſpondentes exercendas.

Dico 2. Contractus alius dicitur *nominatus*, qui proprium, & ſpeciale nomen, quo à cæteris diſtinguitur, in jure obtinet, ut eſt *Emptio*, *Teſtamentum* &c. alius eſt *innominatus*, qui tale nomen in jure non obtinet.

Porrò hic quadruplex eſt, ſcilicet *do ut des*, *do ut facias*, *facio*, *ut des*, *facio ut facias*: ut ſi quis dicat, *do tibi mulum*, *ut des mihi equum* : *do tibi equum*, *ut mihi ſervias* : *ſervio tibi*, *ut des mihi equum*: *ſervio tibi*, *ut me erudias*. Sub affirmatione continetur negatio ; V. G. ſub *do ut des*, comprehenditur *do ut non des*.

Dico 3. Contractus alius eſt *lucrativus*, in quo pars altera nihil rependit, ut *Promiſſio liberalis*, *Commodatum* &c. *alius oneroſus*, in quo aliquid reperditur, ut *Emptio*, *Venditio* &c.

Dico 4. Contractus alius eſt *bonæ fidei*, alius *ſtricti juris*.

Contractus bonæ fidei eſt, in quo judex non aſtringitur præcisè ad verba Contrahentium, ſed ex æquo, & bono poteſt aliquid arbitrari, quod à Contrahentibus non fuit expreſſum, quià nempè viri prudentes illud pro expreſſo habêre, & ſubaudire ſolent: talis eſt *Emptio*, *Venditio* &c.

Contractus ſtricti juris eſt, in quo judex non poteſt ex æquo, & bono aliquid arbitrari, ſed verbis contrahentium alligatur, ut fit in *Stipulatione*, *Feudo*, & *Emphyteuſi*.

Dico 5. Contractus appellatur *nudus*, qui in purâ conventione conſiſtit, nec ullo alio robore firmatur; ut *ſimplex Donatio* ante rei traditionem. *Veſtitus* dicitur, qui præter conventionem paciſcentium

tium aliud robur habet, quo in jurè civili firmetur, ut si donationem subsequatur traditio, juramentum &c.

Dixi *in jure civili*, quià licet contractus nudus plerumque non pariat obligationem civilem, & in foro externo, non minùs tamen in conscientiá obligat, quam vestitus.

Dico 6. Contractus alius est, qui perficitur *re*, alius qui *Scripturâ*, alius qui *verbis*, alius qui *solo consensu* pacisentium.

Dicitur *perfici re*, dum præter conventionem Partium exigit rei traditionem, ut censeatur subsistere; talis est contractus *Depositi*, *Commodati*, *Mutui* &c.

Dicitur *Scripturâ perfici*, quando non habetur validus, & ratus, nisi accessu Scripturæ, ut *Emphyteusis*, & quilibet alius Contractus, quem contrahentes nolunt concludere, nisi coram Notario.

Dicitur *perfici verbis*, quando ex dispositione juris postulat certam verborum formam, ut fit in *Stipulatione*, quæ nihil est aliud, quam certa contrahendi formula, constans prævià interrogatione unius, & responsione alterius, V. G. *promittis hoc dare? promitto. Fide-jubes? Fide-jubeo.*

Dicitur *perfici solo consensu*, quando sufficit consensus quovis modo exteriùs manifestatus; talis regulariter est *Emptio* &c.

Contractus etiam dividi posset in *absolutum*, cui non apponitur conditio, & in *conditionatum*, cui conditio adjicitur.

QUÆSTIO III.

Utrum ad valorem Contractûs requiratur voluntas præstandi ea, ad quæ Contractus obligat?

REsp. *negativè*, quià Contractus solùm requirit consensum, quo suscipitur obligatio ad aliquid præstandum: potest autem quis absolutè consentire in obligationem, volendo se obstringere ad aliquid præstandum, quamvis in executione id præstare nolit, sed fallere intendat, quandoquidem illa duo planè distincta, & omninò separabilia sint; obligari ad aliquid faciendum, & reverà idipsum facere.

Declaratur in Matrimonio: nullus enim dubitat, quin vir validè Matrimonium contrahat, quamvis tempore, quo contrahit, in adulterio complacentiam habeat, illudque aliquando committere in animo statuat: quamvis enim adulterari, & tabulas Matrimoniales violare velit, seriò tamen, & efficaciter sese uxori ad non adulterandum obstringere intendit.

Similiter nullus ambigit, quin Novitius se voto paupertatis in Professione Religiosâ verè obstringat, quamvis subindè aliquid inscio Superiore expendere meditetur.

Denique Deus *Abrahamo* mandans, ut filium immolaret, obligationem injecit ad immolandum filium, seriò tamen, & efficaciter non intendit præcepti executionem usque ad ipsam immolationem.

QUÆSTIO IV.

An ad valorem Contractûs ſufficiat conſenſus in verba externa?

CAſus eſt hic: *Petrus* promittit *Paulo* centum florenos, ſic ut exteriùs videatur omninò ſeriò, & ſincerè agere. *Quæritur*, an hæc promiſſio acceptata à *Paulo* valeat, ſi *Petrus* promittat fictè, id eſt, animo fallendi, & ſe non obligandi? Idem quæri poteſt de *Donatione*, *Emptione*, *Matrimonio*, &c.

§. PRIMUS.

Datur Reſolutio.

Dico 1. Dubium non eſt, quin Contractus hujuſmodi vim obtineat in foro externo, hoc ſenſu, quod pro ejus valore in foro externo judicari debeat.

Ratio eſt: quià cum homines internas voluntates immediatè intuêri nequeant, de illis per externa humanæ ſocietatis ſigna judicant, adeòque poſitis omnibus, per quæ interiorem contrahentium animum manifeſtare ſolemus, jure præſumi poteſt, & debet, quod interior conſenſus, & voluntas adfuerit.

Dico 2. Talis tamen Contractus in foro Conſcientiæ vim nullam habet.

Prob. 1. Contractus eſſentialiter requirit conſenſum in obligationem, ut ex ejus definitione liquet: atqui in noſtro caſu non habetur verus in obligationem conſenſus: ergo &c.

Prob. minor: quià contrahens tantùm conſentit in verba conſenſum ſignificantia: atqui verbis non ineſt

obliga-

obligatio, quandoquidem solùm instituta sint ad significandam mentem loquentis: ergo &c.

Prob. 2. Si quis exteriùs Castitatem voveat, & animo dissentiens sese obligare nolit, votum planè irritum est, ut Theologi omnes fatentur: ergo obligatio voti, & consequenter cujuscumque contractûs non inest verbis, sed ab interno, & occulto consensu dependet.

Quod Deus signis externis non egeat, & cor Voventis intueatur, vim hujus argumenti non elidit; quià hoc virtutem obligandi secundùm Adversarios verbis insitam non impedit, aut extinguit.

Prob. 3. Si vis obligatoria inesset verbis, vel esset ex vocum institutione, vel ex constitutione Reipublicæ: *Primum* dici nequit, quià verba tantùm instituta sunt ad significandum, ut omnes Philosophi tradunt: nec etiam *Secundum*, quià talis Reipublicæ constitutio nullibi legitur, quin potiùs omnia jura clamant, in Contractibus quibuscumque consensum Partium esse requirendum.

Dico 3. Resolutio jam data etiam respectu Contractûs Matrimonialis locum habet: hinc si quis nuda contractûs signa ponat, & in animo fœdus conjugale inire nolit, Matrimonium non subsistit.

Prob. ex resolutione *Clementis VIII.* citatá à *Basilio Pontio* l. 4. de Matrimonio cap. 24. numero 4. & relatá à *Paulo Comitolo* l. 1. responsorum Moralium quæstione 120. Cum enim primaria quædam fœmina viro etiam primario nupsisset, animo tamen dissentiens à connubio, & multos annos in Matrimonio mansisset, nec non liberos suscepisset, consultus occultè Pontifex quid mulieri jam ad sanam mentem redeunti agendum esset, respondit, *necessarium esse novum consensum utriusque coram Parocho, & testibus, admonito priùs marito de nullitate Matrimonii.*

In confirmationem assertionis nostræ à quibusdam etiam adfertur Capitulum *Tua nos.* de sponsalibus, ubi proponitur casus, in quo quis mulierem sibi desponsavit his verbis: *te Joannes desponsat*, non habens interiùs animum contrahendi, sed tantùm obtinendi copiam corporis fœminæ, & ab *Innocentio III.* respondetur contractum non valuisse, si consensus defuerit. Verba Capituli sunt hæc: *quæsivisti, cum quamdam mulierem quidam aliter inducere nequivisset, ut sibi commisceretur carnaliter, nisi desponsasset eandem, nulla solemnitate adhibitâ, vel alicujus præsentiâ, dixit ille: te Joannes desponsat, cum ipse Joannes non vocaretur, sed finxit se vocari Joannem, non credens esse conjugium, eoquòd ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, utrum inter prædictos sit Matrimonium celebratum, cum mulier consenserit in eundem, & ille dissenserit? Super quo tibi respondemus, quod cum præfatus vir prædictam desponsárit mulierem in propriâ personâ, & nomine alieno, quo vocari se tunc finxit, & inter eos carnalis copula sit secuta, videtur fortè pro conjugio præsumendum, nisi tu nobis expressè scripsisses, quod ille non proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem, quod qualiter tibi constiterit non videmus. Nos autem quid juris sit rescribentes dicimus, quod si res ità se habet, videlicet quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractûs, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri, quoniam ex alterâ parte dolus solummodò adfuit, & defuit omninò consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.*

Nec refert, quod vir finxerit se vocari *Joannem*, cum *Joannes* non vocaretur, quià sicut error in nomine contractum non vitiat, ità variatio nominis nihil facit ad substantiam Contractûs: nec Pontifex

Ma-

Matrimonii nullitatem eò rejicit, ſed in ſolum conſenſûs defectum refundit, ut patet legenti: imò clarè ſatis indicat, quod ſi ſpectetur formula verborum, quæ tunc prolata ſunt, præſumi fortè poſſet pro valore contractûs, ita ut Matrimonium fuiſſet validum, niſi conſenſus defuiſſet.

§. SECUNDUS.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1. Dum quis liberè profert verba detractoria, non pendet ab ejus voluntate, quod fama alterius lædatur, ſed eô ipsô, quô conſentit in verba, conſentit in læſionem famæ: ergo dum quis liberè profert verba contractûs, cenſetur conſentire in obligationem contractui annexam, nec pendet ampliùs ab ejus voluntate, quod obligatio contrahatur.

Reſp. *negando conſequentiam*, quià læſio famæ ineſt verbis detractoriis independenter à voluntate proferentis: vis enim detrahendi, quam habent, oritur ex eorum ſignificatione, quæ non pendet à voluntate proferentis, ſed verbis indita eſt vi inſtitutionis, per quam ad ſignificandum deputata ſunt: obligatio autem Contractui annexa non ineſt verbis, ſed à voluntate contrahentis promanat, quam verba dumtaxat ſignificant.

Eodem modo reſponde, ſi quis objiciat, eum qui projicit aquam in veſtem alterius, neceſſariò conſentire in madefactionem, nec ampliùs pendêre ab illius voluntate, quod alter madefiat: vis enim madefaciendi ex ſe, & ſine voluntate projicientis ineſt aquæ, ubi ècontrà vis obligandi non ineſt verbis, cum ſint merè ſigna, ut ante dictum eſt; ſed voluntati.

Obj. 2. Sequitur, neminem fore certum de promiſſio-

missione, vel Donatione sibi factâ, cum interior consensus promittentis nos lateat.

Resp. *distinguendo sequelam*, sequitur, neminem fore certum Metaphysicâ, seu Physicâ certitudine, *concedo*: certitudine morali, & sufficienti, ut contractus humani apud homines habeantur rati, & firmi *nego*. Sicut ergo dum quis vovet, quamvis non habeatur Physica certitudo de valore voti, quià nescitur, an Vovens habuerit seriam intentionem se obligandi Deo, quod etiam ex consensu Adversariorum ad valorem voti requiritur, omnia tamen requisita adsunt, ut Ecclesia præsumat, votum esse validum, illudque ratum habeat, imò compellat Voventem ad ejus executionem, eoquòd judicemus de interioribus per exteriora; ità quamvis non simus Physicè certi de valore Contractuum, eo ipso tamen quo adhibentur externæ formulæ, quibus Contractus iniri solent, adsunt omnia requisita, ut præsumamus illos esse validos, & humano modo ratos habeamus, quamdiu aliundè non constat de opposito.

Obj. 3. Respublica potuit statuere, ut consensus in verba ad valorem Contractuum sufficeret.

Resp. an Respublica id potuerit, ambiguum est. Cæterùm quod nihil simile constituerit, indubitatum habeo.

Obj. 4. Ergo qui alicui donavit mille imperiales sine interno consensu, illos sine injustitiâ clam recuperare poterit.

Resp. *concedendo* totum: sed hoc non magis appareret inconveniens, quam, quod Castitatem exteriùs vovens, animoque dissentiens, absque voti violatione, & licitè nubere possit.

QUÆSTIO V.

Quomodò error, & dolus Contractum vitient?

§. PRIMUS.

Quædam prænotantur.

Adverte 1. Quod error, & dolus possit esse vel circà *substantiam rei*, ut si quis emat vitrum putans esse gemmam, vel circà *rei qualitatem*, ut si quis emat vinum recens, putans esse vetus.

Adverte 2. Quod error, & dolus alius sit antecedens, alius consequens, sive concomitans, qui etiam incidens dicitur.

Antecedens est, qui dat causam contractui, sive qui est causa, cur contractus ineatur, ita ut secluso illo motivo non iniretur. *Consequens est*, qui non dat causam contractui, sive qui non est causa, cur contractus ineatur, ita ut equidem adhuc iniretur, si error hujusmodi, vel dolus abesset, quamvis fortè non iniretur adeò facilè.

Declaratur: emit quis V.G. Vinum Gallicum putans esse Rhenanum, non empturus, si sciret non esse Rhenanum, dicitur laborare errore *antecedente*. Si autem emat V. G. equum sex annorum, putans esse quinque, empturus equidem, si sciret esse sex annorum, quamvis fortè non æquè libenter, aut tam carò, errore *concomitante* laborat.

Adverte 3. Errorem, & dolum posse dupliciter influere in contractum, scilicet per modum causæ principaliter moventis, vel per modum causæ merè juvantis, aut incitantis.

Dicitur *causa principaliter* movens, quando est objectum, quod principaliter attenditur à contrahente,

ita ut non censeatur velle contrahere, nisi hoc subsistat. *Exemplum est*, si quis emat vitrum putans esse gemmam, quià talis non censetur consentire nisi in emptionem gemmæ, quam sibi vendi erroneè putat.

Dicitur *causa merè juvans, aut incitans*, vel, ut alii aiunt, merè impulsiva, quando influit quidem in contractum, sed non intenditur principaliter à contrahente, quasi verò is non censeatur velle contrahere, nisi hoc subsistat.

Exemplum est, si quis det Eleëmosynam pauperi nebuloni, quem putat esse probum, quià probitas impellit quidem ad largitionem Eleëmosynæ, sed non ut motivum principale, solemus enim principaliter movêri ad Eleëmosynam intuitu sublevandæ paupertatis, nec ità animo affecti sumus, ut eam rapertatis, nec ità animo affecti sumus, ut eam ratam habêre nolimus, nisi pauper sit probus, quamvis fortè non daremus, si sciremus esse nebulonem.

§. SECUNDUS.

Datur Resolutio.

Dico 1. Error, & dolus circà *rei substantiam* Contractum quemlibet penitùs enervat. Ratio est, quià tunc deest consensus, qui enim emit vitrum putans esse gemmam, simpliciter & absolutè non consentit in emptionem vitri, sed in emptionem gemmæ tantùm.

Sequitur, quod error circà personam Contractui Matrimoniali robur adimat, ut si quis contrahat cum *Anthoniâ* putans esse *Catharinam*, quià talis error versatur circà substantiam rei, seu objecti contractûs, quandoquidem persona, quæ ducitur, sit objectum contractûs Matrimonialis.

Nec refert, quod ille *Anthoniam* fortè plus quam aliam

aliam diligat, adeòque eam ducere mallet, quià inde non habetur, quod hîc, & nunc eam ducere velit, cum tali intentione ad hunc contractum non processerit, sed tantùm colligitur, quod eam duceret, & in uxorem vellet accipere, si præsentem sciret.

Dices 1. Absolvens V. G. *Petrum* putans ipsum esse *Joannem* validè absolvit.

Resp. id verum esse, quià persona, quæ absolvitur, non pertinet ad substantiam Sacramenti Pœnitentiæ, & Absolvens intendit, ac intendere debet absolvere personam præsentem, quæcumque illa sit. Verùm ille in casu à nobis posito non intendit ducere nisi *Catharinam*. Si autem supponatur, quod ducere velit præsentem, quæcumque illa sit, pacto conjugali valorem libens tribuam.

Dices 2. Inter *Jacob*, & *Liam* fuit verum Matrimonium, atqui tamen intercessit error personæ: ergo &c.

Resp. Matrimonium *Jacob* inter & *Liam* fuisse ratificatum per consensum subsequentem.

Dices 3. Valuit Benedictio, quam *Isaac* errans circà personam *Jacob* impertitus est.

Resp. id ex speciali dispositione, & voluntate Dei esse factum. Deindè dici potest, quod Benedictio illa ab *Isaac* posteà fuerit ratificata, quando nempè intellexit negotium illud ex instinctu Dei peractum.

Dices 4. In contractu emptionis error personæ non irritat contractum. Hinc, sive emam pannum à *Petro*, sive à *Paulo*, nihil interest: ergo similiter.

Resp. *negando consequentiam*, quià objectum Contractûs Matrimonii est persona, quâcum contrahitur, quod in emptione, aliisque contractibus locum non obtinet.

Dico 2. Error circà *qualitatem* Contractum non enervat, quando est merè concomitans, sive quando

do qualitas, circà quam contrahentis error versatur, ità nos movet, ut absque illius influxu equidem contraheremus: V. G. *Petrus* accipit *Anthoniam* in conjugem partialiter quià eam putat divitem, ità tamen ut eam duceret, quamvis de divitiis nulla cogitatio occurreret, pactum conjugale omninò firmum est, quamvis *Anthonia* inops deprehendatur.

Ratio est, quià tunc habetur consensus in substantiam contractûs à nullâ conditione, circumstantiâ, aut qualitate extrinsecâ dependens.

Dico 3. Si error circà *qualitatem* sit antecedens, & contrahens à qualitate, quæ ad contractum movet, tanquam à conditione vim sui consensûs expressè suspensam velit, evidens est, contractum corruere, quià conditio, à quâ valor contractûs ex intentione contrahentis pendet, deficit.

Dico 4. Quando qualitas, circà quam erratur, est objectum principale, sine quo contrahens non censetur Contractum velle subsistere, voluntas ejus à qualitate istâ, tanquam virtuali conditione, adeòque & valor contractûs dependere intelligitur. Sed resolutio illa difficultatem non exhaurit, quià non satis liquet, quando contrahens non censeatur velle, ut contractus subsistat, quando ejusmodi qualitas deest. Quarè

Dico 5. Si contrahens de conditione adjiciendâ non cogitet, vel cogitaverit, sed à qualitate, quam erroneè putat adesse, ità moveatur, ut non contraheret, nisi eam adesse putaret, & ab illâ ad Contractum moveretur, verosimile est, quod Contractus vim habeat: V. G. *Joannes* ducat *Catharinam*, quam putat nobilem, ità quidem, ut eam non duceret, nisi nobilem existimaret, nullam tamen conditionem consensui suo apponat, Matrimonium subsistit, quamvis *Catharina* posteà deprehendatur ignobilis.

Prob. quià absolutè consentit in *Catharinam*.

Nec

Nec refert, quod in eam non consentiret, si tali errore non laboraret; ex eo enim non habetur, quod hîc & nunc non consentiat.

Et certè Matrimonia penè innumera essent invalida, si error iste contractum perimeret: quot enim Matrimonium ineunt putantes suam compartem esse divitem, sobriam, pudîcam, benè morigeratam &c. ita ut cum illâ non contraherent, nisi ipsam talibus qualitatibus præditam existimarent: qui tamen posteà eam inveniunt pauperem, ebriosam, incontinentem, &c.?

Obj 1. dum qualitas aliqua ità nos movet, ut non contraheremus, nisi eam adesse putaremus, consensus est implicitè conditionatus, & ab eâ tanquam à conditione virtualiter saltem dependet: ergo &c.

Prob. antecedens, quià si interrogemur, an velimus contrahere qualitate istâ non subsistente, respondebimus nos contrahere nolle: ergo consensus noster ab illâ qualitate tanquam à conditione dependet.

Resp. *negando assumptum*, ad probationem dico, quod, si dans Eleëmosynam pauperi interrogetur, an velit dare ebrioso, eam statim dilapidaturo, &c. etiam responsurus sit, negativè, & tamen voluntas ejus non est implicitè conditionata, nec à probitate, seu non malitiâ pauperis virtualiter dependet: quarè

Resp. *distinguendo antecedens* probationis, respondebit negativè, sive se contrahere nolle in vim conditionis explicitè, vel implicitè contractui adjectæ, *nego antecedens*: ex vi notitiæ de novo acquisitæ, & voluntatis ad illam interrogationem recens excitatæ, *concedo antecedens*.

Instabis, ergo si quis interiùs vim sui consensûs ab aliqua qualitate suspenderit, contractus ipsâ deficiente concidit. Resp.

Resp. id esse verum juxtà assertionem antecedentem. Sed si exteriùs conditionatæ istius voluntatis signum nullum dederit, consensus in foro externo judicabitur validus, quià nemo præsumitur à qualitate consensum suspendisse, nisi id expressérit.

Obj. 2 Nobilis quædam Fœmina, ut refert *Basilius Pontius*, sæpius ante, & proximè ante Matrimonium declaraverat, se quodvis passuram, & mortem potius subituram, quam cum viro ignobili contracturam: undè cum in viro, quem duxerat, defectus nobilitatis manifestatus fuisset, Matrimonium declaratum est nullum, & huic sententiæ subscripsêre Theologi summæ notæ.

Resp. quod ex verbis antè prolatis, & protestationibus Matrimonio præmissis, colligi potuerit, consensum illius fœminæ fuisse conditionatum.

Observandum tamen, quod ultimam hanc assertionem dumtaxat ut probabilem proposuerim, quià non satis clarè ostendi potest, quod consensus contrahentium non sit virtualiter conditionatus, quando error circà qualitatem est antecedens, & qualitas, quæ putatur adesse, nos ad contrahendum ità movet, ut non contraheremus nisi ipsa nos moveret: etenim videmur implicitè vim, & efficaciam nostri consensûs suspendere ab omni eo, quod nos tali modo ad contrahendum movet.

Sanè in tali casu qualitas est motivum non solùm efficiens, ut contractus facilius fiat, sed ut simpliciter fiat, & quemadmodum non vellemus contrahere, si qualitas illa nos non moveret, ità non censemur velle contractum ratum habêre, nisi qualitas illa reverà adsit.

Nec consequens est, quod donatio Eleëmosynæ irrita sit, si pauper sit nebulo, quià totum donationis motivum, nempè paupertas, subsistit.

Nec

Nec refert, quod quis eam non dediſſet, ſi ei nequitia pauperis innotuiſſet: hoc enim non oritur ex eo, quod motivum donationis hîc & nunc deſit, ſed quod illa notitia nequitiæ ſi adfuiſſet, motivo paupertatis reſtitiſſet, ita ut hominem iſtum ad dandam Eleëmoſynam non moviſſet.

Verùm ſi ſupponatur, quod Donator non tantùm à paupertate, ſed etiam à probitate ſic fuerit motus, ut Eleëmoſynam non dediſſet, niſi etiam honeſtatem conſideraſſet, de valore iſtius Eleëmoſynæ etiam ambigo.

Ex dictis liquet, Matrimonium ſubſiſtere, ſi quis puellam pauperem, corruptam, ebrioſam &c. duxerit, & tempore contractûs, vel anteà de ejus divitiis, aut integritate non cogitaverit, licet eam non duxiſſet, ſi pauperem, aut corruptam ſciviſſet: quemadmodum Ordinatio Clerici, præſcriptam ætatem non habentis, valida eſt, quamvis Epiſcopus eum non ordinaſſet, ſi ætatis defectum cognoviſſet.

Si tamen à divitiis, vel integritate ad contrahendum ità motus fuerit, ut non contraxiſſet, niſi qualitates illæ ipſum impuliſſent, de valore Matrimonii ambigerem.

Petes: *Undè conſtare queat, quod qualitas aliqua principaliter moverit ad contractum, ſic ut valor ejus ab eâ tanquam à conditione virtualiter dependeat?*

Reſp. id ex circumſtantiis eſſe dignoſcendum: V. G. ſi ſponſus præviè dixerit, ſe non velle ducere niſi divitem, integram, nobilem, &c.

Si autem nullæ ſint circumſtantiæ, ex quibus id erui poſſit, præſumitur in foro externo, quod qualitates non fuerint motivum principale contractûs, ſed tantùm cauſa impulſiva, & concomitans: undè contractus in foro externo validus habetur.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quædam huc ſpectantia reſolvuntur.

PEtes 1. *An valeat matrimonium, ſi Rex V. G. contrahat cum filia alterius Regis ſecundò-genita, putans & volens contrahere cum primò-genita?*

Reſp. *negativè*, quià Reges, & Principes, in uxoribus, quas ducunt, primogenituram primariò ſpectare ſolent, ita ut plerumque eas ſibi non acciperent, niſi primogenitas exiſtimarent, idque ob jura, & Privilegia primogenituræ annexa.

Ratio alia nullitatis Contractûs paſſim aſſignatur, ſcilicet quod error qualitatis matrimonium diſſipet, quando redundat in perſonam; tunc enim errorem perſonæ virtualiter includere dicitur. Porrò talis habetur error circà qualitatem primogenituræ in caſu poſito: quià error qualitatis in perſonam dicitur redundare, quando qualitas, circà quam erratur, ex ſe determinat certam perſonam in particulari diſtinctam ab illâ, cum quâ contrahitur, ut hîc fit; quandoquidem primogenitura non poſſit eſſe communis utrique, ſicut V. G. nobilitas, pulchritudo &c. ſed afficiat ſolam hanc perſonam in particulari, & ſit illi propria.

Petes 2. *An quando contractus non obſtante errore, aut dolo circà qualitatem rei eſt validus, pro arbitrio decepti reſcindi queat?*

Reſp. *affirmativè*, ſi nempè agatur de Contractu ſolubili V. G., quià inſolubilis matrimonii Contractus nullâ ex causâ à contrahentibus reſcindi valet.

Ratio aſſerti eſt, quod æquitas naturalis poſtulet, ut deceptus, ſi velit, reſtituatur in integrum, quando nempè alterius contrahentis fraude deceptus fuit.

Si Contractus non reſcindatur, inæqualitas, quæ ratione

tione deceptionis fortè ſubrepſit, tolli debet: V. G. qui mercem vitioſam ut integram vendidit, partem pretii reſtituere tenetur, niſi valor mercis pretio accepto correſpondeat. Si Decepto damna quædam extrinſeca emerſerint, hæc Deceptor ex juſtitiâ reparare tenetur.

Petes 3. *Quid ſi alter contrahens non ſit conſcius erroris, qui fuit cauſa Contractûs, V. G. ſi quis propriâ ſuâ opinione, vel à tertio deceptus ſit?*

Reſp. Id ad valorem Contractûs nihil referre: vel enim contrahens à qualitate, circà quam errat, vim ſui conſenſûs expreſsè, aut virtualiter ſuſpendit, vel non: ſi *primum*, defectu qualitatis illius, conſenſus, adcòque & Contractus omninò deficit: ſi *ſecundum*, de valore Contractûs dubii nihil eſſe poteſt.

Dixi nihil referre *quantùm ad valorem*, quià quoad alia non parum intereſt: ſi enim propriá opinione deceptus ſis, Contractum, ſi validus ſit, reſcindere non potes, ſed tibi imputare debes, quod rem diligentius non examinaveris.

Si tamen rem aliquam ſuprà juſtum emeris, vel infrà vendideris, æqualitatem prætendere, & urgêre vales, ut ſtatuitur Cap. *Cum dilecti.* de emptione, & venditione.

Si autem à tertio deceptus ſis, & Contractus valeat, habes actionem in Deceptorem, quoad damna, quæ pateris; in alterum verò contrahentem, ſi non fuerit conſcius doli, aut vitii, quo res laborabat, habes actionem *quanti minoris*, ut vocant, id eſt, potes exigere, quod minus dediſſes, ſi vitium tibi innotuiſſet, juxtà Leg. *Julianus.* de actionibus empti, & venditi: ſi verò conſcius fuerit, jura concedunt reſciſſionem, eoquòd cenſeatur particeps doli, & vitium revelare debuerit.

QUÆ-

CAPUT I.

QUÆSTIO VII.

An valeat Contractus initus ex metu?

§. PRIMUS.

Quædam prænotantur.

METus alius est, qui justè incutitur, ut si Superior compellat subditum ad obedientiam, minando pœnas; *alius* qui injustè, ut si prædo extorqueat bursam Viatori, intentando mortem.

Alius est, qui à causa libera extrinsecâ incutitur, ut fit in dictis casibus. *Alius*, qui aliundè oritur, scilicet vel ab intrinseco, V. G. à morbo, vel à causis naturalibus, V. G. ab incendio, naufragio &c.

Metus alius est gravis, & qui cadit in constantem Virum, id est, qui virum nec meticulosum, nec pertinacem graviter concutere potest, ac solet, ut metus mortis, torturæ, servitutis, carceris diuturni, &c.

Alius levis, & qui non cadit in constantem virum.

Observandum verò, quod gravitas, vel levitas metûs non ex solâ gravitate, vel levitate mali imminentis, sed etiam ex naturâ timentis peti debeat, adeò ut metus respectu fœminæ V. G. gravis esse queat, qui respectu viri levis esset.

Datur etiam metus *reverentialis*, scilicet qui ex reverentiâ Parentibus debitâ nascitur. Hic absolutè gravis est, quando adduntur graves minæ, verbera, aliaque quæ animum hominis non parùm concutere solent. Hinc si Parens austêrus, & qui inobedientiam filiorum non facilè obliviscitur, sed passim exprobrat, & ulcisci solet, jubeat filiam suam

V. G.

V. G. cum Petro inire matrimonium, etiam absque minis, metus gravis adesse censetur.

Dixi, *quando adduntur &c.* Quià aliàs exclusis illis extrinsecis metus reverentialis non apparet gravis.

Denique metus ab extrinseco *alius* est, qui incutitur ad extorquendum Contractum, *alius*, qui ex alio motivo incutitur.

§. SECUNDUS.

Datur Resolutio.

REsp. & *Dico* 1. inter Theologos satis convenit, quod contractus initus ex metu gravi proveniente à causâ naturali sit validus; ut V. G. si quis contrahat cum suâ concubinâ ob metum inferni, vel mortis ex morbo imminentis; vel si quis in periculo naufragii constitutus spondeat matrimonium filiæ, cujus ope se liberari posse putat.

Idem censent de Contractu inito ex metu gravi injustè incusso, qui ad extorquendum contractum non ordinatur, ut si quis timens expugnationem Civitatis injustè obsessæ offerat inire matrimonium cum sorore Principis obsidentis, supposito, quod civitas in istum finem non obsideatur.

Nec refert, quod contrahens possit meritò conqueri de tali metu, quià non potest conqueri de illo, quatenùs contractum respicit, quandoquidem in illum finem non adhibeatur.

Declaratur, si quis V. G. *Petrum* præcipitet in aquas, nihil cogitans de extorquendo matrimonio cum *Anthoniâ Petro* adstante: si *Petrus* metu submersionis offerat matrimonium *Anthoniæ*, ut se eripiat, certum est, quod contractus valeat, quià de periculo

submer-

ſubmerſionis, quatenûs Contractum cum *Anthoniâ* initum reſpicit, jure conqueri nequit.

Dico 2. Contractus initus ex metu gravi ad hoc ordinato, ſed juſtè incuſſo, eſt validus tam jure poſitivo, quam naturali.

Prob. 1. Quià in tali caſu contrahentes ſimpliciter conſentiunt: & quamvis ſint involuntarii ſecundùm quid, non poſſunt tamen rationabiliter conqueri, quod pleniori libertate non gaudeant.

Prob. 2. Quià Cap. *Ex litteris Silvani.* de ſponſalibus *Alexander III.* decernit ſponſum, qui renuit exequi ſponſalia juramento firmata, prius monendum eſſe ab Epiſcopo, & ſi monitus non acquieverit, Eccleſiaſticâ cenſurâ compellendum, niſi cauſa rationalis obſtiterit. formido enim cenſuræ V. G. excommunicationis ad metum gravem pertinet, cum virum conſtantem concutere poſſit, & ſoleat.

Obj. 1. Cap. *Ad audientiam.* de his quæ vi, metûſve causâ fiunt, dicitur *quæ vi metuſve causâ fiunt, carêre debent robore*; & juxtà capitulum *Cum locum.* de ſponſalibus, conſenſus non habet locum, ubi coactio, metuſve intercedit.

Reſp. hæc omnia intelligenda eſſe de metu injuſtè incuſſo.

Obj. 2. Cap. *Requiſivit.* de ſponſalibus *Lucius III.* interrogatus, quâ cenſurâ debeat compelli mulier, quæ juravit ſponſalia, & exequi renuit, ità reſpondet *Cum libera debeant eſſe matrimonia, monenda eſt potiùs, quam cogenda, cum coactiones difficiles exitus ſoleant frequenter habêre.*

Reſp Pontificem non dicere, quod matrimonium ex ſimili coactione ſit invalidum, ſed tantùm quod in iſto caſu Superior, quoad poſſibile eſt, ſuaviter potiùs ſuadêre debeat, quam cogere, ut difficiles, & triſtes exitus, quos iſtæ coactiones non rarò habent, quantùm fieri poteſt, evitentur.

Inſta-

Instabis, Pontifex utitur hâc ratione: *cum Matrimonia debeant esse libera*: ergò contractus non est liber, suppositâ coactione, etiam justâ.

Resp. *distinguendo consequens*, ergo contractus non est liber eâ libertate, cujus defectus difficiles, tristesque exitus non-numquam parit, *concedo consequentiam*: non est liber eâ libertate, quæ ad valorem contractûs requiritur, & sufficit, *nego consequentiam*. Quià plena illa libertas, de quâ Pontifex loquitur, non requiritur etiam in Matrimonio, quando contrahentes de coactione, & istius libertatis ademptione rationabiliter conqueri non possunt.

Petes: *An resolutio antè data pro valore Contractûs initi ex metu gravi injustè incusso, sed ad contractum non ordinato, solida, & firma sit?*

Resp. firmam esse respectu contractûs oneroſi, in quo res pro re datur, & ab alterâ parte aliquid rependitur, quandoquidem tunc neque libertas requisita, neque titulus contractûs, neque aliud quidpiam essentiale desit.

Cæterùm Contractus lucrativi, sive Donationes, & Promissiones, si fiant metum injustè incutienti, & nihil nisi liberationem à metu rependenti, numquam subsistunt, quamvis metus eò non fuerit directus.

Prob. quià tunc titulus deficit, eoquòd metum injustè incutiens ex justitiâ eundem removêre teneatur, & Promissio ejusmodi, seu Donatio non nisi pro liberatione à metu fiat. V. G. Rex iratus, sanguinem civium, non pecuniam sitiens, urbem aliquam injustâ obsidione premit, Princeps autem civitatis aliter excidium evadere non valens, ingentem pecuniarum vim obsidenti donat; donationem prorsùs irritam, & invalidam assero, quià Princeps ille pecuniam istam non omninò gratis

offert, sed ut liberetur à metu, quæ liberatio ipsi ex justitiâ debetur.

Verùm si promissio, vel donatio fiat alteri, qui metum non incutit, omninò valida est. *Casus est*, Viator inter milites constitutus promittit centum florenos rusticis transeuntibus, ut ab illis liberetur.

Prob. assertum: quià tunc titulus subsistit, quandoquidem Rustici Viatorem ex justitiâ liberare non teneantur.

QUÆSTIO VIII.

An contractus metu gravi injustè extortus jure naturæ sit invalidus?

§. PRIMUS.

Datur Resolutio.

Dico 1. Contractus lucrativi, V. G. promissiones gratuitæ, in quibus metum incutiens nihil rependit nisi liberationem à metu, jure naturæ non subsistunt, si fiant personæ metum incutienti.

Prob. 1. Quià tunc deest consensus liber eâ libertate, quam æquitas naturalis, & jura societatis humanæ postulant: siquidem rationi consonum apparet, ut nemo absque causâ rationabili obligetur ex contractu, nisi spontè volens, & plenè, securèque consentiens, ita ut consensus non solùm physicè, sed etiam moraliter sit in nostrâ potestate; quod locum non obtinet, ubi contractus metu gravi extorquetur: tunc enim consensus moraliter loquendo non est in nostrâ potestate, & à nobis potiùs extunditur, quam proprio voluntatis motu præbeatur.

Verùm hæc probatio non omninò videtur efficax, quià non obstante metu etiam gravissimo, manet potestas

teſtas non contrahendi; quæ uti ad peccandum, ità etiam ad contrahendum, ſufficere videtur.

Deindè contrahens ad conſenſum internum in talibus circumſtantiis compelli nequit, quandoquidem ſine mendacio illum ſubtrahere queat: circumſtantes enim haud difficulter conjicere valent, quod V. G. Viator burſam latroni interiùs dare nolit, ſed externam tantùm actionem ponat, ut vitam ſuam conſervet. Quarè

Prob. 2. Efficaciter: deficiente titulo, cui contractus innititur, conventio irrita eſt: atqui in caſibus aſſertionis titulus deficit: ergo &c.

Prob. minor: quià contractus ejuſmodi non ſunt merè liberales, ſed in rigore oneroſi: Viator enim donat burſam, ut liberetur à metu, ſive pro liberatione à metu: atqui liberatio à metu non eſt titulus, ratione cujus Donans, vel Promittens poſſit obligari, quandoquidem ex juſtitiâ danti, vel promittenti debita ſit: ergo &c.

Declaratur: Petrus equum meum, aut certè ſuum mihi ex juſtitiâ debitum, retinet: ſi promittam, aut dem ipſi decem florenos, ut rem illam, quam mihi ultrò reddere recuſat, accipiam, promiſſio, & donatio omnium judicio irrita eſt; quià res nobis debita non eſt titulus ſufficiens promiſſionis, aut donationis, niſi fortè ultrò, & ſpontè aliquid offeramus juri noſtro cedentes: ergo in caſu aſſertionis titulus corruit, cum liberatio à metu ex juſtitiâ debeatur, æquè ac equus in alio caſu.

Prob. 3. authoritate *D. Thomæ*, qui 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. dicit: *In juramento quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio, una quidem quâ obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem, quià ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur.*

In quibus verbis unà cum illis, quæ immediatè

ſubnectit *Obſervandum*, quod *S. Thomas* non dicat obligationem talis promiſſionis eſſe auferibilem, ſed re ipsá tolli: quià conſtituit differentiam inter obligationem, quæ Deum reſpicit, quam aſſerit permanêre, quamvis Pontifices illam poſteà ſæpius auferant, & relaxent; & inter obligationem, quæ fit homini, quam dicit tolli, ſcilicet ante reſciſſionem.

Dico 2. Contractus oneroſi, in quibus datur res pro re (excepto fortè Matrimonio) jure naturæ videntur ſubſiſtere, quamvis fiant ex metu gravi injuſtè incuſſo: ut ſi quis emat domum alterius mille florenis metu mortis compulſus.

Ratio eſt: quià ad valorem contractûs tantùm videtur exigi abſoluta libertas, & titulus: utrumque autem hîc habetur, quià metus libertatem conſtringit quidem, ſed non aufert; & titulus ſubſiſtit, cum res, quæ emitur, ſcilicet domus, non ſit emptori ex juſtitiâ debita.

Nec refert, quod emens etiam liberationem à metu per donationem pretii intendat, quià hic titulus eſt tantùm extrinſecùs, & ſubſiſtente titulo intrinſeco non attenditur, ut valor contractûs ab eo pendêre cenſeatur.

Huic aſſertioni obſtare videntur Capitulum *Ad audientiam.* de his, quæ vi, metûſve cauſa fiunt, & Capitulum *Cum locum.* de ſponſalibus, quæ ſuprà citavimus.

Sed reſpondêri poteſt *ad primum*, quod ibidem agatur de contractibus lucrativis, in quibus nîl niſi liberatio à vexâ rependitur.

Ad ſecundum, quod ibidem de Matrimonio ſermo ſit, quod metu gravi injuſtè extortum, etiam jure naturæ apparet invalidum, quià ex ſe perpetuum eſt, & irreſcindibile, ac vinculum mutui amoris, qui cum coactione & metu conſiſtere non poteſt.

Dixi etiam *jure naturæ*, quià certum eſt fœdus conju-

conjugale jure positivo prorsùs irritum esse, si metu gravi incusso excutiatur. Id clarè evincit Capitulum *Cum locum.* jam citatum, & Capitulum *Veniens ad nos.* de sponsalibus. Porrò cum Pontifices non videantur hîc jus novum condere, sed potiùs quid juri naturæ congruat, declarare, pro nullitate contractûs Matrimonialis peculiare fundamentum habetur.

Petes: *An Promissio talem emptionem secuta, scilicet de non petenda rescissione contractûs, sit valida?*

Resp. *negativè*, quià gratuita est, & titulus, cui innititur, scilicet liberatio à metu ad obligationem insufficiens est.

Insuper obligatio ejus juri Magistratûs, vel Superiorum adversaretur, ad quem omnes injuriam passi ex naturâ rei confugere valent.

§. SECUNDUS.

Argumenta adversus primam resolutionem solvuntur.

OBj. 1. Qui ex metu gravi, etiam injusto, consentit, simpliciter est liber: ergo &c.

Resp. nos non in defectum libertatis, sed in defectum rituli similium contractuum nullitatem refundere, ut patet ex dictis.

Obj. 2. Ergo etiam contractus, qui ex metu levi ineuntur, robore carent.

Resp. contractus ejusmodi, si ab illo, qui metum incutit nihil præter liberationem à metu rependatur, etiam irritos, & invalidos esse, quandoquidem in illis etiam titulus deficiat, utpotè cum liberatio à metu, pro quâ aliquid datur, aut promittitur, ex justitiâ debita sit.

Verùm si Contractus ex levi metu initi sint onerosi, itaut ab eo, qui metum infert, aliquid rependatur, non video, cur valorem amitterent, cum

titulus tunc subsistat, & sufficiens libertas adsit.

Obj. 3 Votum gravi metu iniquè extortum obligat, ergò & promissio, quæ fit homini.

Aliqui *antecedens* negant, quià congruam disparitatem non inveniunt, existimantque Deum promissiones sibi factas non acceptare, nisi fiant ex consensu plenè libero.

Alii *consequentiam* negant, hanc disparitatem adferentes, quod in nostro casu injuria, & metus inferatur ab eo, cui fit promissio, & cui ex eâ jus nasceretur, quo planè indignus est; in Voto autem metus à Deo non inferatur, cui vi voti obstringimur. Cæterùm admittunt, ejusmodi vota authoritate Pontificis relaxari posse, quando metum passus iis nimium gravaretur.

Petes: *An respectu peccati metus gravis detur, ita ut ex vero dici queat, quempiam metu gravi ad peccandum esse adactum?*

Resp. in rigore non dari, *primò*, quià metus gravis est, qui virum constantem concutere, & movere solet: atqui vir constans, etiam metu mortis acerbissimæ non inflectetur, aut movebitur ad committendum quodvis peccatum, etiam minimum; ergo &c.

Secundò, quià metus judicari nequit gravis, nisi malum, quod intentatur, gravius sit, quam id ad quod metum incutiens nos inducere nititur: atqui omne malum quod ab homine nobis inferri potest, minus est, quam peccatum etiam leviſſimum; imò respectu offensæ Dei nihil est: ergo &c.

QUÆSTIO IX.

An Juramentum Promissorium gravi metu injustè extortum jure naturæ obliget?

QUi ad valorem Contractuum plenam exigunt libertatem, ejusmodi juramenta nihil obligationis imponere autumant, exceptis quibusdam, qui disparitatem Contractûs inter & juramenta adinvenire conantur. Opinio illorum non omninò apparet improbabilis, propter varia Capitula, quæ juramentis metu iniquo extortis vim adimere videntur.

Cæterùm multò probabilius est, adeòque in praxi tenendum censeo, quod juramentum Promissorium, quamvis metu gravi, & iniquo extorqueatur, vim habeat, & jurantem obliget.

Prob. 1. Ex Cap. *Debitores.* de jurejurando, ubi dicitur, cogendum non esse ad solutionem, qui simpliciter promisit solvere usuras; sed omninò compellendum esse, si juramento asseruerit, quamvis usurarius posteà cogi debeat ad reddendum, quod solutum est.

Prob. 2. Ex Cap. *si verò.* eodem titulo, ubi *Alexander III.* rogatus ab Archiepiscopo Senonensi, quid agendum sit, si aliquis alterum gravissimo metu sub Religione juramenti jus suum refutare coëgerit, ipsumque sibi retinuerit; respondet: *Quod non est tutum quemlibet contrà juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ: nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contrà juramentum proprium, ne Authores perjurii videamur.*

Vidêri etiam potest Capitulum *Ad aures nostras.* de his quæ vi, metûsve causâ fiunt.

Nec sufficit dicere, quod similia statuantur ad cautelam: si enim judicasset *Alexander III.* ejusmodi juramenta non subsistere, inaniter timuisset materiam, vel ansam perjurii præbere, quià ubi juramentum nullum est, periculum perjurii procul abest.

Prob. 3. Ex *S. August.* Epist. 125. aliàs 224. & 126. aliàs 225. ubi respondet ad casum sequentem. *Pinianus* quidam à populo tumultuante ad Presbyteratum, quem suscipere horrebat, postulabatur; qui sibi metuens, ad sedandam tempestatem spopondit se ab urbe Hipponensi non recessurum, & si mens in Ordinum susceptionem quandoque inclinaretur, se Clericatum ibidem, & non alibi, susceptorum, atque promissum suum juramento stabilivit. Mater *Piniani* ex *Augustino* quæsivit, an hoc juramentum, quod metu gravi extortum putabat, & supponebat, in conscientiâ obligaret?

Respondet *Augustinus* negando suppositum, quod nempè compulsus fuisset. Deindè adjicit, quod etiam suppositâ coactione juramentum observare omninò debeat. Verba *Augustini* adeò lucida sunt, ut nullam patiantur explicationem. Sed

Dices: compulsio illa forsitan justa extitit: ergo *Augustinus* ibidem assertioni nostræ non favet.

Resp. *negando antecedens*, quià si compulsio justa fuisset, dubium de valore juramenti suboriri non potuisset. Deindè quis dicat hominem liberum à populo tumultuante, Episcopo frustrà dissuadente, ad Presbyteratum justè compelli?

Quod *Pinianus* populo Hipponensi fuerit necessarius, nullo ex capite liquet, imò quod non fuerit, ex eo patet, quod ipse *Augustinus* postulationem illam populo dissuadêre conatus sit. Deindè poterat alibi æquè, vel magis esse utilis. Quæ omnia satis clarè insinuant, quod contrà fas compulsus fue-

rit

rit jurare, quod nullibi, nisi ibi Clericatum susciperet.

Denique intentum nostrum planè evincit *Augustini* argumentum, quod desumit à juramentis Exercituum armatorum, metu stragis pacem jurantium. Certum enim est, quod pars alterutra sæpius iniquo metu ad pacem adigatur, quam tamen juramentum non servantem, *Augustino* teste, meritò detestamur.

Profectò quævis pacis fœdera omninò straminea, & nullius roboris sunt, nisi juramenta metu iniquo extorta dicamus valida: pars enim utraque penè semper justitiam à se stare arbitratur, adeòque de injustâ vexâ conqueri solet: hinc natum est fieri, ut alteruter Princeps, ubi opportuna se offert occasio, bellum sopitum suscitet, si juramentum injustè extortum apprehendat invalidum.

Prob. denique authoritate *D. Thomæ* 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. dicentis: *In juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio: una quidem, quâ obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem, quià ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, quâ quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ. Quià magis debet damnum temporale sustinêre, quam juramentum violare.* Et posteà addit: *Romani autem Pontifices ab ejusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justâ causâ relaxantes.*

Obj. 1. Capitulum *Pervenit.* de jurejurando, ubi *Gregorius Magnus* dicit: *pervenit ad nos Laudicensem Episcopum ab Ar. Comite rebus suis spoliatum, & jurare compulsum, quod non repeteret sic ablata. Cognitâ igitur contumeliâ valdè doluimus, asserentes*

ipsum Episcopum nullius juramenti vinculis super hoc posse constringi, quem tamen absolvimus, quiâ nefandissimâ coactione juravit.

Resp. ibidem solùm judicari, quod Comes ille non potuerit licitè Episcopum juramento super hoc constringere, quamvis interim juramentum istud coram Deo vim habeat, quod Pontifex haud obscurè innuit, quando Episcopum à juramenti vinculo absolvit.

Adde, Pontificem sic posse intelligi, quod obligatio istius juramenti non sit firma, & stabilis, sed authoritate Superiorum facilè amovibilis.

Obj. 2. Capitulum *verum.* de jurejurando, ubi dicitur: *Quod prævaricatores juramenti iniquè extorti non sint tanquam pro mortali crimine puniendi:* ergo supponitur ejusmodi juramentum vim non habêre.

Resp. *negando consequentiam*, quod enim in foro externo tanquam violatores juramenti puniri non debeant, argumento non est, quod coram Deo rei non sint. Ità quamvis occisor injusti invasoris vitæ à pœnis tam civilibus, quam Ecclesiasticis eximatur, in conscientiâ tamen peccato mortali obnoxius est. Mitius ergo cum illis Ecclesia procedendum putat, quià non sponte, sed coactè juramentum à se violatum præstiterunt.

Quando autem Pontifices decernentes standum esse juramentis hanc limitationem adjiciunt; *si sine vi, & dolo sponte præstita sint,* ut fit Capitulo *Cum contingat.* de jurejurando, aliud nihil insinuant, quàm quod juramenta vi, vel dolo extorta non ligent stabiliter, & ità fortiter, quin facilè dispensatio queat obtinêri.

Præterea asserentes juramenta sponte facta esse observanda, id non negant de aliis, quæ metu extorta sunt, cum ibidem de his non fuerint interrogati.

Ità

ità *Concilium Tridentinum* asserens in Confessione exprimendas esse circumstantias speciem mutantes, non ideò negat exprimi debêre alias, quæ intrà eandem speciem notabiliter aggravant.

Obj. 3. Promissio metu gravi iniquè extorta robore caret: ergo & juramentum.

Resp. *negando consequentiam*, quià in juramento reperitur obligatio Religionis, quâ quis tenetur Deum non facere testem falsi, quæ per coactionem non tollitur, ut ait *D. Thomas.* Deindè promissio fit homini, qui metum incutit, ut supponitur; Deus autem juramentum non extorquet, cujus testimonium invocatur. Denique promissio nititur titulo non subsistente, ut ante ostensum est, quod in juramento locum non obtinet.

Instabis: *Accessorium sequitur suum principale*, ut vulgò dicitur, atqui promissio metu extorta prorsùs irrita est: ergo & juramentum promissorium, quod ipsi accedit.

Resp. axioma illud intelligendum esse de accessorio, quod est ejusdem naturæ cum suo principali, quod in casu nostro locum non habet. Fieri tamen potest, ut juramentum Contractui irrito adjectum pariter irritetur, ut infrà ostendam.

Obj. 4. Sequitur, quod Virgo nobilissima teneatur in conjugem accipere nebulonem, si metu mortis adacta se id facturam juraverit.

Resp. *negando sequelam*, quià cum Matrimonium ex metu gravi initum jure naturali, vel positivâ saltem lege sit invalidum, illa ad Matrimonium nullum obligaretur, adeòque non obligaretur.

Adde, quod obligationis istius vinculum, petendo dispensationem disrumpere facilè posset.

Obj. 5. Sequitur, quod ad injustum carcerem reverti deberet, qui id juraset, quamvis mortem atrocissimam sibi iniquè inferendam prævideret.

Resp. *concedendo totum*. Hac de re vide *S. Aug.* epist. 125. aliàs 224. ubi profert exemplum Reguli Romani, *qui ad carcerem se rediturum Carthaginensibus non per Sacramenta Christi, sed per Dæmonum inquinamenta juraverat, & certissimos cruciatus, & horrendi exempli mortem .... ne pejeraret, accepit.* Quod factum laudans subdit: & *adhuc in divinis libris inquirendum putamus, utrum aliquando licitè pejeremus?* Factum istius Reguli vide capite 15. libri 1. de Civitate Dei.

Obj. ultimò, sequitur, quod ineluctabiliter constrictus esset, qui juraret, se nemini revelaturum, compulsum se fuisse ad jurandum. Item se numquam petiturum dispensationem ullius juramenti.

Resp. *negando sequelam*, quià juramentum illud ultimum, & reflexum esset invalidum, quatenùs potestati, & jurisdictioni Ecclesiasticæ repugnat: Ecclesia enim jus habet, ut omnes iniquè gravati per juramenta iniquè extorta ad se confugere dispensationis obtinendæ causâ possint. Porrò hoc jus nullius iniquitate extingui, aut impediri valet: adeòque juramentum, quo subditis Ecclesiæ libertas Superiorum opem implorandi adimeretur, irritum sit, necesse est.

Id ipsum tradit *D. Thom.* 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. dicens de eo qui coactus juravit: *potest tamen repetere in judicio, quod solvit, vel Prælato denuntiare, non obstante quod contrarium juravit; quià tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contrà justitiam publicam.* Ex quo

Collige, quod etiam simplex promissio illo titulo quandoque irrita esse posset, quando nempè juri Reipublicæ, aut Principis obviaret.

QUÆSTIO X.

An Contractus injusto metu extorti jure positivo vim habeant ?

Dico 1. Certum est, contractus aliquos metu extortos jure positivo esse invalidos.

Primò, id constat de Matrimonio, ut liquet ex Cap. *Cum locum.* de sponsalibus.

Secundò, idem certum est de Professione Religiosâ ex Cap. *Perlatum est:* de his quæ vi, metûsve causâ fiunt.

Tertiò, idipsum omnium penè consensu indubitatum habetur de promissione, aut solutione dotis, eoquòd sit accessorium ad Matrimonium, Leg. *similiter.* ff. de eo, quod metûs causâ §. *si dos.*

Quartò, idem traditur de promissione, & traditione rerum Ecclesiæ, & de authoritate Tutoris per metum extortâ. Lege primâ ff. de authoritate, & consensu Tutorum, & Curatorum §. ultimo.

Quintò, in Testamento nullum est testimonium testium, qui vi adhibentur. Leg. *Qui Testamentum.* § *De Testamentis*: quemadmodum & absolutio à justâ censurâ per vim extorta; Capitulo unico de his quæ vi metûsve causâ fiunt in sexto.

Denique & Electio per metum facta robore caret: Capitulo *ubi periculum.* §. *Cæterùm.* de electione in sexto.

Non desunt, qui idem affirmant de extorsione jurisdictionis, Dominii, renuntiationis Sponsaliorum, Beneficii, Promissionis, Donationis liberalis; quod scilicet contractus illos ex positiva legum constitutione enervet. Sed multi repugnant.

Dico 2. An omnes contractus jure positivo sint invalidi, qui ex metu gravi injusto ineuntur, non ità

conve-

convenit: authores enim variant, & ipsæ leges civiles inter se videntur pugnare.

Interim nihil vetat asserere, omnes valdè probabiliter esse invalidos, uno fortè excepto: siquidem Leg. primâ Cod. *de rescindendâ venditione* dicitur: *si Pater tuus per vim coactus domum vendidit, ratum non habebitur, quod non bonâ fide gestum est; malâ fide enim emptio irrita est.* Et Lege nonâ de eo, quod metûs causâ §. *licet.* vim passo tribuitur actio non tantùm in hominem, qui vim intulit, sed etiam in rem ipsam his verbis: *licet tamen in rem dandam actionem existimemus*; additurque hæc ratio: *quià res in bonis ejus est, qui metum passus est.* Si enim contractus sic extortus jure positivo valeret, emptio rei per coactionem venditæ, non esset irrita, sed tantùm irritanda, & rescindibilis, neque res per coactionem tradita foret in bonis metum passi, eoquòd facta esset dominii translatio, ipsique solùm competeret actio in personam, quæ coëgit, minimè verò in rem ipsam.

Dixi *uno fortè excepto*, quià jura videntur excipere aditionem hæreditatis juxtà Leg. *Similiter.* ff. de eo quod metûs causâ, §. *metu coactus.* ubi dicitur: *si metu coactus adii hæreditatem, puto me hæredem effici, quià quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui: sed per Prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur.*

Cæterùm lex illa intelligi potest, vel de metu levi, vel, quod verius est, explicari in favorem, qui metum passus est, ita ut hic non absolutè pronuntietur hæres, sed cum hoc addito: *si velit*, quià nimirum, quamvis contractus metu extortus absolutè, & in rigore non subsistat, valet tamen quasi ex parte illius, qui metum passus est, quatenùs in ejus arbitrio positum est contractum ratum habêre.

Præ-

Prætereà dici potest, quod tales contractus fictione juris valeant ad certum tempus, hoc sensu, quod, donec metus in judicio probetur, censeantur subsistere, & negetur actio in rem, & exceptio metum passo, eoquòd jura fingant consensum planè liberum adfuisse, quamdiu non probatur oppositum.

Obj. 1. Contractus metu extorti secundùm jura debent rescindi, & irritari: undè Cap. *Abbas.* de his quæ vi, metûsve causâ fiunt, dicitur: *quæ vi, & metu fiunt de jure debent in irritum revocari:* ergo supponuntur omninò validi.

Resp. rescissionem, & irritationem hîc accipi pro declaratione nullitatis, adeò ut sensus sit, quod Contractus tales debeant declarari nulli.

Deindè Contractus metu extorti dicuntur jure positivo rescindibiles, quià ex parte illius, qui metum passus est, utcumque valent, quatenùs illos ratos habêre, seu ratificare potest, vel quià fictione juris censentur valêre, quamdiu metus sufficienter non probatur.

Obj. 2. Instit. de exceptionibus §. *ubi.* dicitur: *si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere, palam est te jure civili obligatum esse.*

Resp. solutionem objectionis præcedentis hîc etiam locum habêre, uti per se patet.

Dico 3. Contractus initi ex metu levi jure positivo sunt validi, quià metus levis in jure non attenditur, nec tribuit actionem, vel exceptionem, tum ut lites non multiplicentur, tum etiam quià præsumitur metus levis non dedisse causam Contractui, eoquòd facilè potuerit repelli. Hinc Leg. primâ ff. de eo quod metûs causâ, quamvis proferatur hoc edictum; *quod metûs causâ gestum erit, ratum non habebo*, infrà tamen, id est, Lege sextâ subji-

subjicitur, *metum non vani nominis, sed qui meritò, & in hominem constantissimum cadat, ad edictum pertinêre dicimus.*

CAPUT II.

De Contractu conditionato.

QUÆSTIO I.

An, & quomodò valeat contractus sub conditione de præsenti, præterito, vel futuro initus?

§. PRIMUS.

Quædam prænotantur.

COnditio alia est de *præterito*, alia de *præsenti*, alia de *futuro*, quæ nomine conditionis famosè intelligi solet. Alia est *contingens*; ut, *contrahо, si pater meus consentiat*: alia *impossibilis*, ut promitto, si cœlum manu tetigeris: alia *necessaria*, seu certò, & infallibiliter eventura, ut, *promitto, si sol cras oriatur.*

Conditio *necessaria* quædam talis est ab *intrinseco*, ut est existentia Dei, quædam ab *extrinseco*, ut est judicium extremum; quod enim judicium istud certò futurum sit, non est nisi ex libero, & extrinseco Dei decreto.

Conditio impossibilis vel talis est per naturam, vel etiam per Deum. Quod naturaliter fieri nequit, hîc etiam impossibile appellatur juxtà illud quod habetur Instit. de inutilibus stipulationibus §. 11. *impossibilis conditio habetur, cui natura impedimento est,*

est, quo minùs existat; veluti si quis ità dixerit, si digito cælum attigero, dare spondes?

Ratio autem est, quià in Contractibus attenditur impossibilitas, quæ humano modo, & ordine ad usus nostros talis est.

Si contingens conditio sit in potestate illius, cui imponitur, dicitur potestativa, ut, *promitto centum, si ante biennium non nupseris.* Si non sit in ejus potestate, dicitur casualis, ut, *promitto centum, si Germani hac æstate Belgradum occupent.* Si partim sit in ejus potestate, partim non, dicitur *mixta*, ut, *promitto tibi centum, si fratrem tuum mihi concilies.*

Conditio alia est *honesta*, alia *turpis*, alia *indifferens.* Quandò conditio impletur, dicitur *purificari*, & tunc Contractus conditionatus etiam dicitur fieri *purus*, atque ex *conditionato* transit in *absolutum.*

§. SECUNDUS.

Datur Resolutio.

Dico 1. Conditio de præsenti, vel præterito non suspendit Contractum; sed si conditio existat, conventio statim vim habet; si autem non existat, pactum ab initio nullum est.

Prob. Quià quisquis ità contrahit, animo sic affectus est, ut suppositâ conditionis existentiâ Contractum illicò valêre velit; &, si conditio desit, conventionem ratam habêre nolit.

Dico 2. Conditio de futuro omninò necessarià, quæ talis cognoscitur, etiam Contractum plerumque non suspendit, sive necessitas existendi sit ab intrinseco, sive ab extrinseco: undè qui diceret: *promitto*

mitto tibi centum, si judicium extremum sit futurum, statim obligaretur.

Ratio est, quià talis conditio in æstimatione hominum æquivalet conditioni præsenti, & perindè se habet, ac si adesset, propter certitudinem, quæ habetur de ejus futuritione.

Nec est ratio expectandi illius eventum, & efficaciam consensûs intereà suspendendi, cum hoc esset frustraneum. Hinc L. 9. ff. de Donationibus dicitur: *qui sub conditione stipulatur, quæ omninò extitura est, purè videtur stipulari.*

Dixi *si talis cognoscatur*, quià si cõnditio sit necessaria, & Contrahens putet esse contingentem, vel de hoc adhuc dubitet, habet sufficiens fundamentum expectandi illius eventum, & vim consensûs sui intereà suspendendi, non minùs quam si esset verè contingens; imò cum eam, ut contingentem consideret, ab ejus positione Contractûs valorem suspendere intendit.

Petes: *An ergo statim promissio vim haberet, si quis diceret*: promitto tibi centum, si Pater tuus morietur?

Resp. quamvis mors Patris omninò certa, imò necessaria sit, tempus tamen illius incertum est; hinc fieri potest, ut promittens vim sui consensûs ad conditionis istius positionem, & paternæ mortis eventum suspendere velit, præsertim cum illa conditio intrà breve tempus, & vitam contrahentium accidere possit, quo casu promissionem non nisi post mortem Patris vim habituram in aperto est.

Dico 3. Conditio de futuro contingenti plerumque suspendit Contractum usque ad eventum illius; qui proindè solùm incipit valêre, quando conditio ponitur.

Ratio est, quià Contrahentes animo sic affecti esse

esse solent, ut eventum conditionis expectare velint, & efficaciam sui consensûs intereà suspendant.

Dixi *plerumque*, quià si Contractum ab initio valêre velint, suppositio quod conditio ponenda sit, sive si vera sit hæc propositio: *conditio erit*, non video, cur Contractus suspenderetur: quià ab initio propositio, quæ rem futuram enuntiat, vel vera est, vel falsa, & conditio erit, vel non erit: & consequenter Contractus, aut valet, aut omninò irritus est.

Cæterùm illo casu conditio non videtur de futuro, sed potiùs de præsenti, quandoquidem contrahens, suppositâ veritate hujus propositionis: *conditio aliquando erit*, quæ veritas præsens est, conventionem valêre velit.

Ex quo liquet, quod ejusmodi Contractus positâ conditione retrotrahi debeat ad tempus, quo fuit initus, ideòque si ità donarem alicui agrum, fructus, qui ante conditionis eventum nascerentur, mihi non accederent, sed Donatario, cum ipse ab initio agri dominium accepisset.

QUÆSTIO II.

An Contractus sub conditione de futuro initus, positâ conditione statim valeat?

REsp. quod statim vim habeat absque novo consensu contrahentium.

Prob. 1. Quià contrahentes ità animo affecti esse solent, ut velint Contractum valêre simul ac conditio ponitur.

Prob 2. Quià positâ conditione non est ampliùs ratio suspendendi efficaciam consensûs, & obligationem contractûs, qui proindè ex conditionato transit in purum, & absolutum.

Præte-

Prætereà si, dum venditio conditionatè facta est, novus consensus posità conditione sit necessarius, venditio conditionata non erit propriè venditio, etiam dum conditio ponitur, sed tantùm promissio venditionis faciendæ, quod repugnat Legi septimæ ff. de contrahendá emptione, & venditione, ubi dicitur: *conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.*

Denique aliàs promissio requireret novum consensum posità acceptatione Promissarii, cum in omni promissione tacitè apponatur hæc conditio, *si promissarius acceptet.*

Obj. 1. Quando conditio ponitur, consensus contrahentium non existit: ergò innovari debet.

Resp. existere non physicè, sed moraliter, supposito quod non sit retractatus. Simili modo lex dicitur moraliter perseverare, quamdiu non revocatur.

Obj. 2. Matrimonium conditionatè initum, posità conditione, novo indiget consensu: ergo & reliqui contractus.

Resp. quosdam quidem Contractum Matrimonialem excipere, partim, quià est naturâ suâ perpetuus, & semel validè initus rescindi nequit, partim quià consistit in mutuá traditione corporum, quæ cum ante existentiam conditionis nondum facta sit, novo consensu fieri debet.

Verùm non apparet, cur fiat ista exceptio, cum fundamenta, quibus nitimur, etiam locum habeant in Contractu Matrimoniali, qui proinde, posità conditione, independenter à novo consensu non minùs valêre censendus est; quam alii contractus.

Nec refert, quod Matrimonium sit irrescindibile, quià si in aliis contractibus consensus conditionatus, posità conditione, transferat dominium alicujus rei temporaneum, & revocabile, cur non potest transferre in corpora dominium perpetuum, & irrevocabile?

Non

Non refert etiam, quod Matrimonium consistat in traditione, quià traditio corporum satis intelligitur fieri per consensum conditionatum moraliter perseverantem, quando ponitur conditio, & alii Contractus etiam quandoque consistunt in traditione rei, V. G. contractus Mutui, & tamen positâ conditione subsistunt absque novo consensu.

Instabis, Urbanus III. Cap. *Super eo.* de conditionibus appositis interrogatus, an qui consensit in mulierem hac conditione: *Si Pater ejus suum præstaret assensum*, compelli debeat ad Matrimonium? Respondet deficiente conditione non esse compellendum ad contrahendum: ergo supponit compellendum esse positâ conditione, adeòque contractum Matrimouialem tunc non subsistere, quià nemo compellitur ad contrahendum, dum jam validè contraxit

Resp. 1. Quod *contrahere* ibidem accipiatur pro *consummare*, quià aliàs Pontifex non responderet quæstioni sibi propositæ: etenim quæsitum fuerat, utrum ille, qui in quamdam mulierem consensit, si Pater ejus suum præstaret assensum, sit *ad Matrimonium consummandum compellendus*, ut patet legenti Capitulum citatum.

Resp. 2. In Capitulo objecto verosimiliter agi de illo, qui non Matrimonium, sed Sponsalia conditionatè contraxerat, quem positâ conditione rectè supponit obstrictum, ad contractum Matrimonialem ineundum. Cæterùm in hac responsione dicendum, quod ly *consummare* in quæstione propositâ idem sit, atque *contrahere*, seu *Matrimonium perficere.*

Obj. 3. Contractus Matrimonii juxtà Florentinum requirit consensum de præsenti, atqui in Contractu conditionato consensus non est de præsenti, sed de futuro: ergo &c.

Resp. *distinguendo minorem*; non est de præsenti quam-

quamdiu pendet conditio, *concedo*: positâ conditione, *nego*: tunc enim consensus fit absolutus, & perindè se res habet, acsi conditio apposita non fuisset

Obj. 4. Qui contraxit Matrimonium cum *Anthoniâ* V.G. sub conditione de futuro, potest resilire, & absolutè contrahere cum *Joanna* per verba de præsenti, saltem validè: ergo Matrimonium istud conditionatum vim non habet.

Resp. *distinguendo antecedens*, potest validè resilire, & per verba de præsenti absolutè contrahere cum *Joannâ* pendente conditione, *concedo antecedens*: si conditio sit posita, & aliundè nihil obsit, quo minùs primum Matrimonium subsistat, *nego antecedens*. Occasione hujus argumenti sit,

QUÆSTIO III.

An qui contraxit sub conditione de futuro, pendente conditione possit resilire?

Dico 1. Qui taliter contraxit, pendente conditione licitè resilire nequit.

Prob. Quià taliter contrahendo injecit sibi obligationem expectandi eventum conditionis, & illâ positâ Contractum ratum habendi.

Dico 2. Neque validè resilire potest, quasi verò obligationem à se conditionatè contractam omninò extinguere valeret.

Prob. Quià talis obligatio parit jus conditionatum illi, cui se obligavit, & nemo privatâ authoritate jus alterius extinguere potest sine ejus consensu.

Dico 3. Validè tamen resilire potest hoc sensu, quod si cum alio absolutè, & de præsenti contrahat, Contractus aliquando valeat, scilicet quando Con-

tractus

tractûs posterior in traditione consistit : V. G. promitto *Petro* librum, vel etiam do , si cras pluat, & priusquam conditio superveniat, do librum *Joanni* , & de facto trado; non est dubium, quin donatio illa sit valida, quamvis illicita. Ratio est, quià antequam conditio ponatur, liber meus permanet, adeòque de illo per actualem traditionem validè disposo.

Dixi *aliquando* , quià si in Contractu posteriori nulla fiat traditio, sed nuda pactio, V. G. si rem conditionatè promissam *Petro* , conditione pendente absolutè promittam *Joanni* , Contractus posterior erit nullus, cum non possit subsistere, nisi destructo primo, quem authoritate propriâ annihilare nequeo.

Obj. Si donatio illa libri facta *Joanni*, & Contractus matrimonii cum *Annâ* initus subsistat , quomodò non extinguitur jus *Petri*, & *Anthoniæ*?

Resp. illud jus non omninò extingui, quià si conditio ponatur, teneor *Petro* dare librum priori similem, vel alium æquivalentem.

Quod verò attinet ad matrimonium cum *Anthoniâ* conditionatè initum, teneor ipsam ducere, si *Anna* forsitan moriatur, & injuriam illatam ipsi compensare.

Petes 1. *Quo titulo debeatur Petro liber priori consimilis* ?

Resp. quià alter librum *Joanni* dando, *Petrum* injustè impedivit à consecutione dominii, aut juris in librum.

Petes 2. *Cur promissio absoluta rei anteà alteri conditionatè promissæ non subsistat* ?

Resp. quià obligaret ad illicitum, quandoquidem res uni promissa citrà injustitiam alteri donari nequeat.

QUÆ-

CAPUT II.

QUÆSTIO IV.

An valeat contractus initus ſub conditione impoſſibili, aut turpi?

Dico 1. Omnis contractus ſub conditione impoſſibili initus jure naturæ eſt invalidus.

Prob. quià valor contractûs ex intentione contrahentium ab adjectâ conditione dependet: ergo ſi conditio poni non poſſit, contractus numquam valorem habêre poteſt.

Dico 2. Conditiones turpes, quæ apponuntur ut obligatoriæ, æquiparantur impoſſibilibus, & contractum jure naturæ deſtruunt, quià non magis quis poteſt obligari ad rem turpem faciendam, quam V. G. cœlum manu tangere: ſi enim obligaretur, adimpletio conditionis eſſet illicita, ac turpis, & non eſſet: eſſet turpis, ut ſupponitur, & non turpis, quià foret actus juſtitiæ.

Hoc ſaltem verum eſt de contractu ſub conditione turpi ante impletam conditionem; an verò purificetur, & obliget conditione poſitâ, dicetur infrà.

Dixi, *quæ apponuntur ut obligatoriæ*, quià ſi contrahens non intendat alterum obligare, ſed merè expectet eventum operis mali ab ipſo patrandi, exiſtimant nonnulli contractum jure naturæ ſubſiſtere: V. G. ſi quis dicat, *promitto tibi centum, ſi inimicum meum occideris*, nihil obligationis ad homicidium perpetrandum alteri imponere volens, ſed vim, & efficaciam ſui conſenſûs uſque ad poſitionem occiſionis ſuſpendens, & ipsâ poſitâ ſe obligare intendens ad prædictam pecuniæ ſummam.

Dixi etiam *ſpectato jure naturæ*, quià quamvis conditiones impoſſibiles, & turpes etiam à jure poſitivo ut

irritantes

irritantes habeantur, in Testamentis tamen, & Matrimoniis habentur pro non adjectis.

Hac de re *Gregorius IX.* Capitulo finali de conditionibus appositis sic ait: *Conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debent in ejus favorem pro non adjectis haberi.*

Exceptio tamen est, si conditiones repugnent substantiæ Matrimonii, hoc est vel ipsi indissolubilitati, vel obligationi illius; tunc enim contractus, etiam jure positivo nullus est, ut patet ex verbis quæ Pontifex præmittit dicens: *Si conditiones contrà substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri: contrahe tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, Matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.*

Obj. apponens conditionem impossibilem censetur jocari potiùs, quam seriò contrahere, ejusque consensus numquam vim habêre potest: ergo cum Ecclesia consensum respectu Matrimonii supplêre nequeat, contractus nihil roboris acquirere potest.

Resp. quod contractus ejusmodi in foro conscientiæ sit, & maneat invalidus, si contrahens vim sui consensûs à conditione impossibili suspensam voluerit. Undè Pontifex dumtaxat agit de foro externo, & statuit, ut à judicibus Ecclesiasticis pro valore talis Matrimonii judicetur, idque ex præsumptione rationabili, quam format in favorem Matrimonii, cum hic contractus summi sit momenti, ut habetur Cap. *Si conditiones.* de conditionibus appositis: præsumit enim Matrimonium non iniri absque serio consensu, & animo aliquid agendi, & consequenter, quod conditio impossibilis sit apposita, vel jocosè, vel quasi extrà contractum, & instar modi, ut vocant, id est, instar gravaminis, & pacti distincti, veluti posteriùs adjecti, à quo proinde valor contractûs prioris

tanquam à conditione ſtrictè dictá non dependet.

Obſervandum itàque diſcrimen inter contractum initum ſub modo, & purè conditionatum, quod contractus ſub modo ſit virtualiter duplex, utpote complectens ipſam conventionem, ſeu contractum, & pariter modum, ſub quo initur, qui modus eſt veluti diſtincta, & acceſſoria pactio, contractui principali quaſi extrinſecè adveniens; cujus nullitas valori principalis pactionis non officit. Contractus autem conditionatus ipſam conditionem involvit tanquam aliquid intrinſecum, à quo valor contractûs omninò dependet.

Petes 1. *Cur Eccleſia etiam non præſumat conditiones ſubſtantiæ Matrimonii repugnantes, adjectas eſſe per modum pacti, vel modi?*

Reſp. quod etiam illâ præſumptione ſuppoſitâ, consistere nequeat ſeria voluntas Matrimonium contrahendi, quià appoſitio iſtius pacti, quamvis extrinſeci, conſenſum in Matrimonium omninò deſtruit: fieri enim non poteſt, ut quis uxorem ad adulterandum obligare volens, eam ſeriò ducere intendat, quià hoc ipſo eam etiam obligare vellet ad non adulterandum.

Petes 2. *An conſenſus Teſtatoris reſpectu Teſtamenti, ſub conditione impoſſibili conditi, ſuppleri non poſſit?*

Reſp. *affirmativè*, quià Reſpublica ex causâ legimâ de bonis ſubditorum ſine conſenſu ipſorum diſponere valet.

CAPUT III.

De Promissione, & Donatione.

QUÆSTIO I.

Quid promissio? Et an exteriùs manifestari debeat?

Dico 1. *Promissio est deliberata, & gratuita fidei obligatio alteri facta de re licita, & possibili præstandâ.*

Dicitur *gratuita*, quià hîc solet solùm definiri promissio liberalis. Cæterùm omissâ hâc particulâ definitio generalis est, & quamcumque promissionem onerosam juxtà ac liberalem complectitur.

Post ly *alteri facta* subintellige & *acceptata*, ut promissio distinguatur à pollicitatione, quæ nihil est aliud, quam nuda sine acceptatione promissio, seu voluntas fidem obligandi.

Dicitur *fidei obligatio*, ut habeatur distinctio inter promissionem, & simplex propositum, quod est mera voluntas aliquid faciendi absque animo se obligandi.

Dicitur etiam *de re licita, & possibili*, quià nemo ad illicitum, & ad impossibile obligari potest.

Debet insuper promissio esse de re gratâ Promissario, vel saltem non ingratâ, quià per promissionem gratia Promissario fieri censetur.

Petes: *Quid hoc loco sit fides?*

Resp. ex *Cicerone* lib. de Officiis: *est dictorum conventorumque constantia, & veritas.* Meritò additur *conventorumque*, quià in dictis quidem servanda est veritas, seu veracitas, quæ etiam *fides* dicitur,

signanter ab *Augustino*, quià fit quod dicitur, sed non cit *fides*, de quâ hîc agitur, quæ in eo consistit, quod animus constans maneat in eo, de quo cum altero convênit.

Dico 2. Promissio, quæ Deum respicit, exteriùs manifestari non debet: secùs dicendum de eâ, quæ fit homini.

Prob. 1. Pars, quià promissio interiùs Deo facta, ab ipso sufficienter acceptari potest, utpote qui intima cordis scrutatur. Insuper satis congrua est societati, quæ Deum inter & homines reperitur.

Prob. 2. Pars, quià promissio respiciens hominem non obligat, nisi humano modo fiat, sicuti nec leges humanæ: ergo per verba, vel alia signa exteriora manifestari debet.

Deinde promissio non obligat ante acceptationem, ut mox ostendam: atqui hæc habêri non potest, nisi voluntas Promittentis signo aliquo externo Promissario innotescat: ergo &c.

Obj. Obligatio contractuum ex solâ voluntate nascitur: ergo &c.

Resp. *distinguendo antecedens*, nascitur ex voluntate modo humanæ societati congruo ad alterum ordinatâ, *concedo*: ex voluntate quacumque, *nego antecedens*: simile habetur in Lege humanâ, cujus obligatio petitur à sola voluntate Legislatoris, quæ tamen subditis exteriùs intimari debet, ut obliget.

Petes: *Quid si Promissarius Deo revelante voluntatem promittentis agnoscat, & ità promissionem acceptet?*

Resp. quod in isto casu revelatio externæ declarationis vices supplebit, adeò ut promissio vim habitura sit. Cæterùm de casibus illis extraordinariis præcedens resolutio non agit.

QUÆSTIO II.

An Promissio obliget ante acceptationem?

REsp. & *Dico*, Promissio ante acceptationem non obligat, saltem ex justitia.

Ratio est evidens, quià promissio ante acceptationem nondum est contractus, sive duorum consensus in idem.

Deinde quamvis Respublica possit in me transferre jus ad rem aliquam absque meo consensu, privatus tamen id non potest, sicut nec jus mihi acquisitum sine meo consensu auferre valet.

Prætereà certum est, contractum onerosum non obligare ante acceptationem utriusque partis, coquòd obligationem justitiæ utrimque injiciat: porrò in promissione liberali etiam Promissario obligatio quædam, scilicet gratitudinis, injicitur, quæ non nisi volenti pariter imponi potest.

Adverte tamen, acceptationem externam ex parte Promissarii non esse necessariam, quasi-verò hæc reciprocè promissori innotescere debeat, ut promissio subsistat, quià ne vel Donatio talem acceptationem postulat, ut patet ex eo, quod si quis per litteras mihi aliquid donet, illudque interiùs acceptem, statim absque responso de illâ re, tanquam meâ disponere valeam, si nempe sit tradita.

In conclusione dictum est, *saltem ex justitiâ*: quià promissio nondum acceptata obligare potest ex veracitate, si enim exteriùs quidpiam promittam absenti, teneor efficere, ut verba mea suam veritatem sortiantur.

Obj. 1. Lex obligat ante acceptationem: ergo &c.

Resp. *negando consequentiam*, disparitas est, quod Superior habeat potestatem in subditum, sic ut ipsi

obligationem indépendenter ab ejus consensu, vel voluntate, imponere valeat: privatus autem respectu privati simili potestate non gaudeat.

Obj. 2. Si Pater emancipet filium infantem, valet absque consensu filii emancipatio, ut habetur Leg. *jubemur.* de emancipationibus liberorum.

Resp. Jus positivum de hoc casu particulariter disposuisse. Deinde dici potest, quod emancipatio accepterur à Republicâ nomine pueri, quemadmodum ab eâdem acceptatur hæreditas, Testamento ad infantem devoluta.

Obj. 3. Promissio juramento firmata, quamvis nondum acceptata, obligat.

Resp. 1. *Distinguendo assumptum*, obligat ex virtute Religionis, *concedo*: ex justitiâ *nego.*

Resp. 2. Promissionem ejusmodi propriè non obligare, quamvis juramentum subinde servari debeat.

Obj. 4. Promissio in causas pias ante omnem acceptationem est valida.

Resp. 1. Quosdam id negare, quià sufficienter probari nequit.

Resp. 2. Hoc admisso, nihil sequi: quià dici potest, quod Ecclesia tales promissiones acceptet.

Obj 5. Cap. *si tibi absenti.* de Præbendis, & Dignitatibus in sexto prohibetur Episcopo revocare collationem Beneficii, factam absenti, nondum acceptatam.

Resp. *negando consequentiam*, quià aliud est collationem Beneficii revocari non posse, antequam innotescat alteri, cui facta est; aliud est ipsum jus acquirere, & Beneficium fieri illius ante acceptationem, quod hîc solùm negatur. Porrò in citato Capitulo expressè additur, quod talis collatio non pariat jus ante acceptationem, ità saltem, ut Beneficium fiat alterius.

Instabis, ergo saltem hoc habetur, quod promis-

sio, vel donatio absenti facta revocari nequeat, priusquam à Promissario, vel Donatario respuatur.

Resp. *negando sequelam*, quià Ecclesia specialiter de collatione Beneficii absenti factâ disponere potuit, ut per Episcopum revocari non possit.

Petes: *Quid si ergo promissor se velit obligatum independenter ab acceptatione promissarii?*

Resp. quod hæc voluntas omninò irrita sit, & inanis, ut satis patet ex dictis.

Quod promissiones ante acceptationem, etiam jure civili nullæ sint, clarum est ex Leg. *absente.* §. *de donationibus.*

QUÆSTIO III.

Quomodò promissio exteriùs facta obliget?

REsp. & *Dico* 1. promissio acceptata obligat ex justitia, quamvis non sit onerosa, sed liberalis.

Prob. 1. Quià ejusmodi promissione jus acquiritur Promissario, & promissor fidem suam obligat, quæ est fundamentum justitiæ, cui omnia hominum facta, & conventa innituntur.

Prob. 2. Venditor V. G. venditione factâ, tenetur ex justitiâ rem suam emptori tradere, quià ad hoc fidem suam obligavit per pactum venditionis: atqui etiam promissor fidem suam obligat ad rem Promissario dandam: ergo &c.

Denique, qui seriò promittit, longè aliter obligatur, quam qui nudè affirmat se aliquid facturum: atqui hic ex veracitate tenetur præstare, quod dixit: ergo alteri incumbit obligatio justitiæ.

Obj. 1. Promissio tantùm imponit obligationem fidelitatis: ergo &c.

Resp. 1. *Antecedens* negari posse, præsertim in sen-

su illorum, qui fidelitatem cum veracitate confundunt.

Resp 2. Quod imponat obligationem ad fidem servandam, ità quidem ut jus in promissarium transferatur: porrò ejusmodi obligatio est obligatio justitiæ.

Dico 2. Promissio in materiâ gravi obligat sub gravi.

Prob. quià si res notabilis alteri promissa non præstetur, jus ejus graviter violatur, V. G. si quis alteri imperialem promiserit, grave ipsi nocumentum infert non stando promissis, quià perinde se res habet, acsi imperialem ipsi auferret.

Obj. 1. Promissarius tantùm habet jus ad rem, quod longè debilius est jure in re, seu dominio: ergo quamvis graviter delinquat imperialem furtim auferens, non sequitur promissorem graviter peccare, qui imperialem liberaliter promissum solvere renuit.

Resp. hoc argumento etiam probari, quod non peccet mortaliter, qui imperialem ex emptione debitum solvere recusat, quod nemo admiserit. Igitur jus in re est fortius jure ad rem quantùm ad rei apprehensionem, sed non est majoris valoris quoad æstimationem: aliàs qui centum mutuat, posset sibi jus ad centum & decem justè acquirere.

Obj. 2. Jus illud Promissarii ex liberali Promissoris voluntate profluxit: ergo non est tam arctum, quam aliud, quod ex contractu oneroso provenit.

Resp. hoc sensu non esse tam arctum, quod faciliùs queat extingui, V. G. ingratitudine Promissarii, esse tamen tanti valoris, & æstimationis, quam si aliundè nasceretur.

Sanè Promissarius non leve patitur damnum, dum imperiali cogitur carêre, privatur enim re nota-

notabiliter commodâ in usibus humanis, sibi ex justitiâ debitâ.

Si liberaliter alteri dedissem, & insuper tradidissem imperialem, dominium Donatarii in istam pecuniam ex meâ liberalitate acceptum non minoris esset momenti, ac si ex venditione provenisset, & peccati mortalis reus essem, si nummum illum illi furtivè iterum auferrem.

Petes: *Quid si promissor intendat se tantùm obligare sub veniali?*

Resp. quod illa voluntas sit inanis, quià obligatio semper & necessariò est proportionata materiæ, in quam cadit, ut in Tractatu *De Legibus* ostensum est.

Si quis oppositam tenet sententiam, is admittere cogitur, quod solemniter vovens obedientiam, castitatem &c. sub levi solùm peccato obligetur, si levem tantùm obligationem sibi injicere intenderit.

Quin imò, & jurans leviter dumtaxat obligari poterit ad præstandum id, quod jurârit, quod durius est, quam ut à sanâ mente digeri queat.

QUÆSTIO IV.

Quid Donatio? Et qui possint donare?

Dico 1. *Donatio*, prout hîc sumitur, *est gratuita doni collatio, sive liberalis datio, quæ fit absque debito justitiæ ex parte Donatoris, & nullam justitiæ obligationem parit in Donatario.*

Dico 2. Donatio alia est *purè*, & *strictè* liberalis, quæ in Donatore, ne vel gratitudinis obligationem præsupponit: Alia *remuneratoria*, quæ obligationem ejusmodi supponit, & fit V. G. obsequii gratis accepti remunerandi gratiâ.

Dico 3. Donatio alia est *completa*, & *realis*, quæ

fit cum reali traditione doni : Alia *incompleta*, & *verbalis*, quæ fit abíque tali traditione. Porrò multum intereſt, an donatio ſit completa, nec ne: quando enim completa eſt, parit jus in re, & transfert dominium rei donatæ in Donatarium : quando autem eſt incompleta, tantùm gignit jus ad rem, & in perſonam Donatoris actionem abſque tranſlatione Dominii.

Cæterùm obſervandum, quod donatio verbalis ex ſuâ naturâ transferat dominium doni, & de facto transferret, niſi jura traditionem rei donatæ ad tranſlationem dominii requirerent.

Hinc elucet diſparitas quædam inter donationem verbalem, & promiſſionem.

Dico 4. Donatio alia eſt *inter vivos*, quâ donator vult rem donatam ſe vivo fieri alterius ; alia eſt donatio *mortis causâ*, quâ tantùm poſt mortem ſuam rei dominium vult tranſlatum.

Donatio alia eſt *abſoluta* , alia *conditionata*. Quæ de contractu conditionato antè dicta ſunt, hîc facilè applicari queunt.

Dico 5. Nemo nomine ſuo, & propriâ authoritate rem donare poteſt, niſi qui ejus dominium habet. Ratio plana eſt, quià donatio dominii tranſlationem comprehendit , quæ non niſi ex conſenſu Domini fieri poteſt.

Collige, donationes fieri non poſſe ab *amente*, *infante*, *pupillo*, vel *minorenni* abſque authoritate Curatoris, aut Tutoris Idem eſt de *filiis-familias* ſine conſenſu Patris, niſi fortè habeant bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia. Idem eſt de *Uxore* donante ſine conſenſu mariti, ſi donet bona Paraphernalia , quæ ſunt bona ſuperaddita dotiuxoris, quorum ipſa dominium habet, & adminiſtrationem independenter à Marito.

Idem etiam locum habet in Prodigo, cui bonis inter-

interdictum est, item in Religioso subdito absque consensu Superioris, & in Religioso Superiore, aut quovis administratore rerum alienarum, vel communium extrà usus sibi concessos.

Petes: *An ergo non sufficiat rei dominium, ut quis eam alteri validè donet?*

Resp. *negativè*: sed requiritur facultas rem alienandi, quæ aliquando Dominis per juris dispositionem eripitur.

Observandum, quod nemo omnia bona tam futura, quam præsentia donatione inter vivos donare queat ob juris dispositionem, quá prohibetur, ne quis omnia bona futura abdicare possit, nè donator careat potestate testandi, aut hæredes instituendi, quod Juris-periti pro inconvenienti habent.

Imò de jure communi non potest fieri donatio ultrà 500. solidos, nisi judici intimetur, undè quamvis Donatio aliter facta sit valida, potest tamen revocari quantùm ad excessum, ut constat ex Lege penultimâ Codice *de donationibus*.

Excipiuntur tamen donationes ad causas pias, quià Principes seculares non habent potestatem statuendi aliquid in præjudicium bonorum operum, & salutem animarum.

Excipiuntur & alii casus, qui vidêri possunt apud Authores.

Collige, quod Maritus non possit validè donare suæ Uxori, donatione inter vivos, & irrevocabiliter, nec Uxor Marito, quià facultas alienandi eis adimitur Læg. *Cum hic status*. ff. de donationibus inter virum, & mulierem, ne fortè conjuges amore nimio bonis se expolient.

Non-nullæ tamen assignantur exceptiones, ut si mulier aliquid donet Marito, ut assequatur Dignitatem, V. G. ut fiat Consiliarius.

Donatio à parente, filio nondum emancipato fa-

cta, revocabilis censetur, juxtà Legem secundam de inofficiosis donationibus, quià filius non emancipatus habetur tanquam una persona civilis cum Patre, cui proinde Pater non magis donare potest, quam sibi ipsi.

Ob eandem rationem filius nondum emancipatus nequit donare Patri, vel Matri nisi ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus. Quibus casibus fiat exceptio, quantùm ad donationes, quæ à Patre filiis nondum emancipatis fiunt, vide Authores.

QUÆSTIO V.

Quibus casibus revocentur Promissiones, & Donationes?

Dico 1. Donatio mortis causâ potest revocari à Donatore quamdiu vivit. Constat ex jure, & praxi. Hinc voluntas ejus dicitur usque ad mortem ambulatoria.

Dico 2. Donatio inter vivos potest quandoque revocari, etiam post rei traditionem. *Primò*, quando est inofficiosa, id est, quando facta est contrà officium paternæ pietatis ergà liberos; ut V. G. si proles ideò carêre debeat portione legitimâ. Constat ex Lege primâ *De inofficiosis donationibus.*

Secundò, ob ingratitudinem Donatarii, V. G. si atroces injurias verbo, vel facto intulerit Donatori, vel si gravamina, ad quæ in donatione seipsum obstrinxerat, adimplêre contemnat.

Hi, & plures alii casus exprimuntur Lege ultimâ Cod. *de revocationibus.* Cæterùm cum illa statuantur in pœnam; Donatarius ante sententiam judicis rem acceptam restituere non tenetur.

Prætereà revocatio illa fieri non potest post mortem Donatarii, eoquòd mortuo reo non soleat exi-

gi

gi pœna ab hæredibus; nec post mortem Donatoris si fuerit conscius ingratitudinis, quià Donator censetur condonasse, & ideò tacuisse. Undè in hoc casu hæredes Donatoris negotium Donatario facescere nequeunt. Secùs dicendum, si donator non fuerit conscius ingratitudinis, quià tunc non præsumitur voluisse tacêre, & condonare.

Insuper donatio remuneratoria non revocatur ob ingratitudinem, nisi secundùm illam partem, quâ Beneficium excedit, quià non est donatio putè liberalis.

Tertiò, donatio revocari potest ob prolem ex insperato natam. Constat ex Leg. *Si numquam.* Cod. *de revocandis donationibus.* quià non censetur donator voluisse casum illum comprehendere: unde si donatio facta sit extraneo, potest revocari in totum, si autem filio prius nato, vel alicui ascendentium, V. G. Patri, aut Avo, potest revocari pro illâ parte, quæ requiritur ad hoc, ut proles ex insperato nata habeat portionem competentem, & parùm interest sive donatio sit juramento confirmata, sive non.

Exceptio est *in primis* in donatione remuneratoria, quæ hoc titulo revocari nequit, nisi pro illâ parte, quâ excedit beneficium.

Secundò, quando Donator expressè renuntiavit privilegio revocandi.

Tertiò, si Donator tempore donationis de liberis cogitavit; tunc enim censetur casum insperatæ prolis voluisse comprehendere, & privilegio revocandi renuntiare.

Quartò, si proles ex insperato nata sit illegitima, quià Pater non censetur habuisse animum peccandi, & eventum illum, cum donavit, excludendi; nec favor juris concessus proli legitimæ, extendi debet ad illegitimam.

Petes

Petes 1. *An Donatarius teneatur ex causâ prolis insperatò natæ, rem acceptam donatori restituere, priusquam repetatur?*

Resp. *negativè*, quià donatio fuit ab initio valida; nec jura decernunt illam irritam natá prole, sed irritabilem.

Petes 2. *An donatio facta Ecclesiæ, vel in piam causam, possit ex toto revocari ob nativitatem prolis?*

Resp *negativè*, sed tantùm pro illâ parte, quæ necessaria est ad constituendam portionem legitimam proli competentem. Ratio est, quià donator non censetur voluisse prolem Ecclesiæ præponere, nisi quoad portionem dictam.

Dico 3. Promissio desinit obligare. 1. Si executio fiat impossibilis, aut illicita. 2. Si relaxetur à Promissario, vel alio authoritatem habente. 3. Si talis mutatio superveniat, ut promissor non censeatur casum illum voluisse comprehendere. 4. Si promissarius fiat insigniter ingratus.

Observandum tamen, quod obligatio solummodò suspendatur, quando executio tantùm pro tempore impossibilis est.

QUÆSTIO ULTIMA.

An Promissio ob turpem causam obliget?

§. PRIMUS.

Datur Resolutio.

REsp. & *Dico*, Promissio facta intuitu operis per se mali, ne quidem opere perpetrato, ullam obligationem parit.

Prob. 1. Quià priusquam opus ponatur, promissio est nulla, ut omnes fatentur, quià nullus potest obli-

obligari ad peccandum, & consequenter, deficiente obligatione ex parte Promissarii, necessariò etiam deficit ex parte promissoris; cum promissio onerosa claudicare nequeat: unde Leg. 123. ff. *de verborum obligationibus.* dicitur, *Si flagitii, vel facti, vel faciendi causâ concepta sit stipulatio, ab initio non valet.* Et Leg. 26. *generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti*: ergo etiam opere perpetrato similis promissio nihil roboris habet.

Prob. consequentia, quià opere patrato promissor non contrahit denuò; & *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, ut habet Regula 18. *juris* in sexto. Sanè si quis sponte coleret meum hortum, nihil ipsi ex justitiâ deberem, etiam culturâ præstitâ, quià conventio nulla de mercede dandâ præcessisset: atqui dum in casu nostro Promissarius præstat opus malum ex conventione præviâ, idem est, acsi sponte, & sine conventione illud præstaret, quandoquidem conventio, quæ præcessit, nulla, & irrita sit: ergo Promissor etiam opere præstito Promissario nihil debet.

Prob. 2. Opus per se malum non est materia contractuum, nec aliquid vendibile: ergo nec ante, nec post illius exhibitionem quis obligari potest ad solvendum quidpiam intuitu illius.

Prob. antecedens, materia contractuum debet esse res pretio æstimabilis, vel saltem talis, ad cujus exhibitionem possimus obligari, cum contractus sit plurium consensus in idem, utrimque obligationem pariens: atqui opus per se malum non est tale: ergo &c.

Prob. 3. Promissio de dandâ mercede propter opus malum non est liberalis, sed onerosa: atqui contractus onerosus non potest claudicare, id est, ab unâ parte tantùm obligare: ergo talis conventio, ne quidem opere perpetrato, obligat promissorem, quià

nec

nec ante, nec post, nec in ipsâ perpetratione criminis ex parte Promissarii obligatio reperitur.

Prob 4. Ex *S. Augustino* Epist. 153. aliàs 54. ad Macedonium ità differente: *si justitia sinceriùs consulatur, justiùs dicitur Advocato, redde quod accepisti, quando contrà veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, & falsitate vicisti*: & paulo infrà: *quis tandem Advocatus, aut ex Advocato ità vir optimus facilè reperitur, qui suscepto suo dicat, recipe quod mihi, dum tibi malè adessem, dedisti; & redde adversario tuo, quod me agente, iniquè abstulisti? Et tamen quem prioris non rectæ vitæ, rectissimè pœnitet, etiam hoc facere debet: ut si ille, qui iniquè litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem: nisi fortè restituendum est alienum, quod per furtum clanculò aufertur, & restituendum non est, quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur, decepto judice, & circumventis legibus obtinetur.*

Ex quibus sic argumentor: iniquum Advocati auxilium; & injusta sententia judicis secundùm *Augustinum* vendi nequit, & si quis emerit, ad solutionem pretii non obligatur, & venditor, quidquid acceperit, restituere tenetur: ergo idem dicendum de quovis alio flagitio, cujus intuitu aliquid promissum est.

Observant aliqui, quod *Judas* ipse sibi haud licitum judicaverit retinêre pecunias, quas ob traditionem Christi acceperat; unde eas retulisse legitur *Matthæi* 24.

Obj. 1. Operi, quod ex prævià conventione in gratiam alterius præstatur, debetur merces ex justitiâ.

Resp. *distinguendo antecedens*, si conventio fuerit valida, *transeat*, si non fuerit valida, ut in casu præsenti *nego assumptum*: tunc enim perinde se res habet,

bet, ac si nulla conventio præcessisset.

Assumptum etiam sic distingui posset: alicui operi debetur merces, *concedo*; scilicet isti, quod pretio æstimabile est, & ad quod nos obligare valemus: omni operi debetur merces, etiam illi, ad quod se nemo obligare potest, *nego assumptum.*

Instabis: opus per se malum quandoque promissori mercedis multum utilitatis adfert: ergo sub illâ ratione pretio æstimari potest.

Resp. 1. Hoc argumento etiam probari, quod collatio Beneficii, iniquum Advocati auxilium, ac injusta sententia judicis licitè pretio æstimentur, & compensentur, cum magna sæpè utilitas ex illis percipiatur.

Resp. 2. Quod utilitas illa propter conjunctionem cum flagitio, ex quo dimanat, pretio æstimari nequeat, nisi & ipsum flagitium æstimetur, quemadmodum utilitas ex collatione Beneficii proveniens vendi non potest, nisi & ipsum beneficium vendi censeatur.

Obj. 2. Quamvis pro opere per accidens malo, V. G. pro confectione calcei in die festo, nihil possit exigi priusquam opus præstetur, nemo tamen dubitat, quin, opere jam præstito, id licitè fiat: ergo similiter.

Resp. si de calceis die festo conficiendis conventio facta sit, vi ipsius etiam post calceorum confectionem nihil debetur, cum ab initio invalida fuerit.

Cæterùm calcei die festo confecti accepto pretio posteà vendi possunt, quandoquidem sint materia contractuum, & aliquid pretio æstimabile, ad cujus traditionem sutor ille jam se obligare potest, quæ omnia in casu nostro locum non obtinent.

Obj. 3. Si quis promissione Virginem ad lapsum induxerit, eam ducere tenetur, & ad executionem suæ promissionis ab Ecclesiâ compellitur.

Resp.

Resp. quod promissio Matrimonii, stupri causâ puellæ facta, spectato jure naturæ prorsùs irrita sit. Promissor tamen ad eam ducendam cogitur ratione doli, & deceptionis, quam puella alioquin pateretur, item ad avertenda graviſſima incommoda, quæ aliàs meritò timeri deberent.

Respondent aliqui, promissionem Matrimonii sub illâ conditione turpi factam jure gentium vim accepisse, eoquòd ubique à quibuscumque judicibus valida habeatur. Quamvis autem hoc admitteretur, *consequentia* ad alias promissiones turpes trahi nullatenùs potest.

Obj. 4. Leg. *affectionis.* ff. de donationibus, dicitur: *Affectionis gratiâ neque honestæ, neque inhonestæ donationes sunt prohibitæ: honestæ erga benè-merentes, amicos, vel necessarios; inhonestæ circà meretrices.*

Resp. ibidem sermonem esse de donatione liberali, & quæ fit ex affectu, vel amicitiâ, ut patet ex illis verbis, *affectionis gratiâ*, minimè vero ex debito justitiæ. Hîc autem non inquirimus, an possimus validè quidpiam donare liberaliter ex causâ inhonestâ, sed an teneamur ex promissione onerosâ intuitu rei turpis factâ.

Obj. 5. Secundùm jura Miles, & Minorennis prohibentur dare meretrici, hic propter ætatem, ille ne abstrahatur à militiâ, ergo alii possunt dare, saltem validè.

Resp. *concedendo totum*, sed hîc rursùs agitur de donatione liberali. Undè solùm significatur, quod liberalis donatio facta meretrici non sit valida, si donator sit miles, aut minorennis. Ex quo ad summum sequitur, tales donationes validè fieri à non milite, & non Minorenni.

Obj. 6. Lege primâ ff. de condictione ob turpem causam §. 2. dicitur: *si turpis causa Accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, repeti potest.* Lege verò tertiâ sub-

subjungitur: *ubi autem Dantis, & Accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur, ut malè judicetur.* Et lege octavâ: *si & dantis, & accipientis turpis causa sit, possessorem potiorem esse, & ideò repetitionem cessare, tametsi ex stipulatione solutum est:* ergò saltem ubi est turpitudo ex parte dantis, & accipientis, veluti cum datur, aut promittitur pecunia pro injustâ sententiâ, Promissiones, & Donationes obligant, quià aliàs repeti posset. quod ex vi promissionum hujusmodi solutum est, nec tutâ conscientiâ retineretur à Donatario.

Resp. *negando consequentiam*, & dico talia dona, nisi fuerint liberaliter data, non posse tutâ conscientiâ retinêri à Donatario, sed tantùm in foro externo, de quo dictæ leges intelliguntur: unde per ly *non posse repeti* &c. tantùm significatur, quod in foro externo negetur actio Donatori ad repetendum, idque in pœnam delicti, quià promisso suo alterum incitavit ad flagitium.

Quare conditio possessoris, sive donatarii non debet intelligi potior, nisi civiliter. Et verò repetitionem tunc non ideò cessare, quià promissio censetur valida, constat evidenter ex Jure civili: quià si solutio nondùm sit præstita, jura negant actionem Promissario, quam sanè non negarent, si talem promissionem subsistere censerent.

Actionem tunc negari liquet ex lege 5. Cod. *De condictione ob turpem causam*, ubi proposito casu de muliere conjugatâ, quæ pacta mercede copiam sui fecit alicui tertio, dicitur: *cautæ*, sive promissæ, *quantitatis ob turpem causam exactioni locum non esse, quamvis utriusque turpitudo versatur, ac solutæ quantitatis cessat repetitio, tamen ex ejusmodi stipulatione contrà bonos mores interpositâ, denegandas esse actiones juris authoritate demonstratur.*

Adde quod Lege 26. ff. de verborum obligationi-

bus

bus dicatur : *generaliter novimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti.*

Obj. ultimò , Lege quartâ ff. de condictione ob turpem cauſam §. 3. dicitur : *quod meretrici datur repeti non poteſt , ut Labeo , & Marcellus ſcribunt ; ſed novâ ratione , non eâ quod utriuſque turpitudo verſatur , ſed ſolius dantis.* Et additur , illam turpiter facere , quod ſit meretrix , non turpiter tamen accipere cum ſit meretrix.

Reſp. 1. Nonnullos æſtimare , quod ſimilia tantùm ad forum externum ſpectent.

Reſp. 2. Dici poſſe , quod ne quidem in foro exteriori tribuatur actio meretrici , ſi ex ſolutione turpi nil ſolutum ſit , ut patet ex antè dictis , quamvis exceptio adversùs Donatorem in foro externo concedatur , ſi aliquid ſolutum ſit.

§. SECUNDUS.

Nonnulla reſolvuntur huc ſpectantia.

PEtes 1. *Quomodò lege 4.* De condictione ob turpem cauſam *dicatur meretrix non turpiter agere accipiendo , quod à ſcortatore datur ?*

Reſp. quod non agat turpiter in foro externo

Reſp. 2. Quod non agat turpiter , ſi verum ſit , quod multi ſuſtinent , quod Reſpublica rei donatæ dominium in eam tranferat.

Reſp. 3. Quod etiam turpiter agere non videatur , quando donum liberale in certis circumſtantiis acceptat.

Petes 2. *Cui reſtitutio rei pro opere per ſe malo acceptæ , fieri debeat ?*

Reſp. quod ſimilia debeantur Fiſco ex diſpoſitione juris civilis ; ut conſtat ex Lege *Lucius.* ff. de jure Fiſci. Hæc juris diſpoſitio rationi conformis eſt ,

quià

quià dum turpitudo se tenet ex parte dantis, & accipientis, uterque meretur privari mercede datâ pro flagitio.

Verumtamen quià confiscatio pœna est, nihil competit Fisco ante sententiam judicis: & hinc quando res per sententiam Fisco non addicitur, nec à nobis exigitur, restitui debet ipsi Donatori: ac proinde nisi Ecclesia juberet in causas pias applicari, quæ Simoniacè acquiruntur, deberent Donatoribus reddi.

Ratio est *primò*, quod *S. Aug.* Epist. 153. aliàs 54. doceat *Advocatum, qui ex iniquo patrocinio lucrum fecit, debêre susceptо suo dicere: recipe, quod mihi, cum tibi malè adessem, dedisti.* Undè & *Judas* retulit Principibus Sacerdotum pretium acceptum pro traditione Domini.

Secundò, quod res furto ablata debeat restitui Domino, cui ablata est; res enim accepta tanquam pretium, aut merces operis per se mali, *V. G.* stipendium Advocati pro injusto patrocinio, judice *Augustino*, est merum furtum.

Tertiò, quod per talem donationem non fiat translatio dominii in Donatarium, sed Donator remaneat Dominus.

D. Thomas aliter sentire videtur 2. 2. q 32. art. 7. in corpore, & q. 62. art. 5. ad 2. hanc regulam generalem tradens, quod quotiescumque datio, & acceptio est illicita, & contrà legem, ut fit *V. G.* in Simoniâ, nihil sit restituendum Donatori, quippè qui mereatur amittere, quod dedit, omniaque in causas pias expendi debeant.

Sed cum S. *Augustino* reconciliari potest, si dicamus illum agere de casu, quo lex non tantùm prohibet ejusmodi donationem, & acceptionem, sed etiam Dantem, & Accipientem privat re turpiter datâ, ut fit in Simoniâ.

Dices

Dices 1. Scienti, & volenti non fit injuria: atqui Donator volens dedit: ergo Donatarius rem datam potest retinêre sine injuriâ donatoris.

Resp. tales donationes non esse liberales, sed onerosas: Porrò oneroſæ omninò nullæ sunt, quando fiunt ex titulo non subsistente: atqui Donator in nostro casu non dat nisi per modum pretii, aut mercedis, sive ex vi promissionis anterioris, quæ omnia non subsistunt: ergo &c.

Dices 2. Res eo modo datæ sunt veluti bona derelicta, quæ cum sint primò occupantis, licitè à Donatariis retinentur.

Resp. *negando assumptum*, quià donator non abdicat dominium absolutè, & liberaliter, sed ex causâ, quæ cum non sit nisi titulus fictus, ut diximus, etiam abdicatio dominii nulla est.

Si tamen constaret donatorem absolutè, & liberaliter velle abdicare domininm rei in favorem donatarii, tametsi non subsistat titulus, ex quo abdicat, res donata tutò retinêri posset, quià liberalis donatio non requirit titulum à voluntate donatoris distinctum.

Petes 3. *Utrum accepta propter causam honestam, ad quam tenebaris, sint restituenda?*

Resp. cum distinctione: si tenebaris ex justitiâ, restituere ex justitiâ debes, nisi fortè per donationem liberalem acceperis; & sic restituenda sunt, quæ dantur V. G. judici, ut ferat sententiam justam, si nempè stipendium à Republicâ accipiat, vel Militi, ne domum tuam incendat.

Ratio est; quià tunc deest titulus aliquid accipiendi, & perindè est acsi donator emeret, quod suum est, vel summam pecuniariam aliàs ex justitiâ sibi debitam.

Si autem non tenebaris ex justitiâ, non est necessè restituere, quod accepisti pro opere pretio æstimabili,

bili, & sic V.G. Medicus, qui aliàs obligatur ex charitate ad medendum pauperi gratis, non tenetur ad restitutionem, si mercedem exigat.

Ratio est, quià uti simile opus omittere justitiæ non repugnat, ità neque pro eo pretium exigere.

Dixi *pretio æstimabili*, quià aliàs deerit titulus ad exigendum pretium, atque ità mutuans præcisè vi mutui nihil suprà summam Capitalem exigere potest. De hoc infrà.

CAPUT IV.

De Deposito, Commodato, & Precario.

QUÆST. UNICA.

Quid Depositum, Commodatum, & Precarium?

Dico 1. Depositum aliquando sumitur *pro re depositâ*, aliquando *pro ipso contractu*, sive *pro depositione*. In hac posteriori acceptione definitur: *contractus, quo res alterius custodiæ committitur, ut integra restituatur.* Ex quo

Sequitur 1. Tam res usu consumptibiles, quam non consumptibiles, tam immobiles, quam mobiles ad materiam Depositi pertinêre, quamvis ordinaria ejus materia sit res mobilis.

Sequitur 2. Contractum Depositi requirere rei traditionem.

Si res merè committatur alterius custodiæ, itaut hoc fiat in utilitatem solius deponentis, dicitur *Depositum purum.* Si admisceatur alius contractus, dicitur *mixtum.* Exemplum est, si V. G. usus rei depositæ gratuitò concedatur Depositario, vel si quid solva-

ſolvatur pro cuſtodiâ: in priori enim caſu ſimul reperitur Commodatum, vel Precarium, in poſteriori autem Conductio, & Locatio operarum.

Dico 2. Commodatum, & Precarium quandoque etiam accipiuntur pro contractu, quandoque pro re commodatâ, vel precariò datâ.

Contractus Commodati eſt, rei quoad uſum gratuita conceſſio uſque ad certum tempus, ante quod reperi non poteſt.

Contractus Precarii eſt, rei quoad uſum gratuita conceſſio, quovis tempore revocabilis. Ex his

Sequitur 1. Materiam Precarii, & Commodati propriè non eſſe res uſu conſumptibiles, ſi concedantur in ordine ad uſum principalem. Ratio eſt, quià uſus principalis earum conſiſtit in deſtructione, ideòque non eſt uſus propriè dictus, cum uſus ſtrictè acceptus ſit aſſumptio rei ad aliquem actum commodum, ſalvâ rei ſubſtantiâ. Poſſunt tamen eſſe materia Commodati, & Precarii, ſi concedantur ad uſum ſecundarium, ut ſi pecuniæ concedantur merè ad oſtentationem.

Sequitur 2. Dominium rei Commodatò, vel precariò datæ non transferri, ſed manêre apud concedentem, cui proinde perire debet, ſi abſque culpa Commodatarii intereat, eoquòd res quælibet ex ſe pereat ſuo Domino.

Quæri poteſt, ex quâ culpâ teneatur, qui habet Depoſitum, Commodatum, vel Precarium, ſi contingat rem perire. Sed hoc in antecedentibus ſolutum eſt.

CA-

CAPUT V.

De Mutuo, & Usura.

QUÆSTIO I.

Quid Mutuum? quid Usura? Et quotuplex?

Dico 1. *Mutuum* accipitur aliquando *pro Contractu mutui*, aliquando *pro re mutuata.*

Mutuum ut *contractus est gratuita traditio rei fungibilis, sive functionem recipientis cum translatione dominii, ea lege, ut eadem specie, ejusdemque bonitatis, & qualitatis postea restituatur.*

Res fungibiles dicuntur, quæ ob similitudinem, quam habent, possunt sibi mutuo substitui in commutationibus, aut solutionibus, itaut una fungatur vice alterius, & videatur res eadem dari, vel reddi. Talia sunt, quæ usu consumuntur, quæ in pondere, numero, & mensurâ consistunt, ut V. G *nummi, oleum, vinum, frumentum* &c. Dum enim reddo oleum pro oleo, nummum pro nummo (licet aureum pro argenteo) censetur dari prorsùs idem, si non materialiter, saltem formaliter: quod non evenit in aliis rebus, quæ usu non consumuntur, nec consistunt in numero, pondere, & mensurâ, quià non habent tantam similitudinem inter se, ut si V. G. equum pro equo, arborem pro arbore restituam: facilè enim subest aliqua dissimilitudo quoad bonitatem, & alia accidentia, sic ut non censeatur dari prorsùs idem, ideòque tunc potiùs fit permutatio, quam mutuum.

Nonnulli mutuum definiunt hoc modo: *gratuita tradi-*

traditio rei pondere, numero, vel mensurâ constantis &c. sed cum aliâ coincidit.

Dicitur *gratuita*, quià fit gratis, id est, absque onere aliquid retribuendi præter rem similem illi, quæ mutuò datur.

Dicitur *traditio*, quià mutuum actuali traditione perficitur.

Dicitur *cum translatione dominii*, quià mutuum ex eo dicitur, quod meum fiat tuum, & in hoc differt à Depositò, & Commodato; hinc si res pereat, fructificet, aut melioretur, perit, fructificat, melioratur Mutuatario.

Dicitur *eâ lege, ut eadem specie, ejusdemque bonitatis postea restituatur*, quià si nihil deberet restitui, esset donatio liberalis, si res eadem in individuo, esset vel *Depositum*, vel *Commodatum*, vel *Precarium*: si res dissimilis specie formaliter, esset permutatio, vel emptio: si diversæ bonitatis, committeretur inæqualitas, adeòque violaretur æquitas.

Dico 2. Usura accipitur dupliciter, id est, *pro lucro usurario*, vel *pro ipso contractu usurario*.

In prima acceptione definitur: *lucrum quod accipitur suprà sortem tanquam ex justitia debitum præcisè vi mutui, sive ratione mutuationis*. In aliâ acceptione, Contractus, *in quo tale lucrum accipitur, vel onus illud solvendi imponitur*.

Per *sortem* intelligitur summa capitalis mutuò data: V. G. mutuo tibi mille imperiales eâ lege, ut reddas mille & 50.: summa mille Imperialium dicitur summa capitalis, & lucrum 50. Imperialium dicitur *usura*, alio nomine *fœnus*, *auctarium* &c.

Dicitur *tanquam ex justitiâ debitum*, quiâ licitè aliquid accipimus propter mutuum, & absque labe usuræ, dummodò gratis, & ex amicitiâ, & gratitudine, minimè verò ex stricta obligatione petatur, aut offeratur.

Dicitur *præcisè vi mutui*, quià si alio titulo aliquid

quid suprà sortem accipiatur, ut V. G. quià carendo pecuniâ alteri mutuatâ cogimur pati damnum, non est usura, sed potiùs indemnisatio.

Sequitur 1. Me non committere usuram, si mutuem tibi centum, ut alia debita mihi solvas, vel ut mihi non detrahas, quià similia propriè non sunt lucrum, cum debeantur ex justitia independenter à mutuo.

Sequitur 2. Committi usuram, si ratione mutui exigam fructus rei apud me oppignoratæ à Mutuatario.

Dico 3. Usura alia est *formalis*, quæ nempè fit cum pacto expresso: alia *virtualis*, quando tacitè, vel interptetativè accipimus, vel exigimus lucrum ratione mutui, quamvis de eo non fiat expressa pactio.

Quando expressè, & apertè exigitur lucrum ratione mutui, dicitur *usura aperta*, quando autem exigitur sub prætextu alterius tituli ficti, distincti à mutuatione, dicitur *palliata*.

Usura etiam alia est *realis*, quando accipitur lucrum usurarium cum pacto expresso, vel tacito; alia *mentalis*, quando mutuamus animo accipiendi lucrum vi mutui, nullo modo ne quidem implicitè hoc in pactum deducendo, vel manifestando. Si non sequatur acceptio istius lucri, dicitur *usura purè mentalis*: Si autem sequatur (tamen absque pacto etiam implicito) dicitur *usura mentalis mixta*.

Potest quis esse alio modo Usurarius mentaliter, quando nec mutuat de-facto animo usurario, nec lucrum percipit, sed habet nudam voluntatem mutuandi cum perceptione lucri vi mutui. Sed talis Usura non solet hîc intelligi nomine usuræ mentalis.

Dico 4. Jurisperiti dividunt usuram in *compensatoriam*, quâ compensatur interesse, V. G. *lucrum cessans*, vel *damnum emergens*; in *punitoriam*, quæ exigitur in pœnam moræ in restituendâ summâ capita-

li culpabiliter admiſſæ, & in *lucratoriam*, quæ accipitur præcisè titulo Mutui; ſed hanc ſolam tanquam veram uſuram accipiunt Theologi.

QUÆSTIO II.

An Uſura juri naturæ repugnet?

REſp. *affirmativè*?

Prob. 1. Quià aliquid abſque juſto titulo exigere juri naturæ adverſatur: atqui hoc fit in Uſurâ: ergo &c.

Prob. minor, quià non poteſt aſſignari juſtus titulus exigendi auctarium ſuprà ſortem; ut patebit ex ſolutione argumentorum.

Prob. 2. Si quis furetur centum, ſecluſis damnis extrinſecis, ſatisfacit reſtituendo centum: ergo & ipſe, qui accipit mutuò centum, ſatisfacit juſtitiæ reddendo centum, adeòque injuſtè cogitur ſuperaddere auctarium.

Prob. conſequentia, quià conditio furis non eſt melior conditione illius, qui mutuum accipit.

Confirmatur, quando mutuo centum Patacones V. G. perinde eſt, acſi illos venderem pro aliâ pecuniâ ſimili: atqui vendens ſalvâ juſtitiâ exigere nequit plus, quam res valeat: porrò id facerem, ſi exigerem auctarium ſuprà ſortem, cum centum Patacones non valeant plus, quam centum. Hanc rationem indicat D. *Thom.* 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. dicens: *pecunia non poteſt vendi pro pecunia ampliori, quam ſit quantitas pecuniæ mutuatæ, quæ reſtituenda eſt.*

Obj. 1. Poteſt aliquid exigi primò, ratione pecuniæ, quæ mutuò datur. Secundò, ratione usûs illius. Tertiò, propter utilitatem, quam adfert. Quartò, ob ejus carentiam.

Reſp. nec primo titulo poſſe aliquid exigi, quiâ reddi-

redditur à mutuatario tantum, quantum illi datum est

Neque etiam secundo, partim, quià jus utendi pecuniâ transfertur simul cum dominio in Mutuatarium, ideòque si exigeret aliquid ratione usûs, exigeret pro usu rei non suæ, ad quem alter jus habet; partim etiam quià usus pecuniæ mutuò datæ non habet æstimabilitatem distinctam à valore pecuniæ, sicut nec usus vini, tritici, aliarumve rerum usu consumptibilium: unde sicut injustum est vendere vinum exigendo pretium illius, & insuper aliquid postulando ratione usûs vini, ità injustum est exigere centum Florenos pro summâ centum Florenorum mutuatâ, & simul auctarium pro usu illius summæ, quià scilicet Mutuatarius reddendo centum, dat aliquid æquivalens, & pecuniæ mutuatæ, & usui illius.

Nec tertio titulo, quià pecunia non est specialiter utilis, aut fructifera ratione sui, sed tantùm ratione industriæ Mutuatarii. Prætereà Mutuatarius reddit pecuniam æquè utilem.

Nec denique quarto titulo, quià sicut carentia V. G. vini, quod vendo, non est æstimabilis seorsim ab ipso vino, & non nisi ratione vini, ità carentia pecuniæ non est æstimabilis seorsim à pecunia, & non nisi ratione pecuniæ.

Instabis. Locator equi potest aliquid exigere pro usu equi: ergo &c.

Resp. latam esse disparitatem, quià Locator non transfert dominium equi, & ideò aliquid exigens pro usu equi petit pro usu rei suæ, quod licitè facit, cum res pariat usum, & fructum suo Domino. Prætercà usus equi est æstimabilis seorsim ab equo.

Obj. 2. Quidni possit aliquid exigi, quià mutuans præstat gratiam, & amicitiam, ad quam non tenetur?

Resp. eum, qui vendit vinum, aut triticum etiam

præstare gratiam emptori, ad quam non tenetur, nec tamen potest aliquid exigere seorsim à vino, vel suprà valorem vini.

Itàque sicut libera, & gratuita venditio vini non est æstimabilis seorsim à vino, quià non adfert ullum commodum emptori, vel incommodum venditori nisi ratione vini, quod venditur, ità gratuita mutuatio pecuniæ non est æstimabilis seorsim à pecuniâ, tum quià mutuatio pecuniæ est virtualis venditio illius pro aliâ simili suo tempore solvendâ, tum quià gratia, quæ fit in mutuatione, non est commoda Mutuatario, nec incommoda Mutuatori nisi ratione pecuniæ, & ideò ratione istius gratiæ nihil exigi potest suprà valorem pecuniæ.

Instabis : Mutuator præstando hanc gratiam, privat se suâ libertate, quod videtur pretio æstimabile.

Resp. id etiam habêre locum in venditione vini, ad quam non teneor.

Dico igitur jacturam istius libertatis non esse æstimabilem seorsim à pecuniâ, quæ mutuatur, sicut nec jactura libertatis, quam habeo, antequam vendam vinum, æstimabilis est seorsim à vino, & suprà valorem vini.

Ratio est *primò*, quià mutuare pecuniam est virtualiter eam vendere pro aliâ simili. *Secundò*, quià jactura libertatis, quam facio mutuando, non est mihi incommoda, nec commoda Mutuatario nisi ratione pecuniæ, quam in ipsum transfero.

Obj. 3. Deuter. 23. v. 19. Deus permisit Judæis accipere usuras à Gentibus his verbis : *non fœnerabis Fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno.*

Resp. Deum hoc permisisse Judæis tanquam minus malum ad evitandum majus, ut vult D. *Thomas* 2. 2. q. 78. art. 1. ad 2. *ne scilicet à Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui de-*

diti

diti erant: vel sanè hoc eis licuisse, quià Deus in vim supremi sui dominii transtulit in eos dominium auctarii, quod suprà sortem exigebant à Gentibus, sicut dedit eis spolia, quæ abstulerunt ab Ægyptiis.

Obj. 4. *Lucæ* sexto v. 23. ponitur inter ea, quæ sunt Consilii: *mutuum date, nihil indè sperantes.*

Resp. Mutuare quidem esse consilii, supposito tamen quod fiat mutuatio, esse præcepti nihil idcircò exigere. Idem est de eo, quod dicitur Psalmo 78. *vovete, & reddite* &c. nam vovere est consilii, sed votum reddere præcepti.

Obj. 5. Jus Civile permittit usuras, & tribuit actionem ad eas exigendum.

Resp. Jus Civile in hoc esse correctum per jus Canonicum *Clementinâ unicâ* de usuris: undè nunc usuræ in foro externo ad summum tolerantur tanquam minus malum, nec ampliùs actio tribui potest usurariis, ut statuitur in Clementinâ jam citatâ.

QUÆSTIO III.

An licitè aliquid exigatur suprà sortem ratione obligationis non repetendi summam capitalem ante certum tempus?

RESp. & *Dico*, ejusmodi exactionem esse usurariam.

Prob. 1. Quià carentia pecuniæ ad certum tempus, vel etiam in perpetuum, non est æstimabilis seorsim à pecuniâ, nec est titulus aliquid exigendi suprà valorem pecuniæ: ergo &c.

Prob antecedens, quià carentia V. G. vini, quod vendo, non est æstimabilis seorsim à vino, nec est titulus petendi quidpiam suprà valorem vini: ergo &c.

Prætereà sive habeam pecunias in arcâ per annum,

ſive lapides, ſive nihil, præcisè ibi ſiſtendo, & ſecludendo omne *damnum emergens, lucrumque ceſſans*, in ordine ad uſus humanos nihil intereſt, nihilque commodi, aut incommodi adfert, ergo carentia pecuniæ ad certum tempus ex ſe non habet æſtimabilitatem ſeorſim à pecunia, quià æſtimabilitas rerum petitur à commodo, vel incommodo in uſibus humanis.

Prob. 2. Ex Capitulo *Conſuluit.* de uſuris, ubi *Urbanus* III. rogatus, an ſit habendus uſurarius Negotiator, qui merces ſuas longè majori pretio diſtrahit, ſi ad ſolutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam ſi ex incontinenti pretium perſolvatur? Reſpondet: *hujuſmodi homines pro intentione lucri, quam habent* (*cum omnis uſura, & ſuperabundantia prohibeatur in Lege*) *judicandi ſunt malè agere, & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.*

Obj. 1. Quod me obligem ad carendum pecuniâ tanto tempore, eſt gratia ſpecialis, quam tibi præſto, & gravamen, quod ſuſcipio.

Reſp. hujuſmodi gratias, & gravamina non habére æſtimabilitatem niſi ratione rei mutuatæ: unde quando Mutuatarius reddit æquivalens rei mutuatæ, ponitur æqualitas, & ſatisfit juſtitiæ.

Idem reſponde, ſi quis dicat Mutuatorem ſe obligantem ad non repetendam ſortem antè certum tempus, aliquid facere, ad quod non tenetur, item ſe privare jure, & libertate repetendi ſortem pro ſuo arbitrio, quià hæc, & ſimilia non ſunt æſtimabilia ſeorſim à pecuniâ, quæ mutuò datur.

Obj. 2. Quod in gratiam tui longo tempore caream inſtrumentis meæ artis, eorumque uſum tibi permittam, eſt pretio æſtimabile: atqui pecunia eſt inſtrumentum negotiationis: ergo &c.

Reſp. *negando conſequentiam*, diſparitas eſt primò,

quod pecunia non sit instrumentum ex se utile, aut fructiferum. *Secundò*, quod dominium pecuniæ in Mutuatarium transferatur, non dominium instrumentorum, quæ alicui ad usum conceduntur. *Tertiò*, quod dominium, & usus pecuniæ, nec non carentia ejus, & obligatio carendi adæquatè compensentur per hoc, quod pecunia similis posteà reddenda sit.

Instabis: quid si alicui elocem pecuniam merè ad ostentationem, dominio ejusdem mihi retento?

Resp. in illo casu pro usu tali pecuniæ, seu facultate utendi exigi aliquid posse, si tamen usus ille, qui à quibusdam secundarius appellatur, alicujus momenti, & pretio æstimabilis censendus sit.

Obj. 3. Pecunia præsens majoris est æstimationis, quam absens, & solùm infrà annum V. G. recipienda, ut patet ex apprehensione communi, & praxi mercatorum.

Resp. *distinguendo assumptum*, est majoris æstimationis ex se, & ratione sui, *nego*: ratione alicujus extrinseci, quod accedit, V. G. ratione lucri cessantis, aut damni emergentis *concedo*. Ad probationem dico, Mercatores pluris facere pecuniam præsentem ratione lucri, quod alioquin eis cessaret, vel ratione damni, quod obveniret.

Instabis: pro altero fide-jubere est pretio æstimabile: ergo &c.

Resp. quod fide-jubêre non sit æstimabile, nisi ratione extrinsecorum, V. G. quod fide-jussor pro altero fortè detrudetur in carcerem, aut numquam recuperabit pecunias, quas pro altero forsitan solvere debebit.

Si pecuniæ carentia seorsim ab illá æstimabilis non fit, uti jam clarè satis ostensum reor, evidenter sequitur, quod neque obligatio ad carendum, per se æstimari queat, quià obligatio non habet æstimabili-

tatem, nisi ratione rei, ad quam obligamur, ut ex sequentibus clariùs elucebit.

QUÆSTIO IV.

An liceat mutuare, obligando Mutuatarium ad remutuandum?

REsp. hoc esse etiam usurarium.
Prob. quià jam ostensum est, quod nihil prorsùs exigi queat ratione mutui præter sortem, eoquòd desit titulus aliquid ultrà postulandi.

Obj. 1. Mutuatarius tenetur remutuare.

Resp. illum tenêri ex gratitutidine, non ex justitiá; hîc autem quærimus, an ipsi obligatio justitiæ imponi licitè queat.

Obj. 2. In tali contractu omnia sunt paria, & accurata utrimque invenitur æqualitas: ergo non violatur æquitas.

Prob. antecedens, quià sicuti mutuo tibi centum, ità mihi posteà talem summam mutuabis.

Resp. *negando antecedens*, & dico, inæqualitatem in hoc consistere, quod præter restitutionem sortis, Mutuatarius cogatur insuper se obligare ad remutuandum: nam si mihi mutuasti centum V. G. satisfacio justitiæ, & pono omnia paria reddendo centum, sicuti satisfacio justitiæ, dando tibi centum pro merce istius valoris: ac proindè si cogar præterea suscipere obligationem remutuandi, plus reddo, quam accepi, & plus quam ex justitiâ debebam; sicuti si pro merce centum Florenorum cogerer dare centum, & insuper me obligare ad mutuandum, vel dare centum, & duos, plus darem, quam accepissem.

Obj. 3. Licitum est mutuando triticum exigere ex incontinenti, sive statim remutuationem vini: ergo

ergo etiam licitum est mutuando triticum obligare Mutuatarium ad remutuandum vinum infrà annum.

Prob. antecedens, ex D. *Thom.* 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. ubi sic ait: *Licet simul mutuanti unum aliquid aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.*

Resp. *distinguendo antecedens*, licitum est exigere remutuationem spontaneam ex gratitudine, & absque obligatione strictè dictâ, ità quidem, ut mutuum denegemus, si Mutuatarius nolit eo modo remutuare, *concedo*: si enim nolis mihi præstare gratiam, tibi quoque gratiam licitè denego: licitum est exigere hoc sensu, quod obligatio strictè dicta injici possit, *nego antecedens*. Porrò D. *Thomam* in sensu priori loqui, ex textu patet.

Et verò *notandum*, D. *Thomam* non dicere, quod liceat obligare ad aliud mutuum, sed recipere aliud mutuum, scilicet spontaneè, & ex gratitudine oblatum. Insuper alioquin sibi contradiceret: si enim possit injici obligatio ad statim remutuandum, quid-ni queat imponi ad remutuandum pro futuro? Quod tamen fieri posse, negat D. *Thomas*.

Obj. 4. Quid si mutuator viciſſim se obliget ad mutuandum pro præsenti, vel pro futuro?

Resp. tunc non committi usuram, quià ab utrâque parte omnia sunt paria, & utrimque consimilis respondet obligatio. Porrò aliud est in casu nostro, in quo Mutuatarius suscipit obligationem ad remutuandum, cui ex parte mutuantis onus simile non correspondet.

Obj. 5. Seclude omnia extrinseca, & finge Mutuatarium non pati interesse ullius damni, vel lucri cessantis, ex eo, quod debeat esse paratus ad remutuandum infrà annum, tali casu obligatio remutuandi

di non erit pretio æstimabilis: ergo non erit usura, si Mutuatarius ad hoc obligetur.

Prob. consequentia, quià usura committitur solùm, quando vi mutui exigitur aliquid pretio æstimabile suprà sortem.

Resp. *negando consequentiam*, cum ejus probatione, & dico, usuram ordinariè quidem consistere in aliquo pretio æstimabili, quod exigitur vi mutui suprà sortem, id tamen non esse necessarium: quidquid enim exigitur suprà sortem vi mutui, injustè, & absque titulo exigitur, ideòque usurariè, sive sit pretio æstimabile, sive non. Hinc si mutues pecunias eâ lege, ut tibi conferatur Beneficium Ecclesiasticum (quod pretio temporali nequit æstimari) certò committis usuram.

Insuper SS. Patres universè dicunt Usuram committi, quando vi mutui exigitur aliquid suprà sortem, quodcumque sit illud. Et quidem S. *Aug.* in Psalmum 36. *Si fœneraveris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus quam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solùm, sed aliquid plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plus quam dedisti expectes aliquid, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus.* Hinc enim apud *Lucam* cap. 6. non dicitur: *mutuum date*, pecuniam V. G. *indè non sperantes*; sed, *nihil indè sperantes*. Et S. *Ambrosius* lib. de *Tobia* cap. 14. dicit: *Quodcumque sorti accedit, usura est, quod velis ei nomen imponas, usura est.*

QUÆSTIO V.

Quædam ex jam dictis deducuntur.

Collige 1. Usurarium esse, quod vi mutui exigas obligationem pro te fide-jubendi, etiam secluso quovis incommodo extrinseco, quod Mutuatario indè obvenire potest, quià illud onus imponitur absque titulo, & omninò injustè.

Collige 2. Usurarium esse, quod vi mutui imponas Mutuatario obligationem emendi in tuâ Officinâ, licet pretio justo, nec majori, quam alibi emeret.

Collige 3. Usurarium esse obligare Mutuatarium ad collationem Officii secularis, aut Beneficii Ecclesiastici. Item ad remissionem injuriæ, vel in famâ, vel in bonis temporalibus illatæ, vel etiam ut desistat à justâ lite.

Collige 4. Usurarium esse exigere pœnam conventionalem, V. G. quinque in centum, si Mutuatarius tempore præfixo summam capitalem non restituat, seclusis nempè extrinsecis; quià hîc etiam deest titulus justus, cum carêre sorte mutuatâ ad certum tempus ex se non habeat æstimabilitatem distinctam à sorte: hinc fur, qui abstulit centum Florenos, illosque detinuit per annum, seclusis extrinsecis, satisfacit justitiæ reddendo centum. Atque inde liquet pro titulo perperam allegari, quod Mutuatarius sit in morâ culpabili, & contrà justitiam delinquat, quià hoc etiam locum obtinet in fure rem alienam ad annum retinente.

Dixi *extrinsecis seclusis*, quià si ratione moræ Mutuator damnum fortè incursurus sit, illius compensatio in pactum deduci potest.

Porrò pœna conventionalis dicitur, quæ communi

ni contrahentium consensu statuitur subeunda, si conditiones contractui appositæ non serventur: V. G. quod summa capitalis post annum refundi debeat.

Obj. 1. Judex ratione moræ culpabilis Mutuatarium ad pœnam, quâ dignus est, condemnare potest: ergo Mutuator eandem imponere valet.

Resp. *negando consequentiam*, quià delicta punire, & peccantibus pœnam infligere ad publicam pertinet potestatem.

Instabis, quod à judice publicâ authoritate peragitur, mutuo privatorum consensu fieri potest: atqui Mutuatarius in pœnæ istius constitutionem consensit: ergo &c.

Resp. quod non sponte & plenè liberè in oneris istius susceptionem consentiat, sed illud admittere compellatur; si enim aliter suæ necessitati consulere & mutuum habêre posset, in pœnæ istius constitutionem nequaquam consentiret. Non alio igitur modo in pœnam illam consentit, quam Mutuatarii in solutionem auctarii consentire soleant.

Porrò de spontaneo privatorum consensu intelligendum est, quod illo fieri queat, quidquid judicis authoritate peragitur.

Obj. 2. Leg. *Si pacto.* Cod. de pactis, traditur oppositum.

Resp. Legem agere de casu, quo obligatio suscipitur prorsùs liberè, & spontaneè, vel sanè cum justo titulo, ut si V. G. ex morâ obventurum sit damnum.

Obj. 3. Pœna licitè apponitur Sponsalibus: ergo &c.

Resp. veritatem *Antecedentis* alio loco esse discutiendam: cæterùm disparitas hæc occurrit, quod in Sponsalibus plerumque pars altera damnum patiatur, quandò una fidem frangit: in nostro autem casu

suppo.

supponitur, quod Mutuator non sentiat aliquid ex morâ Mutuatarii, quamvis culpabili.

Collige 5. Etiam usurarium esse aliquid exigere tanquam ex gratitudine debitum. Id ipsum quoque constat ex propositione 42. sub *Innocentio* XI. condemnatâ: *Usura non est, dum ultrà sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentiâ, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex justitiâ debitum.* Sanè si hæc doctrina subsisteret, nemo nisi ex stupiditate usuram incurreret.

QUÆSTIO VI.

An licitè aliquid exigatur ratione periculi sortis?

Dico 1. Probabile est, quod liceat aliquid exigere suprà sortem ratione periculi, aut difficultatis in recuperandâ sorte.

Prob. quiâ periculum istud videtur pretio æstimabile, ut patet in Assecuratione, & fide-jussione. Tunc ergo non exigitur auctarium præcisè ratione mutui, sed ex alio titulo.

Huic opinioni suffragari videtur D. *Thomas*, qui 2. 2. q. 77. art. 4. ad 2. de Mercatore, qui rem cariùs vendit, quam emit, ità scribit: *Potest hoc licitè facere, vel quià in aliquo rem melioravit, vel quià pretium rei est mutatum, secundùm diversitatem loci, vel temporis, vel propter periculum, cui se exponit transferendo rem de loco in locum.*

Dico 2. Opposita sententia non minus est probabilis, & clariùs eruitur ex D *Thomâ* opusculo 73. capite 6. dicente: *In mutuis vitium usuræ annexum est ex eo, quod fiant spe lucri, quod est contrà naturam mutui, ideò quià dubium & periculum de suâ naturâ non tollunt hanc vitiositatem à mutuo, quando fit spe lucri.* Et infrà: *ratio periculi etiam circà sortem non tol-*

tollit rationem usuræ in mutuo. Fundat autem se in Capitulo *Naviganti.* de usuris, ubi dicitur : *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eoquòd suscepit in se periculum, receturus aliquid suprà sortem, usurarius est censendus.*

Nonnulli quidem suspicantur in jam citata Capituli verba irrepsisse mendum, & loco *usurarius est censendus* legi debêre *usurarius non est censendus*, sed minùs fundatè; quià non tantùm D. *Thomas*, sed omnes unaniiniter interpretes primo modo legunt, & omnia exemplaria sic habent.

Prætereà fur omnium judicio satisfacit restituendo summam ablatam, quamvis mille eam periculis exposuerit, neque titulo istorum periculorum quidquam exigere potest: ergo &c.

Denique omnes leges humanæ, & divinæ Usuram prohibentes potissimùm intendunt sublevamen pauperum, ne ditiores illos usuris opprimant, ut patet ex capite 22. *Exodi*, item ex capite 25. *Levitici*, & capite 23. *Deuteron.* atqui intentio illa penitùs evacuatur, si titulo periculi sortis auctarium jure exigatur, quià non respectu divitum, sed pauperum ejusmodi periculum militare solet, à quibus proindè lucrum extorqueri licitè poterit.

Dicendum ergo, periculum, quod in Mutuo reperitur, non esse pretio æstimabile: vel enim agitur de periculo generali, quod omni mutuo inest, & ratione illius nihil exigi posse, in confesso est, vel agitur de periculo particulari, quod ex paupertate Mutuatarii imminet, & istud suprà sortem æstimari non posse, saltem ex voluntate, & intentione Dei usuram vetantis, ex dictis liquet.

Inter periculum Assecurationis & Mutui, id discriminis intercedit, quod in assecuratione periculum rei alienæ suscipiatur, & quidem ab extrinseco V. G. à tempestatibus maris proveniens, ubi in Mutuo

tuo discrimen omne à paupertate personæ nascitur, & rem propriam, aut ex justitiâ debitam respicit.

Addi potest, quod Assecuratio non sit præcepta in solatium pauperum, sicut Mutuum.

De Fide-jussione major est difficultas. Sed quid si dicatur etiam probabile esse, quod ejus periculum æstimari non possit? Sanè si Fide-jussor pro alio cogatur solvere, accipiet jus repetendi ab altero, quod fudit, hoc autem jus rei, pro altero datæ, æquivalet.

Adde, quod pericula Fide-jussionis, pro quibus aliquid exigi potest, sint omninò extrinseca, ubi periculum mutui, ad subventionem pauperum ordinati, intrinsecum apparet.

Denique quamvis argumentum à Fide-jussione, & Assecuratione desumptum probabilitatem aliquam adferat opinioni, exactionem auctarii ratione periculi sortis justam asserenti, tamen fundamenta, quæ pro oppositâ sententiâ attulimus, non elidit. Hinc in praxi procedendum secundùm principia generalia, quæ in occursu opinionum probabilium sibi repugnantium servari debent.

QUÆSTIO VII.

An ratione damni emergentis, aut lucri cessantis aliquid suprà sortem justè exigatur?

REsp. & *Dico* 1. Titulo damni emergentis auctarium licitè exigitur.

Prob. quià æquitas postulat, ut, si in gratiam tui præstem mutuum, indemnitati meæ consulas.

Nec auctarium tunc exigitur vi mutui, sed ex alio titulo justo, scilicet ut indemnis permaneam: unde perindè est, acsi exigerem à Mutuatario expensas, quas V. G. mutuum transmittendo facere debuissem.

Porrò

Porrò damnum emergens dicitur, quando definit aliquis plus habêre in ſuis bonis actu poſſeſſis, ſeu quando incipit minus habêre. Ex quo

Collige 1. Poſſe exigi compenſationem damni, quod ex morâ culpabili mutuatarii ſequitur, quamvis ab initio hoc in pactum non deducatur.

Collige 2. De ejuſmodi compenſatione damni ex morâ forſitan obventuri conventionem ab initio citrà injuſtitiam fieri.

Petes: *Quid ſi damnum emergat non ratione moræ, ſed ratione mutui? V. G. ſors mutuò data eſt ad annum, & mentio nulla de compenſatione damni facta eſt, atque interim anno nondum evoluto mutuator damnum patitur, an mutuatarius illud reſarcire teneatur?*

Reſp. illum ad hoc cogi non poſſe, ſed ad ſummum rogari, ut ex decoro, & congruo id præſtet: quià Mutuator cenſetur juri ſuo ceſſiſſe, quando de compenſatione damni mentionem non fecit, præſertim cum interſit Mutuatarii, ut ab initio moneatur de auctario ratione damni obventuri perſolvendo; quià aliâ forſan viâ ſine tali gravamine ſibi conſulere valeret, mutuum poſtulando ab alio, qui illud ſine ſuo damno præſtare poteſt.

Simile eſt in operâ hortulani, quæ eſt titulus juſtus exigendi mercedem ab illo, in cujus gratiam fit, ſuppoſitâ prævià conventione: ſi tamen abſque conventione præſtetur, inſufficiens eſt ad aliquid exigendum aliter, quam ex congruo.

Sed diſſimile eſt in fure, qui independenter à conventione tenetur compenſare damna, quæ Domino ex carentiâ rei ſuæ obvenerunt, quià injuſta eorum cauſa extitit.

Dico 2. Etiam ratione lucri ceſſantis aliquid ſuprà ſortem exigere licet.

Prob. Quià æquitas poſtulat, ut ſi per mutuum in

gratiam

gratiam tui præstitum à consecutione justi lucri impediar, me indemnem serves.

Nec tunc exigitur auctarium vi mutui, sed ex alio titulo justo, cum lucrum cessans æquiparetur damno emergenti; sive enim perdam centum florenos, sive impediar à consecutione eorum, parùm refert.

Adverte tamen, nonnullas conditiones meritò præscribi, quarum *prima* est, ut revera cesset lucrum, & quidem ratione mutui, quia aliàs Mutuator non patietur damnum ex mutuo. Hinc si quis non erat applicaturus pecúnias ad lucrum justum, V. G. ad negotiationem, vel censum annuum, si illas non dedisset mutuò, non poterit exigere auctarium absque maculâ usuræ; quia vel non cessat ei lucrum, vel saltè non ratione mutui, quasi per mutuum impediatur ab ejus consecutione, sed potiùs, quia non vult, aut fortè, quia non potest pecunias suas ad lucrum applicare.

Itaque per *lucrum cessans* intelligitur lucrum, quod non tantùm est possibile, sed reverà expectatum, si non fieret mutuum.

Secunda conditio est, ut lucrum sit certò, aut verosimiliter futurum, si non fieret mutuatio.

Tertia conditio est, ut non exigatur compensatio totius lucri, V. G. ex negotiatione aliàs obventuri; sed fiat aliqua moderatio ad arbitrium prudentis viri: oportet enim deducere laborem, expensas, & æstimationem periculorum, quæ negotiationi annectuntur, cum ratione horum minoris fiat lucrum absens, & tantùm speratum, quam præsens: ut patet in jactu retis, in segete non maturâ, &c.

Quarta, ut Mutuatarius admoneatur, & prævie consentiat in obligationem solvendi auctarium ratione lucri, quod mutuatori cessabit.

Denique, ut lucrum cessans ab initio non recipiatur,

piatur, saltem in eo genere, cujus est sors mutuata: si enim mutuans centum Imperiales V. G. reciperet ab initio decem ratione lucri cessantis, jam non mutuaret centum, sed 90. tantùm.

Dixi, saltem in eo genere &c. Quià potest ab initio recipi in alio genere, modò mutuatio non reddatur minùs commoda mutuatario: V. G. si mutues centum imperiales, potes ab initio recipere triticum valens decem, pro compensatione lucri cessantis, seclusis scilicet mutuatarii incommodis.

Obj. 1. Lucrum speratum nihil est, ergo auctarium exigitur pro nihilo, adeòque titulo ficto.

Resp. *Distinguendo antecedens*, nihil est actu, & in re, *concedo antecedens:* ne quidem est in spe, & quasi virtualiter, *nego antecedens:* undè moraliter loquendo sufficienter existit, ut possit pretio æstimari.

Obj. 2. D. *Thomas* 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. ità scribit: *ille, qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habêre &c..... Recompensationem verò damni, quod consideratur in hoc, quod de pecuniâ non lucratur, non potest in pactum deducere: quià non debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo.*

Resp. S. *Thomam* tantùm velle, quod compensatio lucri cessantis non possit deduci in pactum ex æquo, sive ità, ut compensetur lucrum speratum totaliter, & perindè acsi foret jam præsens nullâ factâ deductione laboris, expensarum, & periculi conformiter ad ea, quæ habet quæst. 62. art. 4. in corpore, ubi sic scribit: *Si* quis *damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur, quod erat in via habendi tale damnum non oportet recompensare ex æquo, quià minus est habêre aliquid virtute, quam habêre actu.....*

tenetur

tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundùm conditionem personarum, & negotiorum. Undè D. *Thomas* sibi contradiceret, si absolutè negaret æstimari posse lucrum speratum, & existens merè in virtute: quià sic damnificans in tali lucro ad nullam compensationem teneretur.

QUÆSTIO VIII.

An Usurarius ad restitutionem teneatur?

REsp. & *Dico* 1. lucrum datum & acceptum præcisè vi mutui restituendum est.

Prob. Quià dominium istius lucri non transfertur in Usurarium, ut patebit ex sequentibus. Et quamvis dominium transferretur, equidem usurarius gravatur onere restitutionis, quià lucrum hujusmodi injustè comparavit.

Ex quo patet, quod Mutuatarius ubique repetere possit, quidquid per modum usuræ solvit, quamvis usurarius illud alteri tradiderit, sive per donationem liberalem, sive per venditionem, dummodò non sit ità permixtum rebus usurarii, alteriusve, ut discerni non possit: si enim dominium usurarum non transferatur in usurarium, manet penes eum, qui illas solvit, ratione cujus eas tanquam rem suam recuperare potest non minus, quam si furto essent ablatæ.

Nec obest, quod Leges civiles aliter statuere videantur, quià non concernunt forum conscientiæ, & per jus Canonicum correctæ sunt.

Dico 2. Lucrum supra sortem acceptum animo usurario, id est, tanquam debitum vi mutui, datum tamen liberaliter à Mutuatario, restituendum est, saltem ratione conscientiæ erroneæ, quia supponitur à mutuatore acceptum tanquam ex justitiâ debitum,

bitum, adeòque absque titulo justo, quantùm est ex parte conscientiæ ipsius, undè quamdiu talis conscientia manet, non minùs obligatur ad restitutionem, quam detentor rei suæ, quam existimat alienam, quià aliàs paratus esset in animo rem injustè acquisitam retinêre.

Prætercà quià non acceptavit eo modo, quo alter dedit (gratuitò enim & tanquam non debitum donavit) acceptatio videtur nulla, & ità dominium lucri non transfertur.

Nec refert, quod fortè postea lucrum velut liberaliter datum acceptet usurarius: quià tunc voluntas Datoris, quâ liberaliter dare voluit, ne quidem moraliter existit, cum eam usque ad tempus futurum, de quo non cogitavit, non direxerit, sed tantùm pro præsenti præstiterit.

Dici tamen posset, quod lucrum generali intentione, id est, quomodocumque detur, acceptari soleat.

Dico 3. Si mutuatarius falsò existimet mutuatorem velle accipere lucrum vi mutui, & eo nomine solvat auctarium suprà sortem, mutuator non tenetur ad restitutionem; nisi ubi sciverit auctarium tali animo datum.

Prob. 1. *Pars*: quià mutuator est possessor bonæ fidei, cum prudenter credat auctarium liberaliter & ex gratitudine fuisse oblatum.

Prob. 2 *Pars*: quià tunc fit possessor malæ fidei, cum tunc sciat auctarium sibi datum esse non liberaliter, sed tanquam prætensum vi mutui, adeòque ex titulo non subsistente.

Dico 4. Qui mutuum dedit animo exigendi auctarium tanquam vi mutui debitum, si pœnitentiâ motus posteà nihil recipiat, nisi quod ex gratitudine, & spontè offertur, nullo restitutionis vinculo stringitur

Ratio plana est, quià nihil accepit illegitimè.

Dico 5. Non solus usurarius, qui usuras accepit, ad restitutionem obligatur, sed etiam ejus hæredes, cum repræsentent personam usurarii, & hæreditas cum omni obligatione reali ad ipsos devolvatur.

Imò omnis ille, apud quem res usurariè acceptа extat in specie, eam mutuatario reddere tenetur, perindè ac si furto esset ablata.

QUÆSTIO XI.

Nonnulla jam dictis affinia resolvuntur.

PEtes 1. *An Usurarius fiat Dominus usurarum?*

Resp. *negativè* cum D. *Thomâ* 2. 2. q. 78. art. 3. in Corp. Ratio est, quià usuræ non solvuntur mutuatori absolutè, & liberaliter, sed coactè, & velut res debita ratione mutui, qui titulus cum sit à parte rei nullus, dominium rei minimè transfertur.

Addendum tamen, quod quandoque transeant per accidens in dominium Usurarii, cum onere restituendi æquivalens mutuatario; ut V. G. si pecunia, vel triticum usurariè acceptum rebus Usurarii ità permisceatur, ut discerni nullo modo possit juxtà legem 46. *de solutionibus.*

Petes 2. *Utrum usurarius accipiat dominium fructuum, quos ex re usurariè acceptâ percepit?*

Resp. verbis D. *Thomæ*: *Res quædam sunt, quarum usus est ipsarum rerum consumptio, quæ non habent usum-fructum secundùm jura, & ideò si talia fuerint per usuram extorta, putà denarii, triticum, & vinum &c. non tenetur homo ad restituendum, nisi id, quod accepit: quià id quod de tali re est acquisitum, non est fructus hujusmodi rei, sed humanæ industriæ: nisi fortè per detentionem talis rei alter sit damnificatus,*

amit-

amittendo aliquid de bonis ſuis, tunc tenetur ad compenſationem nocumenti: quædam verò res ſunt, quarum uſus non eſt earum conſumptio, & talia habent uſumfructum ſicut domus, ager, &c. Et ideò ſi quis domum, vel agrum per uſuram extorſiſſet, non ſolùm tenetur reſtituere domum, vel agrum, ſed etiam fructus indè perceptos: quià fructus ſunt rerum, quarum alius eſt Dominus, & ideò ei debentur. ſuprà in Corp.

Petes 3. *An ſit licitum accipere mutuum ſub uſuris?*

Reſp. verbis D. *Thomæ* quæſtione citatâ art. 4. in Corp. *Dicendum eſt, quod nullo modo liceat inducere aliquem ad mutuandum ſub uſuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus eſt facere, & uſuras exercet, mutuum accipere ſub uſuris propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius: ſicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifeſtare bona quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc ut non occidatur.*

Ex quibus patet, non eſſe licitum inducere ad mutuandum ſub uſuris, quià induceremus ad peccatum, licitum tamen eſſe ex juſtâ causâ petere, & accipere mutuum ſub uſuris ab illo, qui paratus eſt, aut ſolet ſub uſuris mutuare: quià tunc utimur jure noſtro, ſolùmque intendimus noſtræ neceſſitati ſubveniri, & reſpectu peccati Mutuatoris habemus nos merè permiſſivè, ſicut nos habemus reſpectu peccati latronis, cui burſam tradimus ad evadendam mortem.

Porrò juſta, & urgens cauſa requiritur, quià aliàs cenſeremur interpretativè velle peccatum mutuatoris, eoquòd abſque neceſſitate, & causâ rationabili anſam præberemus uſuras exigendi, adeòque peccandi.

Petes 4. *An liceat deponere ſuas pecunias apud uſurarium?*

Reſp.

Resp. verbis D. *Thomæ*: *si quis committeret pecuniam suam Usurario non habenti aliàs, undè usuras exerceret, vel hac intentione committeret, ut indè copiosiùs per usuram lucraretur, daret materiam peccandi, undè & ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis usurario aliàs habenti, undè usuras exerceat, pecuniam suam committat, ut tutiùs servetur, non peccat, sed utitur homine peccatore ad bonum.* 2. 2. q. 78. art. 4. in responsione ad 3.

QUÆSTIO ULTIMA.

An Montes Pietatis, & Lombardi ab usuris sint immunes?

Nota 1. Quod *Mons pietatis* in genere sit notabilis pecuniarum cumulus, aut alterius rei mutuabilis, V. G. frumenti, collectus ad subveniendum necessitati indigentium mediante mutuo, & ad impediendum, ne usuris opprimantur.

Alius est *Mons* collectus ex puris Eleëmosynis, *alius* constans pecuniis ad censum levatis, alius mixtus.

Nota 2. Montes pietatis originem sumpsisse *in Italiâ Perusii* ab annis circiter ducentis, hoc modo. Quidam Concionatores hortati sunt fideles, & ipsos Magistratus ad subveniendum necessitatibus pauperum, subministrando pias Eleëmosynas, & legata, ex quibus conflaretur notabilis cumulus pecuniarum, quæ darentur mutuò sub certis legibus, quarum

Prima erat, ut mutuum daretur solis pauperibus, & quidem talis loci; undè excludebantur divites, & extranei. *Secunda*, ut in certâ quantitate V. G. non ultrà centum Florenos. *Tertia*, ut non nisi ad certum tempus, V. G. ad annum. *Quarta*, ut Mutuata-

tuatarii darent pignus, ne fortè cumulus pecuniarum defectu restitutionis sortis exhauriretur. *Quinta*, ut etiam solverent aliquid moderatum pro expensis Ministrorum, quibus cura esset Montes custodiendi, pignus recipiendi, & suo tempore restituendi, atque ex præfato cumulo, dum aliquis pauperum exigit, promptè mutuandi &c. *Sexta*, ut, si non restitueretur sors præfixo tempore, pignora venderentur, detractisque sorte, & stipendio Ministrorum, residuum pretii Mutuatariis redderetur.

Nota 3. Defectu tot Eleëmosynarum, erectos esse Montes hîc in Belgio alterius generis: scilicet ex indulto Principum, & Magistratuum levata est ingens summa pecuniarum ad censum annuum, ex quibus daretur mutuum cuivis indigenti, cum onere aliquid pendendi, tum pro solutione censuum, quibus Mons gravaretur, tum etiam pro expensis Ministrorum, erectione domûs, reparatione, &c. & hi Montes erecti sunt hîc in Belgio Anno 1619. sub ALBERTO AUSTRIACO, ET ISABELLA.

Ex quibus satis intelligitur, quid sint Montes mixti, scilicet qui partim ex ejusmodi pecuniâ ad censum levatâ, partim ex Eleëmosynis conflantur.

Nota 4. Inventam esse aliam methodum subveniendi pauperum indigentiæ per mensas Fœnebres mercatorum publicè mutuantium, quos *Lombardos* vocant, quià modus ille à *Lombardis* primò adinventus dicitur.

In eo autem consistit, quod mercatores quidam, habitâ facultate Principum, aperiant mensam publicam, & ex notabili summâ pecuniæ propriæ, aliàs applicandæ ad lucrum justum, ex censu, vel negotiatione comparandum, cuivis indigenti mutuum tribuant, sub eisdem ferè conditionibus, quæ servantur in Montibus pietatis secundi generis.

Hoc

Hoc tantùm discriminis intercedit, quod Lombardi insuper exigant aliquod auctarium pro Præfecto mensæ, cui ex æquo videtur aliquid pendi, cum in gratiam pauperum lucro justo careat. Hoc auctarium in Belgio olim erat semissis in hebdomadâ pro qualibet librâ Flandrica; nunc autem esse quadrantem cum medio, testatur *Bertrandus Loth.* His positis

Resp. & *Dico* 1. Montes pietatis primi generis per se liciti, & ab usurâ sunt immunes, tum quià eos approbavit *Leo* X. in Concilio Lateranensi, cujus Bulla refertur à *Joanne Wiggers* tractatu 5. cap. 7. dubio 2. numero 6., tum etiam quià hîc non exigitur aliquid ratione mutui, sed alio titulo justo.

Per accidens tamen in illis usura committi potest, si nempè non exigatur quid Modicum, ut *Leo* X. postulat, sed excessivum.

Dico 2. Montes secundi generis per se etiam ab usurâ liberi sunt.

Ratio est: quià quod exigitur suprà sortem, non petitur titulo mutui, sed pro indemnitate Montium, scilicet pro solutione censuum, quibus Montes gravantur ratione pecuniæ ad censum levatæ: item pro sustentatione, & labore ministrorum, &c.

Deinde hos etiam montes approbârunt 8. Episcopi pro hujus rei discussione *Mechliniæ* congregati anno 1617. & præcipui Theologi Belgii. Ex quibus

Collige, etiam per se ab usurâ immunes esse montes tertii generis.

Dico 3. Neque Lombardi usuræ, aut injustitiæ argui jure queunt.

Prob. quià solùm differunt à Montibus secundi generis in eo, quod præter onera ad conservationem Montium, & impensas Ministrorum necessaria, insuper

super exigant aliquod auctarium ratione lucri, quod cessat Præfecto Mensæ occasione mutui, ubi Montes secundi generis ejus loco exigunt idem ferè auctarium ratione censuum, quibus gravantur : atqui Montes secundi generis sunt liciti, & lucrum cessans est titulus æquè justus, ac onus censuum : ergo &c.

Prætereà *Bertrandus Loth* refert Bullam *Sixti* V. ad *Carolum Emmanuelem* Sabaudiæ Ducem, quâ mutuatoribus publicis permittit quotannis in ejus terris accipere octodecim in centum. Cæterùm peculiares ibidem circumstantias fuisse autumo, ratione quarum lucrum adeò excessivum justum reddi potuerit.

Dixi *per se*, quià si amplius exigant, quam tituli justi, quibus nituntur, permittunt, incurrunt usuram, quod an alicubi hodie fiat, ad quæstionem facti pertinet, prudentum judicio dirimendam.

Præsens materia latiùs deducta vidêri potest apud Authores.

CAPUT VI.

De Censibus, & Contractu Societatis.

QUÆSTIO I.

Quid Census, & quotuplex?

REsp. & *Dico* 1. Census, aliàs Reditus, accipitur tripliciter. Primò, *pro pensione annuâ*. Secundò *pro jure ad illam*. Tertiò *pro contractu censuali*.

Census in prima acceptione est pensio annua, V. G. centum Florenorum, ex persona, vel re alterius utili, ac frugiferâ, perceptibilis.

In

In ſecunda *eſt jus* percipiendi annuam penſionem ex re, vel perſonâ alterius utili, ac fructiferâ.

In tertia *eſt Contractus*, quo jus percipiendi annuam illam penſionem emitur, aut venditur. Unde Cenſus ut Contractus alius eſt Emptio, alius Venditio. Porrò hîc potiſſimum agi ſolet de cenſu quatenùs eſt jus percipiendi annuam penſionem. Qui gaudet illo jure dicitur *Cenſuiſta*, vel etiam *Cenſualiſta*; qui autem gravatur onere annuæ penſionis, dicitur Cenſuarius.

Dico 2. Cenſus alius eſt *reſervativus*, dum quis transfert rem ſuam in alterum quoad dominium directum, & utile, ſervato ſibi jure annuam penſionem ex illa percipiendi: alius *Conſignativus*, dum quis ſuper bonis ſuis, aut propriâ perſonâ conſignat alteri jus ad penſionem annuam, retento dominio directo, & utili.

Dico 3. Alius eſt etiam *realis*, qui ſuper re, alius *perſonalis*, qui ſuper perſonâ, alius *mixtus*, qui ſuper re & perſonâ alterius fundatur. Item alius *fructuarius*, quando penſio conſiſtit in fructibus, & alius *pecuniarius*, quando penſio in pecuniâ conſiſtit.

Eſt & alia diviſio in *perpetuum*, qui per ſe durat ſemper, & in *temporalem*, qui cum tempore exſpirat, ut eſt reditus vitalitius. Item in *redimibilem* qui vel ex toto, vel ex parte extingui poteſt per redditionem ſummæ capitalis, & in *irredimibilem*, qui ſic extingui nequit.

CAPUT VI.

QUÆSTIO II.

An emptio novi Censûs sit usuraria?

REsp. & *Dico*, emptio novi censûs tam pecuniarii, quam fructuarii est licita, & ab usura immunis.

Prob. 1. Quiâ antiqui Census fuerunt aliquando novi, qui tamen omnium confessione sunt liciti: porrò jam liciti, & ab usurâ immunes non essent, si ab initio usurarii fuissent.

Prob. 2. Possum alteri constituere per liberalem donationem jus percipiendi annuam pensionem ex meis bonis, ut fatentur omnes: ergo etiam per venditionem, cum illud jus non sit minùs pretio æstimabile, sive gratis constituatur, sive per venditionem.

Prætereà postquam jus illud gratis, & liberaliter transtulisti in *Joannem* V. G. hic potest illud vendere alicui tertio: ergo etiam ab initio potui ego illud vendere *Joanni*, vel cuivis alteri, cum ab initio æquè apud me sit æstimabile, ac posteà apud *Joannem*.

Obj. 1. Qui vendit novum censum, vendit jus, quod non extat.

Resp. retorquendo argumentum contrà census fructuarios, item contrà censûs pecuniarios antiquos spectando tempus, quo primum fuerunt creati.

Obj. 2. Emptio censûs est virtuale lucrum ex mutuo, quià do V. G. bis mille, ut recipiam annuè centum suprà summam capitalem.

Resp. 1. retorquendo argumentum contrà census antiquos.

Resp. 2. *negando assumptum*, ad probationem dico, me in emptione censûs non dare bis mille florenos,

renos, ut recipiam annuè centum præcisè ex mutuo, sed ut emam jus percipiendi fructum, seu utilitatem ex re, in quâ census fundatur, V. G. ex *agro*, *domo* &c. ex quo jure annua mihi pensio nascetur: ità emptor Vineæ non accipit fructus ejus immediatè ex pecuniâ, quam solvit, sed ex ipsâ Vineâ.

Instabis, usurarius poterit etiam dicere se mutuare bis mille florenos V. G. ut recipiat jus percipiendi annuè centum suprà sortem.

Resp. id fieri non posse absque usurâ, quià jus illud merè, & immediatè fundaretur in pecuniâ mutuatâ, quæ non est frugifera, & si esset frugifera, deberet potius fructum parere Mutuatario, cum ipse fiat Dominus illius per Mutuum. Aliud porrò est in emptione censûs, qui super domo, vel agro fundatur.

Instabis: dicet quoque usurarius se mutuare bis mille florenos eâ lege, ut obliges ei rem frugiferam, V. G. domum, ad hoc ut percipiat ex eâ annuè centum.

Resp. si usurarius hæreat in contractu mutui, & velit sibi obligatam domum alterius merè instar hypothecæ, seu Assecurationis auctarii, quod prætendit, manifestè committit usuram, quià exigit auctarium centum florenorum præcisè vi mutui, cum non habeat alium titulum.

Si autem seriò velit sibi obligatam domum alterius instar fundi frugiferi, cujus utilitatem emit, non committit usuram, sed init contractum censualem; quià emit jus ad utilitatem istius domûs, quam supponimus annuâ pensione centum florenorum posse æstimari.

Verùm in hac hypothesi amittit suum censum, & summam capitalem, si domus pereat, eoquòd pereunte re frugiferâ, nihil utilitatis ex ea prætendere possimus.

Insuper ordinariè saltem non potest gravare Dominum domûs onere redimendi censum infrà certum tempus, & restituendi summam capitalem, sed debet hoc ejus arbitrio relinquere.

Dixi *saltem ordinariè*, quià utrum Censuarius possit aliquando gravari onere redimendi censum, dicetur infrà.

Ex his patet differentia inter contractum censualem, & contractum mutui: siquidem in mutuo potest repeti sors infrà certum tempus, & pereunte sorte, ejusque hypothecâ, nihil juris amittit Mutuator ad sortem, eoquòd omnia pereant Mutuatario.

Obj. 3. Saltem committitur inæqualitas, adeòque læditur æquitas, in quantùm pensiones annuæ lapsu temporis excedunt summam capitalem.

Resp. idem locum habêre in censibus antiquis. Deindè hoc argumento probaretur, quod non possit emi res frugifera, V. G. vinea in perpetuum, cum lapsu temporis fructus excedant pretium, pro vineâ datum.

Quare, *nego assumptum*, quià emendo censum pecuniarium non emo pensiones, sed jus ad pensiones, quod jus solet minòris æstimari, quam ipsæ pensiones, si præsentes essent, quià multis periculis exponitur, & pretium censûs ab initio sine ullo periculo datum isti juri, variis discriminibus involuto, communi judicio æquivalêre censetur.

Collige 1. Censum necessariò debêre creari super re frugiferâ, & hac pereunte Censuarium ulteriùs cogi non posse ad solutionem.

Collige 2. Census non posse multiplicari sine fine super eâdem re, sed oportere attendere mensuram fructuum, quos res proferre potest, quià aliàs emeretur jus ad utilitatem fictam.

QUÆSTIO III.

An, & quomodo Census personales sint liciti?

REsp. & *Dico* 1. Census personales non sunt liciti ex parte venditoris, nisi persona, super qua census constituitur, sit utilis, & frugifera; itaut suo labore, aut industriâ aliquid utilitatis suprà victum sibi necessarium proferre queat, quià aliàs emeretur jus ad utilitatem fictam.

Dico 2. Census personales spectando jus naturæ omninò liciti sunt, si persona, super qua census fundantur, sit frugifera.

Prob. quià sicuti potest vendi jus ad utilitatem agri, vel domûs, ità nîl vetat vendere jus ad utilitatem personæ, quæ reverà utilis est, ita ut persona sit instar fundi frugiferi, super quo census constituitur, & ex quo pensio annua percipi debeat.

Deinde operas meas licitè eloco: ergo similiter jus ad utilitatem inde speratam licitè vendo.

Obj. 1. *Pius* V. in Constitutione *Cum onus.* inter varias conditiones censuum consignativorum requirit, ut census constituatur super re immobili, vel quasi immobili, qualis non est persona mortalis: & contractus censuales aliter initos decernit habendos esse pro usurariis.

Resp. nos hîc solùm attendere jus naturæ, de quo non agit *Pius* V. partim, quià requirit conditiones alias, quas jure naturæ non exigi, certum est; ut V. G. quod pretium censûs debeat tempore contractûs numerari coram Notario, & testibus, item quod Censuarius, si velit rem censui substratam aliquando vendere, teneatur præferre censuistam, & eum prænonêre, & ad mensem expectare, priusquam alteri vendat: partim etiam quià in dictâ Constitutione ex-

prefsè dicitur, quod illæ conditiones non extendantur ad contractus celebratos, sed celebrandos. Quare contractus aliter initi ex vi ejusdem constitutionis ad summum habendi sunt usurarii in judicio, & præsumptione fori externi.

Obj. 2. Ergo personiæ, super quibus census fundantur, sunt quasi mancipia, & constringuntur ad operas.

Resp. *negando sequelam*, quià per censum personalem non emitur jus ad operas, quasi-verò Censuarius obliget se ad operandum, sed emitur jus ad lucrum, & utilitatem, quæ ex operâ, & industria personæ provenit, aut provenire potest.

Obj. 3. Sequitur, quod in posterum non inveniantur usurarii nisi ex stupiditate, quià poterit quisque dare mutuò, & exigere auctarium suprà sortem titulo reditûs personalis, quem constituet super personam Mutuatarii.

Resp. 1. Retorquendo argumentum contrà census reales, quià poterit etiam usurarius exigere auctarium titulo reditûs realis, quem constituet super bonis Mutuatarii.

Resp. 2. *Negando sequelam*, quià non omnes usurarii sunt parati se exponere periculo amittendi sortem, & pensiones annuas per mortem personæ petentis mutuum, nec volunt carêre sorte, quamdiu Mutuatario placet eam retinêre, quod ad emptionem censûs ordinariè requiritur.

Obj. 4. Saltem census fundari non potest super personâ senè, aut fœminei sexûs, quià tales plerumque non sunt frugiferæ.

Resp. ejusmodi personas non rarò esse frugiferas ratione bonorum, quæ possident, aut sperant, quod sufficit.

Dico 3: Census personales jure positivo vetiti sunt, ubi viget constitutio *Pii* V. de quâ in objectione

primâ

primâ memini. Sed hanc in Belgio vim non habere liquet ex praxi contrariâ ibidem creandi census personales. Idem de Galliâ, Germaniâ, Siciliâ, & Hispaniis testatur Letius: & Castropalao refert disp. 6. parte 15. numero 2. *Philippum* II. supplicasse Pontifici, ne præfata Constitutio in Hispaniis obligaret.

QUÆSTIO IV.

An Census perpetui sint liciti?

REsp. & *Dico*, Census perpetui, & irredimibiles sunt liciti, si spectetur jus naturæ.

Prob. quià emptio fundi frugiferi in perpetuum est licita: ergo etiam census realis: siquidem jus ad percipiendam utilitatem fundi frugiferi non minùs potest vendi in perpetuum, quam ipse fundus.

Deindè census reservativus in perpetuum omninò licitus est, ergo etiam consignativus, de quo hîc est quæstio.

Obj. Censuarius magis gravatur per censum perpetuum, quam Mutuatarius per usuras, quià hic potest se liberare ab usuris refundendo sortem, ille verò cogitur in perpetuum sustinêre onus solvendi annuam pensionem.

Resp. *negando assumptum*, & dico, argumentum æquè militare contrà omnem venditionem rei frugiferæ, quià venditor cogitur carêre utilitate rei in perpetuum.

Itàque Censuarius non gravatur injustè, cum accipiat pretium justum istius reditûs. Deindè Censuista vicissim cogitur carêre summâ capitali in perpetuum etiamsi redigeretur ad extremam inopiam; vel lucrum ei cessaret, aut damnum ingens emergeret. Quin etiam subit periculum amittendi summam ca-

pitalem cum ſuo reditu, ſi fundus, ſuper quo reditus conſtitutus eſt, fortè pereat, aut inutilis fiat.

Inſtabis, non poteſt dari juſtum pretium censûs perpetui niſi penè infinitum, quià Cenſuarius gravatur onere ſolvendi infinitas propè penſiones, ſicet uſque ad finem mundi.

Reſp. *negando aſſumptum*, quià attentis omnibus incommodis, quæ diximus incurri debêre à Cenſuiſtâ, item quod penſiones nequeant percipi niſi de anno in annum, & multis exponantur periculis, pretium reditûs perpetui meritò cenſetur juſtum, quamquam non ſit æquale toti collectioni omnium penſionum: hoc autem declarari poteſt per ſimile in emptione Agri, cujus pretium habetur juſtum, quamvis non ſit æquale, & proportionatum omnibus fructibus ex agro uſque ad finem mundi percipiendis.

Collige 1. Cenſum temporalem ad certum tempus emi poſſe pretio minori, quam ſint omnes penſiones ſimul; ut ſi V. G. emam centum aureis reditum ad annos duodecim eâ lege, ut annuè percipiam decem, & poſt duodecim annos nihil prætendere valeam, ne quidem ſummam capitalem: quamvis enim tota collectio penſionum ſuperet ſummam capitalem, jus tamen ad illas non pluris æſtimatur, quam ſumma ab initio data propter rationes jam aſſignatas, quæ hîc cum proportione locum obtinent.

Collige 2. Multò magis jure naturæ licitum eſſe reditum conditionatè irredimibilem. V. G. qui abſolutè fiat irredimibilis, ſi infrà decem annos non redimatur.

Collige 3. Jure naturæ etiam licitum eſſe reditum cum pacto, ut non poſſit redimi ante certum tempus, V. G. ante viginti annos.

Petes 1. *An cenſus abſolutè irredimibiles jure poſitivo prohibeantur?*

Reſp. 1. Cenſum reſervativum irredimibilem nullo

lo jure vetari: sicut enim gratis possum V. G. donare meum agrum, ita & retento jure perpetuo ad partem utilitatis donare valeo.

Resp 2. Ejusmodi censum consignativum prohibêri per constitutionem *Pii* V. quæ incipit *Cum onus*: in illâ enim inter conditiones contractûs censualis recenset hanc: *volumus census omnes posse pro eodem pretio extingui, non obstantibus aliquibus pactis directè, vel indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis, aut clausulis concepta sint.*

Observandum, quod in Belgio census irredimibiles etiam per legem *Caroli* V. anno 1528. Bruxellis editam prohibiti sint.

Dices: non est ratio, cur Pontifex generatim omnes census irredimibiles vetet.

Resp. *negando assumptum*, quamvis enim absque injustitiâ creari possint, sæpe tamen subest periculum, ne injustè constituantur, dum nempe censuarius necessitate pressus cogitur vendere censum, & admittere pactum de irredimibilitate, aliàs non accepturus pecuniam, quâ indiget, nec tamen ei satis compensatur grande illud onus, quod suscipit præ aliis, qui solùm vendunt censum redimibilem. Ad hoc incommodum evitandum Pontifex universim census omnes irredimibiles prohibêre jure potuit.

Petes 2. *An census consignativi irredimibiles jure positivo etiam sint irriti?*

Resp. *affirmativè*, saltem in foro externo. Ratio est, quiâ in jam citata *Pii* V. constitutione recensitis conditionibus à Pontifice requisitis, adjicitur hæc clausula: *Contractus sub aliâ formâ post-hac celebrandos fœneraticios judicamus.*

Petes 3. *An census vitalitii sint liciti?*

Resp. *affirmativè*, quià potest vendi usus-fructus alicujus fundi frugiferi ad vitam usu-fructuarii, ut

habetur

habetur Leg. *neceſſariò*. ff. de periculo, & commodo rei venditæ §. *cum uſum-fructum*. Ergo etiam poteſt vendi cenſus, ſive jus ad penſionem ex re frugiferâ percipiendam ad vitam Cenſuiſtæ.

Deindè utrimque incurritur periculum damni ſub ſpe lucri, quod indubiè licet.

QUÆSTIO V.

An liceat Cenſus emere pretio minori, & vendere majori?

REſp. & *Dico*, ſpectando jus naturæ aliquando licet cenſum emere pretio minori, & vendere majori, quam ab initio fuit conſtitutus.

Prob. quià fieri poteſt, ut valor cenſûs decreverit, quià res ſubjecta cenſui multis exponitur periculis, vel ex parte inutilis reddita eſt: ergo tunc pretio minori emi poteſt, æquè ac aliæ res, quarum valor imminutus eſt.

Fieri etiam poteſt, ut valor ejus creſcat, quo caſu pluris vendi citrà injuſtitiam poteſt.

Dico 2. Etiam jure poſitivo id licitùm videtur, quià lex poſitiva, quæ hoc prohibeat, adferri nequit.

Obj. 1. *Pius* V. in conſtitutione *Cum onus*. decernit, ut pretium cenſûs ſemel conſtitutum numquam ob temporum, vel contrahentium qualitatem, ſeu aliud accidens minui poſſit, vel augêri.

Reſp. conſtitutionem illam intelligendam eſſe de diminutione, vel auctione, quæ fieret cum gravamine cenſuiſtæ, vel cenſuarii reſpectivè, ut ſi cenſuarius vellet cogere cenſuiſtam ad acceptandam redemptionem cenſûs pretio minori, quam ſit ſumma capitalis data, aut ſi cenſuiſta nollet acceptare redemptionem à cenſuario, niſi pretio majori: ſicut enim cen-

censuista non tenetur acceptare redemptionem infrà summam capitalem, ita debet eam admittere, quando tota offertur.

Cæterùm cum eo consistit, quod censuista possit jus suum pretio majori alicui tertio vendere absque gravamine censuarii. Item quod censuarius possit illud redimere pretio minori, si censuista sponte consentiat; ut V. G. si hic incitet censuarium ad redemptionem, quià pecuniis indiget, & censuarius non velit redimere nisi pretio minori.

Hîc tamen supponendum est, quod valor censûs non decreverit ob culpam censuarii, sed fortuitò.

Obj. 2. Si censuarius velit censum redimere, tenetur ad totam summam capitalem.

Resp. *distinguendo assumptum*, si velit redimere, & simul cogere censuistam ad acceptandam redemptionem, *concedo*: si sermo sit de redemptione sponte oblatâ, & acceptatâ à Censuista, *nego assumptum.*

QUÆSTIO VI.

An licitus esse possit census redimibilis ex parte utriusque?

Dico 1. Quin census redimibilis ex parte Venditoris, sive Censuarii licitus sit, dubitari non potest, cum *Pius* V. in bullâ sæpè citatâ velit omnes sic esse redimibiles. Quare quæstio hic intelligitur, an possit esse redimibilis etiam ex parte Emptoris, sive Censuistæ, id est, an possit creari cum pacto, ut Censuarius teneatur eum redimere pro arbitrio Censuistæ, vel infrà certum tempus.

At notandum, quod de solo jure naturæ disquisitio fiat, quià tales census per constitutionem *Pii* V. prohibêri liquet.

Dico

Dico 2 Probabilius apparet, quod jus naturæ permittat censum ex parte emptoris redimibilem.

Prob. quià possum emere fundum frugiferum, & obligare venditorem ad reëmendum : ergo similiter.

Deinde si injustitia quædam in isto censu inveniretur, vel esset propter redimibilitatem secundùm se spectatam, vel propter onus, quod imponitur Venditori, quatenùs tenetur censum redimere pro arbitrio emptoris. Primum dici nequit, quià aliàs census redimibilis pro arbitrio venditoris esset injustus: nec etiam secundum, quià onus illud posset pecuniâ compensari, dando venditori plus, quam daretur, si hoc onus non susciperet.

Etiam ex parte Ementis onus suscipitur, quando census est redimibilis ad arbitrium venditoris, quià quotiescumque reddetur summa capitalis, jus ad annuam pensionem amittere, & redemptionem censûs acceptare tenetur.

Hoc autem onus compensatur per hoc, quod jus ad annuam pensionem vendatur pretio minori, quam venderetur, si census foret irredimibilis.

Insuper dum emo censum, possum datâ pecuniâ uni tertio injicere obligationem, ut censum istum à me emat, dum voluero. Ergo etiam censuarium isto modo licitè obligo.

Obj 1. Qui sic emit reditum, virtualiter accipit lucrum ex mutuo: ergo &c.

Prob. antecedens, quià dat V. G. mille eâ lege, ut similem summam recipiat dum voluerit, & insuper exigit pensionem annuam, quamdiu sors non restituitur.

Resp. *negando assumptum* ad probationem dico, talem non recipere summam capitalem præcisè, & immediatè pro pecuniâ, quam dedit, quod requiritur ad mutuum, sed pro censu, quem revendit.

Simili-

Similiter exponit se periculo amittendi censum, & totam sortem, si res subjecta censui pereat, quod non fit in mutuo.

Denique non accepit annuam pensionem immediatè ex pecuniâ datâ, sed ex re frugiferâ, seu ex jure, quod emit.

Simile est, quando emo agrum cum pacto, ut venditor teneatur retroëmere intrà decem annos: neque enim fructus agri immediatè ex meâ pecuniâ percipio, sed ex ipso agro à me empto: nec in revenditione accipio totam sortem pro pecuniâ à me antè datâ, sed pro agro, quem revendo.

Obj. 2. Sic omnes usuræ poterunt palliari, quià usurarii dicent, se dare summam capitalem pro censu intrà certum tempus, vel pro suo libitu redimendo, atque ità idem lucrum reportabunt citrà injustitiam, quod usurariè acquirere solent.

Resp. *negando assumptum*, quià usurarii nolunt subire periculum amittendi sortem pariter, & pensiones, si res subjecta censui pereat, aut inutilis reddatur, quod ad contractum verè censualem requiritur.

Deindè non omnes usurarii volunt minus exigere ad compensandum onus, quod Mutuatario injicitur, scilicet refundendi summam capitalem infrà certum tempus, vel pro libitu Censuistæ

Advertendum tamen, quod, quamvis ejusmodi census ab Ecclesiâ non prohiberentur, in praxi tamen meritò dissuadêri deberent, eoquòd natum sit evenire, ut sub pallio contractûs censualis usuraria mutuatio occultetur.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An liceat paciſci de cenſu ſolvendo, quamvis res ei ſubjecta pereat?

Dico 1. *Pii* V. Ejuſmodi pactum per Conſtitutionem anteà ſæpius citatam, vetitum eſt.

Dico 2. Etiam jure naturæ id prohibetur hoc ſenſu, quod non liceat paciſci de reditu tunc ſolvendo per modum reditûs.

Prob. quià cum reditus ſit jus ad percipiendam penſionem ex re frugiferâ, penſio tunc exigeretur à Cenſuario titulo fictо.

Obj. 1. Onus illud compenſari poteſt per aliquam pecuniæ ſummam, in iſtum finem cenſuario dandam.

Reſp. quod per hoc non ponatur titulus, qui hîc neceſſariò requiritur, id eſt, exiſtentia rei frugiferæ: undè penſio annua tunc exigeretur vi mutui, & propter pecuniam datam potiùs, quam ex re frugifera, quod eſt uſurarium.

Obj. 2. Poſſum fundare cenſum ſuprà Domum, & reliqua bona Cenſuarii.

Reſp. quod in illo caſu, pereunte ſola domo, non pereat tota res ſubjecta cenſui, quod in quæſtione ſupponitur.

Inſtabis, quid ſi reliqua bona cenſuarii obligentur ſolùm inſtar hypothecæ, ratione cujus aſſecuretur ſolutio reditûs, etiamſi domus pereat?

Reſp. Penſionem tunc exigi non poſſe, quià talis hypotheca non efficit, ut à parte rei exiſtat titulus ad exigendam penſionem annuam neceſſarius: titulus enim ejuſmodi eſt hæc res frugifera in particulari, V. G. domus; & illa ſupponitur interiiſſe.

Obj. 3. Poſſum creare reditum mixtum, eumque con-

constituere partim suprà domum V. G. partim suprà personam censuarii; quo casu pereunte domo, obligatur censuarius ratione suæ personæ.

Resp. Quod tunc non peribit tota res subjecta censui, quià adhuc manebit persona censuarii, ut supponitur: undè mirum non est, quod in ista hypothesi reditus non omninò sit interiturus.

Dico 3. Tale pactum non videtur jure naturæ illicitum, si pereunte re censui subjectâ, exigam annuam pensionem non ut pensionem, seu reditum, sed alio titulo, V. G. ex Contractu assecurationis, quo censuarius mihi assecuravit pensiones omnes, & se obligavit ad aliquid illis æquivalens annuè mihi dandum, si res censui subjecta fortè periret.

Prob. Quià titulus ille omninò apparet justus: si enim possim curare assecurari pensiones omnes per tertium, à quo totum periculum suscipiatur, dato justo pretio, & tunc pereunte re censui subjectâ, teneatur ille mihi solvere pensiones, perinde acsi res non periisset, ut omnes fatentur; cur id ipsum cum censuario fieri nequeat?

Obj. tunc non obligo censuarium ad solvendas pensiones post interitum rei nisi titulo virtualis mutui.

Resp. *negando assumptum*: & retorquendo argumentum contrà pactum, quod initur cum tertio. Quare, dico pensiones exigi ratione Contractûs assecurationis, vi cujus censuarius suscepit periculum solvendi pensiones, casu quo res interiret: sic quando mitto in Indias navim mercibus onustam, & dato justo pretio eam curo assecurari, ubi navi pereunte exigo pretium æquivalens mercibus ab Assecuratore, nihil peto vi alicujus mutui, sed ratione Contractûs, quo alter suscepit periculum compensandi jacturam mercium, si navis periret.

Cæterùm, quià timendum est, ne censuistæ onus

illud

illud censuariis passim imponerent absque justâ compensatione, meritò *Pius* V. ejusmodi pacta vetuit.

QUÆSTIO VIII.

Cætera ad Contractum censualem pertinentia discutiuntur.

PEtes 1. *An in emptione censûs possit apponi pœna commissi moroso debitori?*

Quæstio est, an liceat emere censum cum pacto, ut si censuarius sit in morâ solvendi pensiones certo tempore, V. G. tribus annis consequenter, res censui subjecta in pœnam moræ transeat in Dominium emptoris, sive censuistæ?

Resp. 1. non est dubium, quin pœna commissi licitè apponatur censui reservativo; quià possum rem meam alteri dare quasi conditionatè, & eâ lege, ut ad me redeat, si censuarius negligat solvere pensiones.

Resp. 2. talis pœna plerumque apponitur illicitè censui consignativo, quam, utpote juri naturæ contrariam, *Pius* V. meritò prohibuit in Constitutione sæpius citatâ.

Ratio evidens est, quià talis pœna exigi non potest præcisè ratione moræ, secluſis extrinsecis, ut patet ex illis, quæ de pœnâ conventionali antè dicta sunt. Nec etiam potest exigi ratione extrinsecorum V. G. damni emergentis, aut lucri cessantis; quià præterquam quod illa extrinseca sæpè non adsint, res subjecta censui solet esse inproportionata quoad valorem, itaut æstimabilitatem extrinsecorum longè superet: vix enim sieri potest, ut censuista ex defectu triennalis solutionis V. G. damnum adeò ingens patiatur, quod cum valore agri,

vel

vel domûs, aut alterius rei, quæ censui subjicitur, comparari possit.

Obj. Pœna commissi licitè apponitur in censu reservativo, & in emphiteusi: ergo &c.

Resp. *negando consequentiam* quià in utraque justus subest titulus, qui in censu consignativo deest. In censu enim reservativo tradimus alteri dominium directum, & utile rei nostræ, reservato jure ad partem utilitatis, & in emphiteusi damus dominium utile, retento directo & jure ad partem utilitatis: porrò ratio, & æquitas apertè dictant, quod in ejusmodi Donationibus conditio apponi queat, ut res cum suâ utilitate ad priorem Dominum revertatur, si Donatarius obligationi suæ satisfacere, & pensiones solvere negligat, quià nemo est in isto casu, qui de gravamine conqueri jure possit.

Petes 2. *An possit creari census ex debitis præcedentibus?*

Resp. jure naturæ id fieri posse, quià remittere debitum pecuniarium pro censu, est virtualiter pretium ejus solvere.

Deindè per ejusmodi debitum emere possum à debitore rem alterius generis, V. G. pannum: ergo etiam censum.

Nec obstat quod Contractus censualis ordinetur ad subveniendum necessitati censuarii: quià etiam hoc modo ipsi subvenitur, eoquòd aliàs teneretur magno suo in commodo conquirere pecunias ad satisfaciendum suo debito.

Cæterùm ex Constitutione *Pii* V. id vetitum est, ubi nempe dicta Constitutio viget.

Petes 3. *An census possit redimi per partes?*

Resp. ex naturâ rei id licere. Imò pactum apponi potest, ut per partes redimi queat. Si tamen redimeretur per quascumque partes, etiam minutissimas,

simas, itaut talis redemptio foret incommoda censuistæ, hic non teneretur eam acceptare sine compensatione incommodi.

Petes 4. *An census possit constitui ex mercibus?*

Resp ex naturá rei posse, quià merces æquivalent pecuniæ.

Petes 5. *An Censuarius possit obligari ad redimendum censum eâdem pecuniâ in specie?*

Resp. *affirmativè* quando utrimque est æquale dubium, an illa monetæ species augenda sit, vel minuenda. Item quando certum est mutationem nullam obventuram.

Petes 6. *Ad census emi debeat pecuniâ numeratâ?*

Resp. Constitutionem *Pii* V. id exigere, quamvis insistendo juri naturæ, etiam pecuniâ creditâ, quemadmodum omnes aliæ res, emi possit.

Petes 7. *Undè pretium justum censuum, seu redituum sit petendum?*

Resp. regulam hujus pretii petendam esse à Lege, vel hac deficiente, à consuetudine populi, quæ pretium rerum statuere solet, quæ tamen consuetudo rationi, & regulis justitiæ conformis esse debet. Porrò in taxatione istius pretii debet attendi quantitas, & duratio pensionum, item certitudo, vel incertitudo solutionis.

QUÆSTIO IX.

Quid Contractus Societatis? & quæ conditiones ad ejus justitiam requirantur?

Dico 1. Contractus Societatis est conventio plurium ad negotiationem, quæstumque communem, aliquid pretio æstimabile V. G. pecuniam, laborem, industriam, merees, navim, aut alia negotiationis instrumenta conferentium.

Dici-

Dicitur *ad quæstum communem*, quia si lucrum esset unius, & alteris tantùm assignaretur stipendium laboris, ac industriæ, esset Contractus locationis, & conductionis operarum.

Dico 2. Ut Contractus Societatis sit undequaque justus, requiritur *Primò*, ut singuli aliquid verè conferant in commune, & quod collatum fuerit, statim fiat commune, id est, cedat in dominium singulorum. *Secundò*, ut lucrum, & damnum fiant Communia. *Tertiò*, ut lucrum dividatur secundùm proportionem ejus, quod quisque contulit. *Quartò*, ut Societas ineatur ad reportandum lucrum ex negotiatione licitâ.

Petes: *Quomodò facienda sit divisio lucri, & summæ capitalis, quæ, Societate finitâ, supereſt, quando unus V. G. contulit operam, & industriam, alter verò pecuniam?*

Resp. si opera, & industria ejusdem supponatur valoris cum pecuniâ, prorsùs æqualiter omnia dividenda sunt, quandoquidem moraliter loquendo æquè multum in Societatem contulerint. Si verò valor industriæ V. G. tantùm medietati pecuniæ in Societatem collatæ æquiponderet, primò qui pecunias dedit, summam datam, & alter pretium suæ industriæ accipiat, tum lucrum ità dividatur, ut collator pecuniarum, conformiter ad excessum pecuniæ collatæ, plus de illo participet. Cætera ad hanc regulam haud difficulter dissolvi possunt.

Petes: *Quid sit Societas Leonina?*

Resp. quod sit Societas iniqua, & injusta, utpotè in quâ non servatur æqualitas, sed unus ferè totum lucrum accipit sine damno, & alter totum damnum sentit, nullum, vel perexiguum reportans lucrum.

Vocatur autem leonina à facto Leonis, qui apud Æsopum fingitur Societatem iniviſſe cum vulpe, & communem ex venatione prædam sic diviſiſſe,

ut sibi maximam, vulpi autem perexiguam partem attribueret.

QUÆSTIO ULTIMA.

An liceat Contractus triplex cum eadem persona, Societatis, Assecurationis sortis, & Assecutionis lucri?

STatus *quæstionis est hic. Petrus*, & *Andreas* certam pecuniæ quantitatem in Societatem conferunt. Sed quià summa capitalis exponitur quibusdam periculis, *Petrus* curat eam assecurari ab *Andreâ*. Insuper quià spes reportandi lucrum incerta est, *Petrus* lucrum quoque sibi assecurari curat per *Andream*, dato illi pretio justo in compensationem periculi, quod suscipit. Quæritur, an *Petrus* incurrat notam usuræ?

Resp. & *Dico* 1. Certum est triplicem illum Contractum esse periculosum. Quià potest facilè contingere, ut hoc modo pallietur usura, & non habeatur seria intentio quærendi lucrum per communem negotiationem, sed potiùs quæstum faciendi ex mutuo, si non expressè, saltem virtualiter.

Dico 2. Absolutè loquendo triplex ille Contractus, sive ineatur simul eodem tempore, sive successivè, videtur jure naturæ licitus, quià non potest ostendi, quod aliquid injustitiæ involvat, ut patebit ex solutione argumentorum.

Deindè triplex ille Contractus licitus est cum diversis, id est, initâ Societate cum uno, possum curare assecurari sortem ab aliquo tertio, qui non est pars Societatis, ut omnes fatentur: ergo etiam licitus est cum eodem. Dum enim servatur æqualitas rei ad rem nihil interest quocum contraham; neque ju-

stitia

stitia commutativa respicit personas, sed æqualitatem inter rem, & rem.

Obj. 1. Talis Societas non est vera Societas, sed virtuale mutuum: ergo &c.

Prob. Antecedens: quià totum Dominium sortis in Societatem collatæ, moraliter loquendo, est penes solum socium Assecuratorem: partim quià potest de illâ disponere pro suo libitu, partim etiam, quià si pereat sors, perit illi soli.

Resp. *negando antecedens*, & retorquendo argumentum contrà eundem Contractum, quando assecuratio fit ab uno tertio, qui non est pars Societatis.

Ad probationem *nego assumptum:* & dico, socium Assecuratorem tenêri applicare sortem negotiationi ad commune lucrum. Item sortem illi quidem perire, non tamen ratione dominii, quasi ipse solus esset Dominus, sed ratione periculi, quod per Contractum assecurationis suscepit.

Si quis instet, dicatque rem quamlibet perire suo Domino, respondetur id generaliter acceptum non subsistere: vel adhibêri potest hæc distinctio: res perit suo Domino, secluso quovis Contractu, *concedo:* si alter periculum rei per Contractum aliquem susceperit, *nego assumptum*

Instabis 1. Assecuratarius parùm solicitus est, an Assecurator applicet sortem negotiationi, nec ne, cum sit equidem de suo lucro securus.

Resp. *negando assumptum*, Assecuratarius enim negotiationem seriò intendere debet, undè si sciret sortem non esse applicandam negotiationi, non posset curare assecurari lucrum, & ex mutuo potiùs, quam ex negotiatione illud expectaret.

Deindè retorquetur argumentum contrà Societatem, cui conjungitur Contractus assecurationis cum tertio: tunc enim Assecuratarius etiam secu-

rus est de percipiendo lucro, quamvis non fiat negotiatio.

Instabis 2. Assecuratarius non patietur damnum, quamvis non fiat negotiatio, ergo non fiet illi injuria, si sors aliter applicetur.

Prob. Antecedens, quià idem lucrum equidem percipiet.

Resp. *negando antecedens*, quià Assecuratarius per hoc impeditur à consecutione justi lucri ex negotiatione, ad quod jus habet.

Ad probationem dico, Assecuratarium tali casu accepturum quidem lucrum, sed non per modum lucri ex negotiatione, ad quod tamen jus habebat, verùm per modum compensationis injuriæ illatæ, in quantùm fuit impeditus à consecutione lucri, aliàs ex negotiatione percipiendi.

Instabis 3. Societas postulat, ut pericula sint communia, sicut & lucrum: ergo tunc non habetur vera Societas.

Resp. *distinguendo antecedens*: quando Societas est pura, & ab omni alio Contractu separata, *concedo*: quando miscetur alteri Contractui, V. G. pacto Assecurationis, *nego antecedens*.

Obj. 2. Si triplex ille Contractus sit licitus, frustrà erit lex prohibens usuram, quià quilibet Usurarius poterit eundem effectum ex illo Contractu obtinêre, quem haberet ex usuris.

Resp. *negando assumptum*, & ejus probationem, quià non omnes Usurarii sunt contenti modico lucro, quod, detractâ mercede Assecuratori debitâ, hîc reportatur.

Deindè Usurarii plerumque veram Societatem intendere, & Contractum assecurationis seriò inire nequeunt, quià sæpius sciunt Mutuatarium pecunias negotiationi non applicaturum.

Denique argumentum retorquêri potest contrà Societatem,

cietatem, cui adjungitur Contractus Assecurationis cum tertio.

Obj. 3. *Sixtus* V. in Bullâ *Detestabilis Avaritiæ.* edita 1586. damnavit, & illicitos declaravit Contractus omnes, quibus cavebitur personis pecunias, aut animalia, aut quaslibet res Societatis nomine tradentibus, ut etsi fortuitò casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem fieri contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum à socio suscipiente restituatur, sive ut de certâ quantitate, vel summâ in singulos annos, aut menses, durante Societate, respondeatur.

Resp. in Bullâ citatâ, quæ in Belgio publicata non est, expressè habêri, *Contractus post-hac ineundos*, item *Usurarios*, & *illicitos post-hac censéri debêre.* Ex quibus patet, Pontificem noluisse declarare, quod triplex ille Contractus sit per se, & jure naturæ usurarius, quià aliàs reprobare debuisset ejusmodi Contractus, etiam anteà initos.

Non desunt, qui putant Pontificem tantùm damnare Societatem, in quâ periculum summæ capitalis, & lucri in alium socium rejicitur ex vi solius Contractûs Societatis propter inæqualitatem, quæ tunc intervenit, non verò illam, in quâ rejicitur periculum ejusmodi in alium socium ex vi alterius Contractûs, scilicet Assecurationis, quo onus istud compensetur.

Hæc interpretatio innititur testimonio Cardinalis *Toleti*, & Cardinalis *Sanctæ Severinæ*, qui mandato *Sixti* V. Bullam composuerunt, & affirmarunt patri *Stephano Tuccio Theologo Societatis Jesu*, *Sixtum* V. suâ lege noluisse prohibêre nisi injustos Societatis Contractus: quarè, qui ante legem latam justi erant, post latam quoque licere. Sic testatur *Paulus Comitolus* libro 3. responsionum moralium, quæst. 12 numero 3.

CAPUT VII.

De Cambio.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit cambium?

REsp. & *Dico* 1. Cambium generaliter *est commutatio unius rei cum alia cum lucro Campsoris:* strictè dictum, & prout hîc sumitur, *est mutatio pecuniæ pro pecuniâ secundùm quantitatem, vel speciem, vel locum diversâ, cum lucro Campsoris*, qui aliter vocatur *Nummularius, & Colibista.*

Differt à Mutuo generatim accepto, quod in Mutuo possit reddi res numero eadem, & in cambio debeat esse aliquo modo diversa, ad minimùm quoad locum.

Item quod Cambium circà pecuniam tantùm, mutuum verò etiam circà alia versetur. Denique quod in Mutuo necessariò restituatur sors diverso tempore, & in Cambio detur plerumque res pro re eodem tempore.

Dico 2. Cambium aliud est *reale*, seu *verum*, in quo justè lucrum reportatur; aliud *siccum*, seu *fictum*, quod fit cum lucro injusto.

Dicitur *siccum*, quià sicut terra sine humore fructum non parturit, ità illud titulo justo, ad producendum lucrum requisito, caret.

Dico 3. Cambium etiam dividitur in *Minutum*, seu *manuale*, & in *Locale*, quod alio nomine dicitur *Cambium per litteras.*

Minutum est *commutatio pecuniæ pro alia diversâ*

in eodem loco, & quasi manu in manum; ut si permutes nummum aureum cum argenteis.

Locale est permutatio pecuniæ præsentis cum distante, seu in alio loco existente; ut si Campsor accipiat hîc pecunias, ut similem summam Bruxellis numerari curet.

Campsor ille dicitur, à quo petitur commutatio pecuniæ: qui autem illam petit, dicitur *Campsarius*.

QUÆSTIO II.

An in Cambio minuto possit aliquid accipi suprà valorem nummi legalem?

PRænotandum, quod duplex sit valor pecuniæ. Unus *legalis*, qui lege Principis imponitur. Alius *naturalis*, qui ex bonitate naturæ, ex antiquitate, ex majori ad commercia utilitate, ex faciliori usu, & faciliori apud exteras nationes acceptatione desumitur, &c. *His prænotatis.*

Resp. *affirmativè*, quià possunt subesse tituli justi V. G. *lucrum cessans*, aut *damnum emergens*; ut si intendebas nummos tuos aliò, ubi pluris valent, deferre, aut negotiationi cum spe lucri applicare: item si ratione officii cambiendi à Principe impositi, tenearis paratus esse ad cambiendum, pecunias variæ speciei conquirere, pericula, & expensas, etiam ratione sustentationis famulorum, subire, &c.

His accedit valor intrinsecus monetæ minutioris, & naturalis commoditas eam numerandi transferendi, conservandi. Insuper major expendibilitas in uno loco. Hæc enim omnia simul sumpta æstimari queunt.

Obj. 1. Quando Princeps taxat valorem pecuniæ legalem, omnes illius commoditates attendit: ergo illo titulo nihil exigi potest in Cambio.

Resp *negando antecedens:* quià solùm respicit usum pecuniæ quatenùs est mensura rerum venalium in emptione, & venditione, minimè verò in ordine ad commutationem cum aliâ pecuniâ.

Obj. 2. Vinum, aut triticum V. G. non potest vendi suprà valorem legalem: ergo &c.

Resp. *negando antecedens:* si nempè habeat peculiarem æstimabilitatem distinctam ab illâ, quam attendit Princeps, quando taxat valorem legalem, sicut habet pecunia in nostro casu.

Obj. 3. Centum floreni in auro, & centum in argento æquivalent alicui tertio ejusdem prorsùs valoris, V. G. viginti ulnis panni: ergo sunt unum inter se: quæcumque enim sunt eadem uni tertio quoad valorem, sunt eadem inter se.

Resp. *distinguendo antecedens:* æquivalent quatenùs sunt mensura rerum venalium in emptione, & venditione, *concedo*, quatenùs possunt inter se permutari, *nego antecedens.*

Obj. 4. Res non potest pluris vendi, quià est magis commoda emptori.

Resp. *distinguendo assumptum*, si major illa commoditas oriatur ex ipsâ re venditâ, *nego*: si proveniat aliundè, *concedo.* Porrò commoditas pecuniæ in cambio minuto nascitur ex ipsâ pecunia.

QUÆSTIO III.

An in Cambio locali aliquid exigi possit?

REsp. & *Dico* 1. per accidens id fieri posse, quando extrinseca aliqua accedunt: V. G. quando subest titulus lucri cessantis, vel damni emergentis; puta si Campsor debeat in gratiam Campsariorum diversis in locis habêre suos Respondentes, seu Procuratores, quibus aliquid pendat.

Etiam

Etiam æstimari potest, quod Campsor publicus teneatur habêre pecuniam paratam ad cambiendum, & varia subire pericula, V. G. quià valor pecuniarum subindè mutatur cum ejus dispendio.

Insuper æstimabile est, quod Campsor accipiat à Campsario pecunias cum onere reddendi aliàs ejusdem valoris in alio loco, ubi pecuniæ acceptæ minùs valerent, aut etiam fortè non acceptarentur, nisi quatenùs sunt massa argentea, vel aurea quod sæpe evenit.

Dico 2 Per se quoque, & quantùm est ex naturâ Cambii, id licitum videtur.

Ratio est: quià Campsor per cambium Locale virtualiter trajicit pecunias Campsarii ad alium locum, qui proindè Campsario tantum præstat commodum, acsi realiter transferret

Deindè cambium hujusmodi involvit quamdam assecurationem pecuniæ transferendæ in gratiam Campsarii.

Adverte tamen, quod non liceat exigere tantum lucri, acsi pecuniæ formaliter tranjicerentur de loco in locum, quià deducendæ sunt molestiæ, & expensæ itineris, &c. aliàs subeundæ. Lucrum igitur taxandum est juxtà communem existimationem hominum artis campsoriæ peritorum, vel juxtà legem Principis, aut loci, si quæ existat.

Obj. 1. Virtualis illa trajectio pecuniæ à parte rei non est nisi mutuum in uno loco, reddendum in alio.

Resp. *negando assumptum:* quià in Mutuo propriè dicto non datur pecunia in gratiam Mutuatoris, seu pecuniam dantis, sed in gratiam illius, qui pecuniam accipit; in Cambio verò qui dat pecunias alibi recipiendas, id est Campsarius, nullo modo dat in gratiam accipientis, sive Campsoris, sed in gratiam sui, scilicet ut ad alium locum, ubi eas habere desiderat, trajiciantur.

Deindè totum admitti posset, sed eo ipso quo additur *reddendum in alio loco*, cum illa redditio in gratiam Campsarii fiat, & contineat virtualem trajectionem pecuniæ ex uno loco ad alium, cum assecuratione ejusdem, importatur titulus, ratione cujus lucrum exigi potest, itaut lucrum non accipiatur præcisè propter mutuum, sed propter alium titulum Mutuo conjunctum.

Obj. 2. Quod aliquid justè exigatur ratione Assecurationis, oritur ex periculo, quod subesse putamus: undè si omne discrimen absit, assecuratio locum non obtinet, nec pretio æstimari potest. Similiter quod aliquid exigatur propter realem pecuniæ trajectionem, fundatur in molestiâ, & labore, quem subimus in gratiam illius, qui eas sibi transferri petit: atqui Assecurario, quæ fit in cambio locali, non habet conjunctum periculum, nec translatio involvit laborem: ergo illi tituli insufficientes sunt ad lucrum justè exigendum.

Resp. *distinguendo minorem*: Assecuratio, quæ fit in Cambio locali, non habet conjunctum periculum, nec translatio pecuniæ involvit laborem, itaut hoc à Campsore proveniat, *concedo*: itaut hoc ipsi adscribi non debeat, *nego minorem*: si enim Campsor non præstaret Cambium, Campsarius deberet uti reali translatione pecuniæ cum magno labore, & periculo.

Ex quo satis apparet, *consequentiam* esse nullam, quià cum dicitur, quod non possit exigi merces titulo assecurationis, aut translationis pecuniæ, quando non subest periculum, nec comitatur labor, hoc intelligendum est de casu, quo periculum, & labor cessant independenter ab operâ, & industriâ illius, qui mercedem exigit.

Dico 3. Potest etiam aliquid exigi pro Cambio locali, dum Campsor dat prior pecuniam Campsario, eam alibi recepturus.

Prob.

Prob. quià tale cambium continet etiam virtualem tranſlationem pecuniæ, ejuſque aſſecurationem. Alii quoque tituli anteà commemorati accedere queunt.

Obj. Campſor non poteſt transferre, quod non accepit: atqui nondum accepit pecunias Campſarii, ut ſupponitur: ergo non ſubeſt titulus virtualis tranſlationis.

Reſp. *diſtinguendo majorem*, non poteſt transferre realiter, ſeu formaliter, *concedo majorem*: non poteſt transferre æquivalenter, *nego majorem.*

Inſtabis 1. Campſarius potiùs transfert pecuniam Campſoris, quam è converſo.

Reſp. *negando aſſumptum*, quià Campſor non petit tranſlationem ſuæ pecuniæ, ſed è contrà, ideò enim Campſarius adit Campſorem, ut ſuæ pecuniæ alibi exiſtentes ejus operâ hîc præſentes fiant.

Inſtabis 2. Quid ſi Campſor habeat commodum ex eo, quod pecuniæ Campſarii ſint alibi recipiendæ, V. G. quià novit eas ibidem applicare negotiationi?

Reſp. hoc eſſe per accidens, nec oriri ex conditione pecuniæ abſentis, ſed ex induſtriâ Campſoris. Deindè commodum iſtud æſtimari nequit à Campſario, quamdiu Campſor non petit illud ſibi fieri.

Idem foret, ſi quis elocaret ſuam operam ad reducendum alterius equum Antverpiâ Gandavum, & indè occaſionaliter aliquid commodi reportaret: neque enim Dominus equi ideò aliquid exigere, aut pretium conductionis minuere poſſet.

Saltem certum eſt, quod eo non obſtante reductor equi plenam Reductionis mercedem recipere ſalvâ juſtitiâ valeret.

CAPUT VII.

QUÆSTIO IV.

De Reliquis ad Cambium pertinentibus.

PEtes 1. *An Cambium Franco-furtense, sive in quo Campsor exigit majus lucrum secundùm proportionem longitudinis temporis, quo differtur restitutio pecuniæ prænumeratæ, sit licitum?* V. G. nundinæ bis in anno celebrantur Franco-furti, scilicet in Paschate, & in Septembri: quæritur an Campsor dans pecunias secundis nundinis recipiendas, possit exigere amplius, quam si restitutio fieret primis nundinis?

Resp. hoc per se esse illicitum, seclusis scilicet extrinsecis, quià carentia pecuniæ ad tantum tempus non est titulus sufficiens ad exigendum aliquod lucrum, ut constat ex antè dictis. Si tamen accedant alii tituli V. G. lucrum cessans, vel damnum emergens, & majus lucrum cesset, quià restitutio differtur usque ad secundas nundinas, non est dubium, quin jure naturæ majus auctarium exigi queat.

Petes 2. *An Cambium Bizantinum, quod Placentinum etiam dicitur, sit licitum?*

Cambium istud ex eo sic appellatur, quod Bizantium, & Placentiam trajici soleat.

Est autem praxis talis. Hic Antverpiæ eges aureis mille, quos quià tibi mutuare nolo, sed dumtaxat ad Cambium dare cum justo lucro Cambii, ut peccatum usuræ non incurram; rogas tibi dari ad Cambium locale restituendos meo Procuratori Placentiæ; sed quià Placentiæ non habes Procuratorem, qui aureos ibi numeret, nec fidem, nec pecuniam, assigno tibi meum Procuratorem, ut fiat Procurator utriusque, & mihi ibidem pro te respondeat, susceptumque

tumque debitum ſibi ſolvat, quatenùs diverſas perſonas repræſentat, & rursùs eandem pecuniam remittat Antverpiam per cambium, ſcribens novam obligationem pro mille aureis, quaſi denuò ad Cambium acceperit, eamque ad me tranſmittens, ut à te accipiam mille aureos Antverpiæ cum lucro Cambii, & Recambii. Ad quæſtionem

Reſpondeo totum pendêre ab intentione eorum, qui ad iſtud Cambium concurrunt: nam ſi Campſor, & Campſarius ſeriò intendant Cambium, & Recambium, & Procurator Campſoris ſeriò fiat procurator Campſarii Placentiæ, ibidemque nomine Campſarii verè, & ſincerè reſpondeat, aut ſibiipſi in perſonâ Campſoris ſolvat &c. non video, quid injuſtitiæ ſubſit, quandoquidem ratione Cambii, & Recambii aliquid exigi poſſit.

Si autem hæc non gerantur ſeriò, Cambium iſtud eſt omninò ſiccum, & uſura palliata, eoquòd totum lucrum à parte rei accipiatur vi mutui.

Porrò plerumque exiſtimarem omnia geri fictè, quià cum Campſarius non egeat pecuniis Placentiæ, neque fides ejus, aut opes notæ ſint Procuratori Campſoris Placentiæ exiſtenti, qui proindè ejus nomine ſeriò non ſolvit, nec ſpondet Campſori, non verè intenditur Cambium ad civitatem Placentinam, nec Recambium ad Antverpienſem: ſiquidem Cambium locale ſupponit pecunias deſiderari in alio loco, & Recambium exigit, ut pecuniæ exiſtant in loco, ubi Recambium petitur, ſi non formaliter, ſaltem æquivalenter per ſponſorem Itaque tale Cambium, & Recambium mihi apparet inanis veri Cambii larva ad uſuram contegendam adinventa.

Petes 3. *An Campſor poſſit Paciſci de certo lucro, ſi Campſarius fuerit in morâ ſolvendi?*

Reſp. *negativè*, ſi non adſit titulus præter moram, quià carentia pecuniæ debitæ non eſt pretio æſtima-

bilis, ut sæpè dictum est. Sed si Campsor prævideat sibi damnum ex morâ emersurum, de indemnisatione pacisci poterit.

Petes 4. *An Campsores possint exigere provisiones?*

Resp. provisiones esse illicitas, si seorsim exigantur ultrà justum pretium Cambii.

Ratio est, quià sicut Judex conductus à Republicâ nihil potest exigere propter laborem necessarium ad ferendam sententiam, eoquòd labor ille sit intrinsecus pronuntiationi sententiæ, quæ debita est, ità neque pro labore Cambio intrinseco ultrà pretium Cambii quidpiam peti potest.

Dices: saltem Bancarii, id est, famuli, seu factores Campsorum, qui pecunias eorum custodiunt, exponunt, recipiunt &c. licitè accipiunt provisiones, dignus est enim operarius mercede suâ.

Resp. *distinguendo assumptum*, licitè accipiunt à Campsore, qui pretium Cambii recipit, *concedo*: à Campsario, *nego*.

Petes 5. *Quæ conditiones requirantur ad Cambium ex dispositione Pii V.*

Resp. has exprimi in speciali quadam constitutione, quæ extat in Bullario ordine 118. & refertur à *Narvarro* cap. 17. numero 300. Quædam sunt juris naturæ, nempè prima, & secunda, reliquæ juris positivi, quæ vidêri possunt locis citatis.

Interim hæc Bulla, teste *Maldero*, non est recepta in Belgio, imò *Lessius* existimat paucis in locis, & fortè nusquam, saltem quoad omnes conditiones, admissam esse.

CA-

CAPUT VIII.

De Fide-jussione, Assecuratione, Conductione, Locatione, Emphyteusi, Feudo, Pignore, & Hypothecâ.

QUÆSTIO I.

Quid Fide-jussio, & Assecuratio?

Dico 1. *Fide-jussio est susceptio obligationis alienæ cum onere eam adimplendi, si à principali debitore non impleatur, sic tamen, ut obligatio principalis debitoris ideò non extinguatur.*

Ut civiliter obliget, requirit formam stipulationis, verbis expressam: ut liget in foro conscientiæ, & Ecclesiastico non postulat nisi consensum verbis expressum.

Dicitur *sic tamen* &c. quià fide-jussio est tantùm contractus accessorius ad obligationem principalis debitoris: undè si quis se constituat debitorem loco alterius, ita ut obligationem illius extinguat, & in se transferat, non est fide-jussio; quià talis contractus non accedit obligationi principalis debitoris, quandoquidem hæc non remaneat.

Dico 2. Fide-jussio exigit *primò*, ut Fide-jussor non teneatur plus solvere, quam principalis.

Secundò, ut principalis verè obligetur; hinc fide-jussio pro solutione usurarum est invalida.

Tertiò, ut Fide-jussor non obligetur aliter, quam debitor principalis. V. G. si obligatio principalis tantùm sit naturalis, fide-jussor non obligetur civiliter,

liter, ſed naturaliter dumtaxat. Exceptio eſt, ſi Fide-juſſor arctiùs ſe obligaverit.

Quartò, ut Fide-juſſor non poſſit conveniri, niſi excuſſo principali, ut loquuntur Juriſperiti, id eſt, adhibitâ diligentiâ Creditoris ad ſolutionem à principali debitore obtinendam.

Exceptio tamen eſt *primò*, ſi ante excuſſionem ſatis conſtet principalem non eſſe ſolvendo. *Secundò*, ſi fide-juſſor renuntiaverit beneficio prævіæ excuſſionis. *Tertiò*, ſi fide-juſſor negaverit ſe eſſe fide-juſſorem: tunc enim juxtà legem 10. de fide-juſſionibus §. 1. excidit præfato beneficio.

Dico 3. Communis doctrina eſt, quod fide-juſſor licitè aliquid accipiat pro fide-juſſione ratione periculi, cui ſe exponit; ſi tamen periculum verè ſubſit.

Ratio eſt: quià ſubire periculum numquam fortè recuperandi, quod loco principalis debitoris ſolvitur, communiter cenſetur pretio æſtimabile. Saltem hoc indubitatum eſt, ſi propter fide-juſſionem damnum emergat, aut lucrum ceſſet fide-juſſori.

Dico 4. *Aſſecuratio eſt alieni periculi præſtatio*, ſeu contractus, quo quis rei alienæ periculum ſuſcipit, atque ità alterum ſecurum facit: ut ſi ſuſcipiam onus tibi ſatisfaciendi pro mercibus navi impoſitis, ſi navis pereat.

Ex quo liquet pro aſſecuratione tutò aliquid exigi, cum ſuſceptio talis periculi ſit pretio æſtimabilis.

Dico 5. Ad juſtitiam contractûs aſſecurationis requiritur

Primò, ut pretium exigatur juxtà proportionem periculi, quod creditur ſubeſſe, attentâ etiam æſtimabilitate rei, quæ aſſecuratur.

Secundò, ut periculum verè ſubſit, vel ſaltem probabiliter timeatur: hinc nemo poteſt aliquid exige-

re

re pro assecuratione navis, quæ est in portu. Eâdem ex causâ assecuratarius curans assecurari navim, quam novit periisse, tenetur ad restitutionem illius, quod ab Assecuratore accepit.

Tertiò, requiritur, ut si res pereat, Assecurator habeat jus in illam, dummodò satisfaciat Assecuratario.

QUÆSTIO II.

Quid Locatio, quid Conductio?

Dico 1. *Locatio est* contractus, *quo res, vel persona ad usum, vel fructum conceditur pretio, seu mercede.*

Conductio est contractus, *quo res, vel persona accipitur ad usum, vel fructum dato pretio.* Per hoc quod dicatur *pretio* differt Locatio à Precario, & Commodato, in quibus res gratis alterius usui conceditur.

Nonnulli ad Locationem rei immobilis requirunt, ut res concedatur minùs decennio, quià putant dominium utile rei transferri in conductorem, & fieri contractum Emphyteuticum, quando res ad decennium, vel ultrà alterius usui permittitur.

Dico 2. In Conductione, & Locatione hæc communiter observanda proponuntur:

Primò, Locator tenetur ad expensas necessarias tum ad conservationem rei, tum ad convenientem usum, ad quem conducta est, nisi aliter conventum sit, ut habetur ex lege 1. Cod. *de locato.*

Secundò, tenetur Locator etiam secundùm leges ad onera: V. G. ad viarum adjacentium reparationem, & tributa rei locatæ imposita, nisi conventio, vel consuetudo aliud exigat, vel res locata sit fructifera, & onera imponantur fructibus; cum enim

con-

conductor fructibus gaudeat, par est, ut ferat onera, quibus illi gravantur.

Tertiò, si conventio, vel consuetudo, vel leges loci aliud non requirant, debet Locator remittere pensionem, quando fructus nulli, vel perpauci ex re lo catâ percipiuntur, ita ut conductor sentiat magnum gravamen, quæ remissio pro æstimatione sterilitatis fiat oportet. Ità habetur Cap. *Propter sterilitatem.* de locato, & conducto.

Exceptio est, quando sterilitas oritur ex culpâ Conductoris, item quando ubertate præcedentis, vel subsequentis anni compensatur, ut ibidem dicitur.

Dixi *vel perpauci*, quià si sterilitas non sit notabilis, debet æquo animo ferri à Conductore.

Si conductor impediatur ab usu, vel culturâ rei conductæ, non suâ culpâ, sed vitio ipsius rei, non tenetur ad onus pensionis, eoquòd non sentiat commodum.

Petes 1. *Quibus casibus Conductor possit expelli?*

Resp. eum expelli posse *primò*, si re conductâ abutatur; ut si ibidem alat meretrices. *Secundò*, si rei conductæ notabiliter noceat. *Tertiò*, si domus V. G. necessariò reparari debeat, & reparatio fieri nequeat Conductore inhabitante. *Quartò*, quando supervenit causa tempore contractûs non prævisa, ob quam inhabitatio ipsi Locatori necessaria est. *Quintò*, si Conductor per biennium non solverit. Hæc jure Pontificio constituuntur quoad locationem rerum Ecclesiasticarum Cap. *Propter sterilitatem.* de locato, & conducto §. *verum.* jure autem Cæsario Conductor expelli potest, quando est in morâ solvendi tempore constituto.

Petes 2. *An minor factus major teneatur locationibus factis à Tutore?*

Resp. *affirmativè*, quià quod fit per tutorem censetur

setur fieri per minorem. Si tamen sit læsus potest uti beneficio restitutionis in integrum.

Petes 3. *Utrum, si res vendatur currente locationis tempore, conductor sit potior emptore, aut è contrà.*

Resp. emptorem, idem est, de usu-fructuario, utpotè habentem jus potentius, communiter censêri potiorem, adeo, ut locationi stare non debeat, juxtà legem 9. Cod. *de locato.* Conductori tamen in Locatorem competit actio, *quanti interest*, ut dicitur.

Exceptio est, si ipse Fiscus vendiderit juxtà Legem ultimum ff de jure Fisci. Item si consuetudo loci, vel contractus venditionis aliud poscat, ut si appositа sit clausula tribuens conductori facultatem explendi suum terminum. Et quidem Antverpiæ ita fieri, nulli dubium est; quià Conductor, nisi exceptio præcesserit, hîc semper præfertur.

QUÆSTIO III.

Quid Feudum, & Emphyteusis? Quid Pignus, & Hypotheca?

Dico 1. *Emphyteusis* est contractus, *quo possessio, & dominium utile rei immobilis, retento directo, transfertur in alium sub onere reali annuæ pensionis.* Debet autem transferri vel in perpetuum, vel ad tempus non minùs decennio.

Emphyteusis tribuit *jus in re*, in quo differt à Locatione, quæ tantùm tribuit Conductori jus ad rem.

Si agri Ecclesiæ dentur laico in Emphyteusim, tenetur hic solvere tributa, quibus laici gravantur. Ratio est, quià tunc dominium utile, ratione cujus tributa imponuntur, non est apud Ecclesiam, sed apud Emphyteutam. qui cum laicus sit, non eximitur.

Dico 2. Feudum est contractus, *quo sub onere fidelitatis*,

litatis, & obsequii personalis transfertur possessio, & dominium utile rei immobilis V. G. *urbis, agri, castri &c. retento dominio directo.* Is, in quem transfertur, dicitur *Feudatarius*, & vasallus, qui tranfert, dicitur *Infeudator.* Onus personale, quod subit Feudatarius, vocatur homagium. Obligatur autem ad homagium in recognitionem dominii directi.

Conditiones in Emphyteusi, & Feudo servandæ vidêri possunt apud authores

Dico 3. Pignus aliquando accipitur pro re oppignoratâ: hîc autem capitur pro contractu, & definitur: *Contractus, quo res mobilis traditur Creditori in assecurationem debiti.*

Pignori affinis est arra, & arrabo. *Arra est* res mobilis data per modum pignoris ad firmandam obligationem contractûs initi: *Arrabo* est pars pretii anticipatè in solutionem data ad contractum roborandum.

Dico 4. Hypotheca subindè etiam sumitur pro re in Hypothecam data: hîc autem accipitur *pro contractu*, & definitur; *Contractus, quo res immobilis nudâ conventione, id est, absque traditione obligatur Creditori pro debito.*

Differt à Pignore, quod Pignus exigat obligationem rei mobilis, simul & traditionem. Quandoque tamen res mobilis etiam secundùm jura dicitur hypothecari, & res immobilis oppignorari.

Dico 5. Hypotheca dividitur in *universalem*, quâ omnia bona præsentia, & futura obligantur, & in *particularem*, quâ certa, & determinata quædam bona obligantur. Particularis semper afficit rem, ad quemcumque transeat, donec solutio debita præstita sit.

CA-

CAPUT IX.

De Emptione, & Venditione.

QUÆSTIO I.

Quid Emptio? Quid Venditio? Quid Negotiatio? Et an hæc liceat?

RESP. & *Dico* 1. *Emptio est pactio pretii pro merce.* Merx autem dicitur res pecuniâ venalis, ac æstimabilis.

Pretium autem hîc non accipitur pro valore, seu æstimabilitate rei, ut sæpè solet, sed pro ipsâ pecuniâ valori cujusque rei commensuratâ.

Dico 2. Venditio est *pactio mercis pro pretio.*

Petes: *In quo differat Emptio, & Venditio à Permutatione?*

Resp. in Permutatione dari rem pro re, in Emptione verò, & Venditione dari rem pro pretio, & è contrà. Hinc, antequam pecunia foret adinventa, non erat Emptio, vel Venditio, sed Permutatio.

Dico 3. Negotiatio est *Emptio rei, animo eam alienandi cum lucro.*

Dico 4. Negotiatio per se licita est, prout constat tum ex praxi universali, tum ex illo S. *Augustini* in Psal. 70. *si malus fuero, non negotiatio mihi facit, sed iniquitas mea.*

Obj. 1. Psalmo 7. dicitur: *quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini.* Per Literaturam autem SS. Patres, signanter S. *August.* in eundem Psal. intelligunt negotiationem.

Resp. hoc intelligi de Negotiatione, quatenùs ex ma-

malitia negotiantis vitiatur V. G. quod exerceatur cum fraude, cum aviditate cujuſcumque lucri.

Obj. 2. D. *Thom.* 2 2. q. 77 art. 4. in Corpore agens de commutatione quæ fit in ordine ad lucrum, dicit; eam juſtè vituperari, addita hac ratione: *quià, quantùm eſt de ſe, deſervit cupidituti lucri, quæ terminum neſcit, ſed in infinitum tendit.* Poſteà autem ſubjungit: & *ideò negotiatio ſecundùm ſe conſiderata quamdam turpitudinem habet.*

Reſp. D. *Thomam* poſt ultima verba immediatè ſubnectere: *in quantùm non importat de ſui ratione finem honeſtum, vel neceſſarium. Lucrum tamen, quod eſt negotiationis finis, etſi in ſui ratione non importet aliquod honeſtum, vel neceſſarium; nihil tamen imponit de ſui ratione vitioſum, & virtuti contrarium, undè nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem neceſſarium, vel etiam honeſtum, & ſic negotiatio licita reddetur:* ex quibus patet, eum non rejicere negotiationem tanquam abſolutè, & poſitivè ſecundùm ſe vitioſam, ſed cum hoc addito *negativè*, in quantùm ſcilicet de ſe non importat finem honeſtum.

Petes: *Undè fiat, quod poſſim vendere caritis, quam emerim, nec ideò tamen excedam pretium juſtum.*

Reſp. quià poſſum emere, quandoque pretio infimo juſto, vel medio, & vendere ſummo, vel etiam medio, vel circiter. Deindè pretium rei poteſt augeri nunc propter raritatem, nunc propter pericula, & labores, quos ſubeo, imò etiam propter mutationem loci, eoquòd res ſit majoris pretii in uno loco, quam in alio, ut S. *Aug.* in Pſal. 70. apertè docet.

Dico 5. Negotiatio vetita eſt Clericis, & Religioſis, prout conſtat ex variis Canonibus, ſignanter ex Cap. *Secundùm.* titulo *Ne clerici, vel monachi* &c. ubi dicitur: *ſecundùm inſtituta Prædeceſſorum noſtro-*

rum

rum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causâ lucri negotientur.

Cum autem à SS. Canonibus, qui sanè in vigore esse debent, utpote renovati in *Trid.* sess. 22. cap 1. de reformatione, statuantur pœnæ gravissimæ, etiam excommunicatio, videtur obligatio esse sub mortali, saltem quatenùs prohibitio illa vetat per se, & ex professo Negotiationi intendere. Undè non dicitur quis Negotiator ab uno, vel altero actu, neque hoc videtur tanti fieri debêre, ut Clericis ad mortale imputetur.

Porrò causæ prohibitionis juxtà D. *Thomam* 2. 2. q. 77. art. 4. ad 3. sunt hæ: quod negotiatio ordinetur ad lucrum terrenum, cujus contemptores esse debent *Clerici*, & *Monachi*, multisque vitiis pateat. Item, quod nimis implicet animum secularibus curis, & à spiritualibus abstrahat, undè S. *Aug.* in Psal. 70. *negotium* dictum putat ex eo, quod neget otium: & hoc conforme est Apostolo 2. ad Timoth. 2. v. 4. dicenti, *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Petes: *Utrum ergo Clerici, vel Monachi non possint aliquando vendere aliquid etiam cum lucro?*

Resp. *affirmativè* ità D. *Thomas* loco citato. Ait enim in Corpore: *Duplex est rerum commutatio: una quidem quasi naturalis, & necessaria, per quam scilicet fit commutatio rei ad rem, vel rerum, & denariorum propter vitæ necessitatem, & talis commutatio non pertinet propriè ad negotiatores, sed magis ad Œconomicos, vel Politicos, qui habent providêre domui, vel civitati, de rebus necessariis ad vitam. Alia vero commutationis species est, vel denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios non propter res necessarias vitæ, sed lucrum quærendum, & hæc quidem negotiatio propriè videtur ad negotiatores pertinere.* In resp. ad 3. autem dicit, *licet tamen clericis uti primâ commuta-*

mutationis ſpecie, quæ ordinatur ad neceſſitatem vitæ, emendo, vel vendendo.

QUÆSTIO II.

Quo pretio ſit emendum, & vendendum?

Nota 1. Pretium rei aliud appellari *legitimum*, quod à Principe, vel Magiſtratu conſtituitur, aliud *vulgare*, ſeu naturale, quod communi, & prudenti hominum æſtimatione taxatur: & hoc dici ſotet pretium fori.

Ut autem pretium rectè conſtituatur, non debet precisè attendi perfectio, aut præſtantia rei ſecundùm ſe, aliàs enim *araneæ*, *mures* &c. pluris fieri deberent, quam acervus tritici: neque omnis utilitas obveniens Emptori, ut patet V. G. in venditione panis unius aſſis, dum quis premitur extremâ fame; poſſet enim aliàs vendi multis millibus aureorum, eoquòd impediat, quo minus Emptor moriatur.

Rationem dat D. *Thomas* 2. 2. q. 77. art. 1. in corpore his verbis: *quià utilitas, quæ alteri accreſcit, non eſt ex venditione, ſed ex conditione ementis.*

Spectanda igitur ſunt varia, ut V. G. copia, vel inopia mercium, bonitas, & utilitas, quam ex ſe habent, labores, pericula, & expenſæ negotiationis, conſervationis mercium &c. multitudo, vel paucitas Emptorum; abundantia, vel raritas pecuniarum &c. Atque indè dijudicandum, quæ ſit æſtimatio in ordine ad uſus humanos, ſic tamen ut ſtetur non privato cujuſque arbitrio, ſed communi, & prudenti juxtà legem *pretia*. Ad legem falcidiam, in quâ dicitur: *pretia rerum, non ex affectu, nec utilitate ſingulorum, ſed communiter finguntur.*

Nota 2. Pretium legitimum ordinariè conſiſtere

in

in indivisibili : quià ordinariè taxatur à Principe, vel Magistratu cum certâ determinatione, V. G. ad unum aureum.

aliud est de pretio vulgari: cum hoc enim pendeat à communi hominum æstimatione, & hi non conveniant præcisè in eadem determinatione, sed unus determinet plus, alter minùs, necessariò habet aliquam latitudinem.

Hinc pretium justum vulgare communiter assignatur triplex, *infimum*, id est, infrà quod non potest descendi emendo, *summum*, sive rigorosum, suprà quod non potest ascendi vendendo, & *medium* suprà quod ascendi usque ad summum, descendi potest infrà, usque ad infimum. His positis.

Resp. & *Dico*, oportet emere, & vendere pretio justo, id est, commensurato valori rei : quarè falsum est, rem tanti valêre, quanti potest vendi, aut emi, quasi-verò possit venditor exigere quidlibet, & Emptor emere quovis pretio vilissimo.

Prob. Quià aliàs non servaretur æqualitas inter pretium, & rem, quod est contrà justitiam. Hinc res emi non potest infrà pretium infimum, nec vendi ultrà summum absque injustitiâ, & obligatione restituendi in foro conscientiæ.

Possumus tamen emere pretio infimo, & vendere summo sine injustitâ : quià utrumque pretium justum est : sed ex charitate interdum tenemur vendere pretio medio, aut etiam inferiori, & emere supra infimum.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Nonnulla huc ſpectantia reſolvuntur.

PEtes 1 *An liceat excedere pretium legitimum, vendendo cariùs, aut emendo vilius, dummodo ſervetur pretium vulgare juſtum?*

Reſp. quando pretium legitimum taxatur in gratiam emptorum, prout ordinariè fit, poſſumus quidem emere pretio inferiori, manendo intrà terminos pretii juſti vulgaris: quià mens Principis taxantis pretium non eſt prohibêre, quo minùs infrà vendatur, ſed ſuprà.

Attamen illicitum eſt vendere pretio majori: quià ſicuti *ad Rectores civitatis pertinet determinare, quæ ſint juſtæ menſuræ rerum venalium penſatis conditionibus locorum, & rerum, & ideò has menſuras publicâ authoritate, vel conſuetudine conſtitutas præterire non licet*, ut loquitur S. *Thomas* 2. 2. q. 77. art. 2. ad 2. ità ad Principem ſpectat, vel Magiſtratum taxare pretia rerum, itaut ea preterire non liceat.

Quare ſicuti præterire menſuras publicâ authoritate conſtitutas, vendendo V. G. menſurâ minori, eſt peccatum injuſtitiæ, ità ad injuſtitiam pertinet excedere pretium authoritate publicâ definitum, vendendo altiori: utrobique enim judicium vulgi eliditur per judicium Principis, aut Magiſtratûs

Et reverà in èmptione, & venditione committitur injuſtita, ſi quis excedat valorem pecuniæ à Principe taxatum, V. G. ſi quis in ſolutione mercium det imperialem pro decem ſolidis, idque ideò, quià in taxando valore pecuniæ judicium Principis prævalet judicio privatorum, pendetque ab illius arbitrio pretium cujuſque rei determinare: ergo ſimiliter.

Nota, Nos non agere de caſibus, in quibus Princeps irra-

irrationabiliter taxat pretia rerum; ſed de pretio rationabiliter, & præcisè ad determinandum valorem cujuſcumque rei conſtituto.

Petes 2. *An conſuetudo emendi viliori pretio, dum res venditur per auctionem, ſit licita?*

Reſp. *affirmativè*, quià merx ultroneè oblata communi judicio vileſcit: & hinc fit, quod poſſimus emere pretio minori, quando Venditor cogitur ex neceſſitate rem ſuam vendere, & quaſi emptorem quærere. Deinde etiam, quià in auctionibus cenſentur homines ſibi mutuò dimittere, ſi quid infrà, vel ſuprà valorem rei detur, dummodò tamen omnis fraus ſecludatur.

Petes 3. *An illa, quæ non habent determinatum pretium legitimum, vel vulgare, ut ſunt V. G. gemmæ, flores, picturæ antiquæ &c. poſſint quovis pretio vendi?*

Reſp. *negativè*, quià aliàs poſſent vendi pretio majori, & majori in infinitum.

Deindè æſtimatio rerum non provenit à voluntate, & judicio cujuſque, ſed vel à lege Principis, vel à communi judicio prudentum, qui de rerum æſtimatione attentis omnibus circumſtantiis valent judicare. Undè quoad ſimilia recurrendum eſt ad judicium eorum, qui habent notitiam, aut ſaltem ſtatuere poſſunt, quæ ſit rei æſtimatio, attentis laboribus, periculis, raritate, utilitate, &c.

Petes 4. *An liceat vendere pretio currenti, quando ſcimus copiam mercium advehendam, ideòque pretium mox diminuendum?*

Reſp. hoc non eſſe contrà juſtitiam. Ità D. *Thom.* 2. 2. q. 77. art. 3. ad 4.

Ratio eſt: quià pretium nondum decrevit, ſed tantùm decreſcet.

Deindè quià ſicuti ſcientia privata futuræ penuriæ non auget pretium rei, eoquòd pretium juſtum deſumatur à communi æſtimatione hominum, quæ per

ſcientiam privatam alicujus in particulari non mutatur; ità ſcientia privata futuræ abundantiæ non diminuit pretium, cum ſit eadem ratio.

Porrò non augeri pretium propter ſcientiam privatam futuræ penuriæ, certum eſt, tum ex facto *Joſeph*, qui, ut refertur *Geneſis* 41. cap. omnem meſſem pretio currenti coëmit, & in horrea congregavit, venditurus poſteà tempore penuriæ, quam futuram prævidebat; tum ex eo etiam, quod alioquin non poſſemus emere pretio currenti, quando privatim ſciremus futuram penuriam.

Denique ſi mercator ſciens futuram copiam mercium, & vendens pretio currenti teneatur ad reſtitutionem; ergo etiam tenebitur, ſi neſciens eodem pretio vendiderit, nam reſtitutionis obligatio æquè oritur ex titulo rei acceptæ, quam ex injuſtâ acceptione.

Petes 5. *An Emptor (idem eſt de Venditore) in pretio deceptus, poſſit reſcindere Contractum?*

Reſp. dari locum reſciſſioni in foro externo, quando Venditor exceſſit dimidium pretii juſti, ut conſtat ex Cap. *Cum dilecti.* de Emptione, & Venditione.

Si autem non excedatur dimidium, ne quidem datur actio contrà excedentem, ſeclusâ fraude, & metu, ne lites multiplicentur in infinitum.

Cæterùm in foro conſcientiæ ſemper eſt obligatio ex parte illius, qui exceſſit, vel ad reſcindendum contractum, vel ad exceſſum auferendum, licet non excedatur dimidium juſti pretii, nec alter petat reſciſſionem, propter inæqualitatem, quæ alioquin manet inter pretium, & rem.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An liceat cariùs vendere creditò, quam paratâ pecuniâ?

REsp. & *Dico*, per se non licet cariùs vendere creditò, quam paratâ pecuniâ hoc sensu, quod propterea vendamus suprà summum.

Ratio est: quià hoc esset virtualiter mutuare pecuniam creditam ad certum tempus, & ratione mutui aliquid exigere: sive enim credam tibi ad annum solutionem mercis eâ lege, ut aliquid amplius recipiam, sive tantumdem pecuniæ mutuem cum onere auctarii, nihil interest. Deindè carentia pecuniæ non est ex se pretio æstimabilis, ut ostensum est quæstione 3. capitis sexti.

Dixi *per se*, quià per accidens, & ratione alterius tituli extrinseci, V. G. lucri cessantis &c. possumus vendere cariùs, æquè ac ob similes titulos exigere auctarium suprà sortem mutuò datam.

Dixi etiam *suprà summum*: quià si quis præcisè ob dilatam solutionem vendat cariùs, quam aliàs venderet, manendo tamen intrà terminos pretii justi, V. G. si quis vendat pretio summo, cum aliàs venderet pretio medio, non peccat contrà justitiam: quià vendit pretio absolutè justo, & servat æqualitatem inter pretium, & mercem. Ex dictis

Collige, quâ ratione liceat emere minoris ob anticipatam solutionem: scilicet id licet in primis si propterea emamus pretio minori, manendo intrà pretium infimum.

Deindè si excedamus quidem pretium justum, emendo V. G. infrà pretium infimum, sed ratione tituli extrinseci, distincti ab anticipatione pecuniæ, V. G. ad compensandum lucrum cessans, damnum

emergens; &c. Aliàs emere infrà pretium infimum præcisè ob anticipatam solutionem est virtuale mutuum cum lucro ex mutuo, adeòque usura.

Petes: *An vitium rei sit detegendum?*

Resp. *affirmativè*, quià merces laborantes defectu sive in substantiâ, sive in qualitate, sive in quantitate, sunt minoris valoris, adeòque non servatur æqualitas. Hinc Sanctus *Ambrosius* l. 3. Officiorum cap. 10. scribit *in contractibus etiam vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur, ac nisi intimaverit Venditor, quamvis in jus Emptoris transcripserit, doli actione vacuantur.* Ex quo habetur Venditorem obligari ad restitutionem excessûs pretii, & ad reparationem damni, quod ex vitio mercis prævidet secuturum, cum sit injusta causa illius.

Obj. 1. Quid si vitia sint manifesta, & communiter nota?

Resp. tunc non debêre manifestari, dummodò tamen non sint occulta respectu Emptoris, quià hic V. G. est rudis, & venditor minori pretio vendat, quam si merx foret planè sincera.

Obj. 2. Quidni Venditor possit occultare vitium rei, & minori pretio cum proportione vendere?

Resp. id fieri posse absque injustitiâ, dummodò ex vitio rei non sequatur damnum Emptori: sed de isto casu non agimus.

Obj. 3. Emptor non tenetur manifestare Venditori præstantiam, quam hic falsò existimat vitiosam, & minus valentem; ergo &c.

Resp. *negando antecedens*: & dico, Emptorem obligatum esse ad restitutionem, si rem integram, & sinceram emat tanquam vitiosam, & minus valentem. Undè generaliter tenendum est hoc principium: *rem non posse vendi suprà suum valorem, nec emi infrà sine injustitiâ propter inæqualitatem, quæ ponitur inter rem, & pretium.*

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An liceat emere Debita à Creditore minoris quam valent?

REsp. & *Dico* 1. Per se loquendo id non licet, cum non sit ratio diminuendi pretium, nisi fortè dilatio solutionis, quæ non est titulus sufficiens, ut patet ex dictis.

Dico 2. per accidens tamen id licitum esse potest, V. G. propter periculum numquam obtinendi solutionem debiti, quià jus V. G. ad mille Florenos tali periculo expositum, communi omnium judicio minoris valere censetur. Hinc ejusmodi debitum 600. vel 700. Florenis pro magnitudine periculi justè emi poterit.

Petes 1. *An possim ordinario pretio vendere debitum, quando privatâ scientiâ novi debitorem non esse solvendo?*

Resp. *negativè*: quià tale debitum nullius videtur valoris, & occultum ejus vitium tegitur.

Petes 2. *An licitè emam pretio minori debitum Chirographum, cujus solutio in se quidem difficilis est, sed non respectu mei, eoquòd V. G. sim valdè familiaris Debitori, & nullo quasi negotio possim ab eo solutionem obtinêre?*

Resp. 1. Certum esse quod possim pretio aliquid detrahere ratione laboris, quem in procuranda solutione subirè debeo.

Resp. 2. Probabilius apparet, quod & illo titulo pretium diminui possit, eoquòd solutio secundùm se sit difficilis & anceps; quià ejusmodi debita communi judicio minoris fiunt.

Nec refert, quod respectu mei cesset omnis molestia; quià hoc tribuendum est meæ fortunæ, V. G.

G. induſtriæ, & equidem Chirographum ſecundùm ſe eſt periculis & moleſtiis obnoxium.

Simile foret, ſi quis venderet agrum, qui non niſi magno labore, & ſumptu fœcundari poſſet: ſiquidem dubium non eſt, quin illum emere poſſim pretio inferiori, & juxtà communem æſtimationem agrorum, ſterilitatis vitio laborantium, quamvis peculiari arte illum facilè fœcundare poſſem.

Obſervandum tamen, quod ejuſmodi emptio talis Chirographi, non numquam repugnaret charitati, quandò nempè venditor eſſet perſona dejectæ fortunæ, & paupertate premeretur.

Obj. 1. Nemo poteſt emere pretio inferiori navim mercibus onuſtam titulo periculi, cui navigatio ſubjicitur, ſi periculum à parte rei non ſubſit: ergo ſimiliter.

Reſp. *diſtinguendo antecedens*, ſi abſentia periculi oriatur ex induſtria Emptoris, & navigatio alioquin ſecundùm ſe periculoſa ſit: *nego*, ſi abſentia periculi oriatur aliundè, ità ut navigatio ſecundùm ſe periculoſa non ſit, *concedo antecedens*.

Obj. 2. Hîc intervenit virtuale lucrum ex mutuo adeòque uſura, quià do V. G. Creditori 80. ut ex ejus Chirographo recipiam 100.

Reſp. *negando aſſumptum*, & dico non dari 80. ut recipiam 100. præcisè vi mutui, ſed titulo Emptionis Chirographi, quod etſi mihi valeat 100., attentis tamen periculis & difficultatibus, quibus ſubjacet, communi judicio non valet niſi 80.

Declaratur in emptione agri ſecundùm ſe ſterilis, quem facili labore fœcundatum altiori pretio divenndam.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

An Proxeneta possit augmentum pretii retinêre?

REsp. & *Dico* 1. Proxeneta, sive ille, cui venditio commissa est determinato pretio, per se non potest retinêre augmentum, si rem pluris vendat.

Ratio est, quià si Proxeneta pluris vendat ultrà pretium justum, tenetur ad restitutionem ipsi Emptori: si autem pluris vendat intrà limites pretii justi, cum illud auctarium sit pretium mercis, & merx pariat fructum suo Domino, tenetur totum tradere principali Venditori, à quo commissionem accepit.

Obj. Principalis vendens præfigit certum pretium: ergo &c.

Resp. *negando consequentiam*, quià limitatio illa tantùm facit, ut Proxeneta nequeat vendere infrà pretium determinatum.

Instabis 1. Quid si Proxeneta non obligetur ad operam, quam præstat?

Resp. vel præcessit conventio de certo stipendio, vel non: si præcesserit, tenetur esse contentus stipendio, casu quo solvatur, si verò non præcesserit, sibi non potest applicare auctarium pretii, cum seclusâ conventione nihil ipsi debeatur ex justitiâ, sed tantùm ex congruo.

Instabis 2. Ejus opera secundùm se est pretio æstimabilis, nec tenetur eam præstare gratis

Resp. inde solùm confici, quod ab exhibitione operæ possit abstinêre, vel pacisci de stipendio: siquidem operæ secundùm se æstimabili nulla merces debetur ex justitiâ secluso pacto, & consensu illius, in cujus gratiam exhibetur.

Dico 2. Potest id aliquando fieri per accidens, in primis si principalis venditor tacitè, vel expres sè consenserit.

Deindè si Proxeneta fiat principalis vendens, puta, si antequam vendat mercem, ferìò eam sibi emat pretio à principali venditore præfixo, & proprio nomine alteri revendat pretio altiori.

Si tamen principalis vendens ei ab initio injunxerit, ut non tantùm non vendat intrà pretium à se determinatum, sed etiam ut conetur pluris vendere, non poterit sibi mercem applicare emendo pretio præfixo sine consensu principalis vendentis, nisi fortè tunc bonâ fide existimet non posse aliis pluris vendi.

Petes 1. *An liceat vendere cum pacto de redimendo, & emere cum pacto de retrovendendo?*

Resp. 1. Certum esse, quod venditor possit apponere clausulam, ut possit eodem pretio redimere, si velit, prout constat ex praxi Redituum. Item ex eo, quod *Levitici* 25. tribuatur facultas redimendi domum urbanam intrà annum.

Imò cum ibidem statuatur, ut prædia rustica redeant tempore Jubilæi ad priorem Dominum, potest etiam paciscì venditor de recuperatione rei suæ certo tempore, nullo pretio refuso; dummodò cum proportione oneris, quod imponit emptori, diminuat pretium rei, quam vendit.

Resp. 2. Spectando jus naturæ potest etiam Emptor apponere clausulam, quâ possit retrovendere certo tempore, itaut venditor teneatur tunc rem suam redimere.

Prob. quià istud onus, quod Venditori imponitur, potest compensari emendo cariùs. Deindè possum paciscì cum uno tertio, ut rem à me hodie emptam, teneatur emere infrà decem annos; ergo possum etiam paciscì cum venditore.

Videan-

Videantur ea, quæ dicta ſunt de emptione censûs redimibilis ex parte emptoris, & venditoris.

Petes 2. *An in caſu reſponſionis primæ poſſit apponi clauſula obligans venditorem ad redimendum pretio altiori, caſu quo redimat?*

Reſp. *affirmativè*, ſi res probabiliter exiſtimetur eo tempore pluris valitura.

Eâdem ratione licitum eſt in caſu ſecundæ reſponſionis apponere clauſulam, quâ teneatur emptor vendere pretio inferiori, ſuppoſito, quod res exiſtimetur eo tempore minoris valitura.

QUÆSTIO VII.

Cui res vendita pereat, deterioretur, & decreſcat?

REſp. & *Dico* 1. Res perit, deterioratur, & decreſcit emptori, ſi ſit illi abſolutè tradita: putà, quià pretium ſolutum eſt, vel pignus, aut fide-juſſor datus, vel venditor fidens emptori pretium pro ſoluto habuit.

Ratio eſt, quià res tunc facta eſt emptoris, & res Domino ſuo perit, accreſcit, &c.

Dico 2. Res jam vendita, ſed nondùm tradita, perit quandoque, deterioratur, & accreſcit emptori: ſcilicet quando res determinata, & in individuo vendita eſt V. G. hic bos &c. & hæc venditio ad ſui perfectionem non requirit numerationem, ponderationem, vel menſurationem rei. Supponitur autem, quod res pereat abſque culpâ venditoris, nec hic fuerit in morâ tradendi, nec aliter conventum ſit.

Ratio eſt, quià licet venditio non transferat dominium in emptorem, eoquòd non ſit facta traditio; rejicit tamen in illum omnia pericula, commoda, & incommoda, ut ſtatuitur in Inſtitutis de emptione, & Venditione §. *cum autem.*

Dico 3. In casu etiam, quandoque perit &c. venditori, scilicet quando res vendita est indeterminata V. G. bos unus è multis, nullum in particulari designando. Item quando res vendita est determinata, sed ad pondus, numerum, aut mensuram, & venditio nondum perfecta est per actualem numerationem, ponderationem, aut mensurationem : ut si emerim acervum tritici, singulis mensuris ad duos florenos æstimatis, & ante mensurationem incendio fortuito pereat: idem est, si emerim hunc gregem boum ad numerum, vel pondus, hanc silvam ad numerum arborum, singulis ad viginti V. G. Florenos æstimatis.

Ratio hujus resolutionis est: quià dum emitur res indeterminata, subintelligitur tacita conditio, *si res per traditionem fiat determinata*. Similiter dum emitur res determinata, sed ad mensuram V. G. subintelligitur ista conditio: *si res mensuretur coram emptore, aut ejus vicem gerente*, ut habetur Leg. *quod sæpè*. ff. de contrahendâ emptione, & venditione § *in his*.

Collige, totum periculum esse Emptoris, si emerit hunc totum gregem ovium, aut totam caveam vini, quantacumque est, independenter ab enumeratione vasorum, aut ovium, & hoc statuitur Lege & §. citatis: periculum verò esse Venditoris, si ex dolio, vel caveâ emeris certa pocula & nondum sit facta mensuratio, ut patet ex locis citatis.

Petes: *Utri tradenda sit res duobus vendita*?

Resp. per se tradenda est priori Emptori, cum ex vi contractûs sit prior jure.

Si tamen tradita sit posteriori, valet traditio, & res fit istius emptoris, cui proindè competit jus eam retinendi: quià prior emptor non erat factus Dominus per solum contractum emptionis, cum ad translationem dominii ordinariè requiratur traditio.

Excipiunt tamen *primò* venditionem factam Ec-

clesiæ,

cleſiæ, aut Civitati, eoquòd habeant privilegium accipiendi dominium per ſolum contractum

Secundò, ſi poſterior Emptor habeat rem ſibi Hypothecatam, ad ſecuritatem contractûs: tunc enim res illi quodammodò eſt devincta.

Tertiò, ſi poſterior emptor ſciverit, rem alteri venditam eſſe, quo caſu, non obſtante quovis privilegio, res priori Emptori tradenda, & poſteriori eripienda eſt, etiam tradita.

QUÆSTIO VIII.

Quid ſit? Et an liceat Monopolium?

REſp. & *Dico* 1. Monopolium generatim eſt *venditio facta ab uno ſolo, vel quaſi ab uno ſolo.* Hinc facere Monopolium dicuntur, qui pauci numero efficiunt, ut certum genus mercium ſoli vendant eo, quo libuerit, pretio.

Dico 2. Paſſim recenſentur quatuor modi, quibus fit Monopolium.

Primus eſt, quando plures Mercatores inter ſe conveniunt, de non vendendis mercibus, niſi pretio tali, & non minori. Huic correſpondet conſpiratio Emptorum, qui conveniunt de non emendis mercibus, niſi pretio tali, & non majori.

Secundus eſt, quando unus, vel pauci emunt omnes merces certi generis eo tempore, quo ſunt in copia, aut in magnâ copiâ apud ſe extantes ſupprimunt, donec aliæ exhauriantur, ut poſteà pro ſuo libitu vendant raritate ſcilicet, & carentiâ per talem coëmptionem, aut ſuppreſſionem inductâ.

Tertius eſt, quando unus, vel pauci impediunt, ne major copia mercium certi generis aliundè in Civitatem inferatur, ut ſuas ejuſdem generis cariùs divendant.

Quartus denique est, quando unus, vel pauci impetrant privilegium à Principe, quo sibi solis liceat certum genus mercium in Patriam, vel Civitatem inferre, aut ibi divendere.

Dico 3. Certum est, primum Monopolii genus esse contrà justitiam, quando fit conventio de venditione suprà justum, vel de emptione infrà illud, propter inæqualitatem inter mercem, & pretium.

Secùs verò dicendum, si fiat conventio de non vendendo nisi pretio summo, vel de non emendo nisi pretio infimo, sed tamen absolutè justo, quià tunc nulla inæqualitas ponitur. Ità *noster Arragonius* de jure, & justitiâ quæst. 77. art. 4.

Obj. 1. Quod aliqui privatâ authoritate cogant alios omnes emere pretio rigido, cedit in oppressionem pauperum, & personarum tenuis conditionis, item in turbationem Reipublicæ.

Resp. propterea in hoc peccari posse contrà charitatem, vel etiam contrà justitiam legalem, non autem contrà justitiam particularem, de quâ hîc loquimur.

Obj. 2. Emptores habent jus emendi pretio infimo, vel medio.

Resp. 1. Venditori etiam competere jus vendendi pretio summo, utpote justo. Quarè

Resp. 2. *distinguendo assumptum*, emptores habent absolutè jus emendi pretio medio, vel infimo, *nego*, liberum est enim venditori quovis pretio justo vendere; habent jus ità emendi, si libuerit venditori aliud pretium non exigere, *concedo assumptum*.

Dico 4. Secundum Monopolii genus est iniquum, & contrà justitiam: undè parit obligationem restituendi excessum pretii justi. Ità *noster Arragonius*

Prob. Quià sic in primis infertur violentia Communitati.

Deindè non est privatorum taxare pretium mercium

cium pro ſuo arbitrio, ſed iſtud ſtatuendum eſt vel à Principe, aut Magiſtratu, vel à communi judicio populi, attentâ copiâ, vel raritate mercium, multitudine, vel paucitate emptorum, &c.

Undè cum in promptu merces ſint in copiá, ut ſupponitur, & ad venditionem quidem deſtinatæ, non poſſunt vendi niſi pretio eodem, quo aliàs venderentur, ſi illa ſuppreſſio, vel ſtudioſa coemptio non eſſet adhibita, vel ſi omnes merces forent inter omnes mercatores diviſæ: ſiquidem paucitas venditorum non inducit caritatem, ſed raritas mercium &c.

Appoſitè S. *Ambroſius* l. 3. officiorum cap. 6. ſcribit: *Patrocinium hoc, an fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinii tempora, quibus in viſceribus hominum durus inſidiator obrepas. Augetur pretium tanquam ſorte cumulatum fœnoris, quo periculum capitis acervatur. Tibi conditæ frugis multiplicatur uſura, tu frumentum quaſi fœnerator occultas, quaſi venditor auctionaris. Quid imprecaris malè omnibus, quià major futura eſt fames, quaſi nihil frugum ſuperſit, quaſi infœcundior annus ſequatur. Lucrum tuum damnum publicum eſt. Joſeph Sanctus omnibus aperuit horrea, non clauſit: nec pretia captavit annonæ, ſed perenne ſubſidium collocavit.*

Obj. Illi mercatores non tenentur ſtatim vendere ſuas merces, ſed eas poſſunt in illud tempus reſervare, vel quoad partem, vel quoad totum.

Reſp. *negando ſuppoſitum*, quod ejuſmodi mercatores nolint ſuas merces hîc, & nunc vendere, quamquam enim ea ſupprimant quoad majorem partem V. G. tamen parati ſunt diſtrahere pretio illo exceſſivo, quod intendunt, caſu quo pretium illud, non obſtante præſenti copiâ mercium, obtinêre poſſent: hinc quod hîc, & nunc non diſtrahant, non oritur ex defectu animi vendendi, ſicut

V.

V. G. quando aliquis prævidens futuram raritatem ſiliginis infrà annum, differt venditionem ad iſtud tempus, quo ſiligo futura ſit rarior, & majori pretio juſto æſtimabilis, ſed potius ex defectu animi vendendi pretio juſto, ſive quià vident ſe non accepturos pretium illud exceſſivum, quod intendunt, caſu quo merces omnes venales exponant.

Deindè præfati Mercatores, etſi non teneantur merces ſuas jam vendere, tenentur tamen, ſi vendant, non exigere niſi pretium, quod attentâ talium mercium copiâ, quæ apud illos latet, ſtatui deberet, ſi inter plures Mercatores forent diviſæ; nec poſſunt differre venditionem eo animo, ut per hoc pretium augeatur.

Dico 5. Genus tertium Monopolii, ſuppoſitâ fraude, aut violentiâ, etiam eſt contrà juſtitiam.

Ratio eſt, quià Mercatores volentes inferre merces in Civitatem V. G. habent jus, ut per vim, aut dolum non impediantur. Similiter Communitas habet jus, ut vi, vel fraude non cogatur emere pretio altiori quam aliàs emeret, ſi plures merces ejuſdem generis in civitatem inferrentur.

Igitur propter gravamen eſt obligatio reſtituendi Communitati, quæ carius emit, ipſis verò Mercatoribus, in quantùm patiuntur damnum ex eo, quod prohibeantur ſuas merces in Civitatem invehere.

Dico 6. Genus quartum Monopolii, ſeu potius privilegium Principis non eſt contrà juſtitiam, ſi Princeps taxet pretium juſtum, & illud non excedatur, imò poteſt concedi à Principe ex causâ rationabili, V. G. in præmium meritorum. Item ſi in procurando certo genere mercium oporteat ſubire magnas expenſas, & pericula, quibus Mercatores nollent ſe exponere, niſi accepto ſimili privilegio, eoquòd nullo lucro, & fortè magno diſpendio id facerent, ſi idem mercandi genus aliis permitteretur.

CA-

CAPUT X.

De Testamentis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ultima voluntas?

RESP. & *Dico* 1. Ultima voluntas est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis vult post mortem suam fieri.

Communiter recensentur hæ quasi species, scilicet *Testamentum*, *Codicillus*, *Legatum*, *fidei-commissum*, & *Donatio mortis causâ*.

Dico 2. *Testamentum* est voluntatis nostræ sententia, quâ hæres immediatè instituitur, directè quidem, & ex propriâ talis dispositionis naturâ, non autem ex privilegio: quod ultimum addo, ut excludatur *Codicillus militis*, quo ex speciali privilegio potest directè hæres institui: ut patet ex Lege *Militis*. De Testamento militari.

Porrò Testamentum requirit septem testes rogatos, masculos, puberes, & subscribentes.

Excipitur tamen Testamentum militare. Item ruri, vel coram Principe factum.

Excipitur etiam Testamentum inter liberos, ad quod solùm requiruntur duo testes, possuntque esse fœminæ, nec debent esse rogati, aut subscribere.

Dico 3. *Codicillus* est ultimæ voluntatis dispositio, quâ circà Testamentum aliquid explicatur, demitur, additur, aut aliter immutatur absque hæredis institutione. Requirit quinque testes non necessariò rogatos, inter quos possunt etiam esse mulieres.

Dico 4. *Fidei commissum* est ultimæ voluntatis dispositio, quâ Testator sui hæredis fidei aliquid committit tradendum alteri. Numerus legitimus testium fidei-commissi est quinarius, ut habetur Instit. *de fidei-commissariis hæreditatibus* §. Ultimo.

Sumitur etiam fidei-commissum pro ipsâ re, quæ fidei hæredis committitur tradenda alteri.

Dico 5. *Legatum* est ultimæ voluntatis dispositio, quâ Testator ex eo, quod universim hæredis foret, aliquid alteri directis verbis confert. Sumitur etiam Legatum pro re legata.

QUÆSTIO II.

An, & quomodò Testamenta ad pias causas valeant solemnitatibus juris destituta?

Nota, quod nomine causæ piæ intelligantur *Ecclesia*, *Pauperes*, *Monasterium*, &c.

Resp. & *Dico* 1 Testamentum ad pias causas valet independenter à solemnitatibus Jure Civili requisitis: undè non requirit V. G. septem testes, nec omnes masculos, subscribentes, aut rogatos &c.

Prob. Ex Cap. *Relatum*. 1. de Testamentis, in quo *Alexander* III. ità scribit: *Relatum est, quod cum ad vestrum examen super relictis Ecclesiæ causa deducitur, vos nisi septem, vel quinque idonei testes intervenerint, indè postponitis judicare* &c. *Mandamus, quatenùs cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundùm leges, sed secundùm decretorum Statuta tractetis, tribus, vel duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est, in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.*

Dico 2. Præfata assertio extendenda est ad quævis Legata, & quamlibet ultimam voluntatem ad pias causas: quià Capitulum citatum non restringit

git præcisè ad Testamenta, sed universim agit de omni ultimâ voluntate ad causas pias, ut patet legenti.

Dico 3. Ultimæ voluntates ad pias causas non requirunt duos, tresve testes, ut valeant in foro conscientiæ, sed tantùm ut valeant in foro externo: hinc, si ponantur omnia, quæ Jus naturæ postulat, licet nullus testis adsit, Testamenta ad pias causas sunt in foro conscientiæ valida

Prob. quià Ecclesia non declarat ejusmodi Testamenta irrita, sed tantùm requirit duos, tresve testes, ut possit ferri sententia in judicio, ut patet rursum legenti Capitulum.

Obj. Testamenta illa per jus civile irritantur.

Resp. hoc nihil obstare, quià in similibus causis Leges Civiles non debent attendi, ut Capitulo citato dicitur, nec possunt vim obtinêre, ad impedienda opera pia in salutem animarum vergentia. Ex his

Collige 1. Testamentum ad pias causas valêre in foro externo, independenter à præsentia, & subscriptione Parochi, aut Notarii, modò adsint duo testes: in foro autem conscientiæ etiam sinè teste. Hinc tenetur hæres in conscientiâ solvere Legata pia, dum illi quovis modo sufficienter constat eam esse voluntatem defuncti V. G. per schedam propriâ ejus manu signatam, per auditum, &c.

Collige 2. Testamentum, licet ad causas profanas, ob defectum solemnitatum irritum, valêre quoad Legata pia.

Collige 3. Testamentum solemne quodcumque prius factum invalidari per posterius non solemne ad causas pias, dummodò hoc sit validum.

Collige 4. Ultimam dispositionem Captatoriam, ut vocant, quâ Testator suam voluntatem alterius dispositioni committit, valêre ad pias causas: quià

talis

talis ultima disposition solo jure civili irritatur ; & Jure naturali , aut etiam Canonico est sufficiens. Dicitur namque Cap *Cum tibi.* de Testamentis , *qui externam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.*

QUÆSTIO III.

An Testamenta solemnitatibus destituta valeant ad causas profanas ?

Nota, quod certum sit talia Testamenta non valêre in foro externo hoc sensu , quod hæredi sic instituto detur actio in foro externo. Undè quæritur hîc potissimùm , an valeant in foro conscientiæ, nec ne?

Resp. & *Dico*, utraque sententia est valdè, & ferè æquè probabilis , ut patet consideranti earum fundamenta : undè vix aliquid certi statui potest pro alterutrâ : Interim

Magis placet opinio negans, quam egregiè defendunt Magistri nostri *Petrus Arragonius*, & *Michaël Salonius*. Ille quæst. 62. de dominio. Hic verò quæst 5.

Et ratio est, quià talia Testamenta indubiè possunt per leges irritari ob periculum fraudis, & de facto absolutè irritantur , undè perindè haberi debent nulla in foro conscientiæ, ac Matrimonia Clandestina, Donationes pupillorum , aut etiam eorum, quibus interdictum est bonis, absque authoritate Tutoris factæ, cum sit par ratio : siquidem hæc ideò præcisè habentur nulla, etiam in foro conscientiæ, quià per leges absolutè irritantur.

Porrò Testamenta non solemnia per leges irritari, constat ex §. 7. Instit. quibus modis Testamenta infirmentur, ubi dicitur : *imperfectum Testamentum sine dubio nullum est.* Deindè ex Leg. *hac consultissima*,

ma. Cod. de Testamentis. Prætereà ex Leg. *si unus.* Codice eodem, quæ sic se habet : *si unus de septem testibus defuerit, vel coram testatore omnes eodem loco suo, vel alieno annulo non signaverint, jure deficit testamentum.* Igitur sicut Matrimonia Clandestina, & Donationes pupillorum, sine consensu Tutorum factæ, nullæ sunt, & in foro conscientiæ robore carent, ità Testamenta quoque solemnitatibus juris destituta.

Obj. 1. Quidni leges intelligantur de nullitate in foro externo, & hoc sensu, quod Testamentum solemnitatibus destitutum, non habeat fidem in judicio, & hæredi sic instituto negetur actio?

Resp. leges loqui absolutè, quod sufficit. Aliàs enim dicam, donationes pupillorum, & eorum quibus bonis interdictum est, propriâ authoritate factas non irritari nisi in foro externo, itaut tantùm negetur actio Donatario.

Itàque jura non solùm denegant actionem hæredi per Testamentum non solemne instituto, sed ipsum Testamentum annullant, imò etiam positivè hæreditatem adjudicant alteri, ut patet ex Leg. *Hac consultissima.* Cod. de Testamentis: *ex imperfecto autem Testamento voluntatem tenêri defuncti, nisi inter solos liberos à parentibus utriusque sexûs habeatur, non volumus. Sin verò in hujusmodi voluntate liberis alia sit extranea mixta persona, certum est eam voluntatem defuncti, quantùm ad illam dumtaxat per mixtam personam pro nullo habêri, sed liberis adcrescere.*

Obj. 2. Nemo potest privari facultate disponendi de rebus suis absque culpâ.

Resp. *negando assumptum*, & *Dico*, sufficere, quod hoc interfit boni publici, ut scilicet fraudes evitentur. Patet in præscriptione bonæ fidei, quæ privat Dominum re suâ absque culpâ. Item in Testamento impu-

impuberum, quod nullum esse absque dispensatione Principis, fatentur omnes. Idem reperitur in Matrinio clandestino.

Obj. 3. Instit de rerum divisione §. *per traditionem.* dicitur: *Nihil tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem Domini volentis, rem suam in alium transferri, ratam habêri.*

Resp. hoc intelligi debêre de voluntate legibus conformi, & cui jura non resistunt, ut patet rursus in Testamento impuberum, & Matrimonio clandestino. Eodem modo explicandum, quod dicitur in authentica de nuptiis. Collatione 4. cap. 4. *ubique custodiri morientium volumus voluntates.*

Obj. 4. Saltem valet Testamentum non solemne in foro conscientiæ, quando initum est absque fraude, & dolo: ad vitandas quippè fraudes solùm requiruntur solemnitates.

Resp. *negando assumptum*: licet enim in aliquo particulari casu non subsit fraus, & dolus, satis est, quod potuerit subesse. Siquidem lex irritans Testamenta non solemnia ad vitandas fraudes, attendit ea, quæ communiter fieri possunt. Neque sufficit finem Legis cessare in aliquo particulari casu, ut cesset lex, sed debet cessare in communi, ut dictum est in Tractatu *De Legibus.*

Instabis, quando non subest fraus, aut dolus, lex falsâ nititur præsumptione.

Resp. *negando assumptum*, lex enim non irritat Testamenta non solemnia, quià præsumit in quolibet casu subesse fraudem; sed potius quià præsumit, communiter subesse posse, quod verum est, licet in aliquo particulari casu non subsit, aut etiam fortè non potuerit subesse.

Obj. 5. Jure naturæ tantùm requiruntur duo testes, atqui leges nihil possunt contrà jus naturæ, ergo &c.

Resp.

Resp. jure naturæ ne quidem duos testes requiri, sed sufficere, quod constet de mente Testatoris V. G. per propriam Scripturam.

Ex quo apparet, jus naturæ in hac materiâ non esse præceptivum, sed permissivum: quià aliàs jura ne quidem possent requirere duos testes ad valorem Testamenti, cum nequeant agere contrà jus naturæ præceptivum.

Quare *ad minorem dico*, Leges posse disponere contrà jus naturæ permissivum, ut evidens est in Testamento impuberum, & Matrimonio clandestino, quæ per leges irritantur, quamvis nihil possint contrà jus naturæ præceptivum.

Obj. 6. Cap. *Cum esses.* de Testamentis *Alexander* III. interrogatus de consuetudine in Episcopatu Ostiensi, quod Testamenta absque subscriptione septem, vel quinque testium facta rescinderentur, ità statuit: *quià verò à Divinâ Lege, & Sanctorum Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine id noscitur esse alienum, cum scriptum sit, in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, præscriptam consuetudinem improbamus, & Testamenta, quæ Parochiani coram Presbytero suo, & duobus, vel tribus personis aliis idoneis in extremâ fecerunt voluntate, firma decernimus permanêre, sub interminatione Anathematis inhibentes, ne quis hujusmodi audeat rescindere Testamenta.*

Resp. hoc argumentum nimium probare, scilicet quod Testamenta non solemnia ne quidem in judicio, & foro externo possint rescindi: agit enim Pontifex de rescissione per judicem.

Quarè dico, Pontificem loqui de Testamentis ad pias causas: vel sanè tantùm constituere, quod in territorio temporaliter sibi subjecto, quale erat Episcopatûs Ostiensis, observari volebat: nam in causis profanis potestatem civilem limitare non potest in alio territorio.

Quod

Quod autem dicat, præfatam consuetudinem à divinâ lege &c. esse alienam, non obest: per hoc enim intendit tantùm significare, quod secundùm Legem Divinam possent sufficere duo, vel tres testes, si Princeps ad quem spectat Testamentorum solemnitatem constituere, ità vellet, minimè verò quod plures requirere nequeat, præsertim ex causâ rationabili.

QUÆSTIO IV.

Expediuntur cætera hæc spectantia.

PEtes 1. *An hæres in conscientiâ teneatur tradere fidei-commissum, antequam illud agnoverit, id est, antequam fateatur sibi esse à testatore impositum?* Supponitur autem impositum sine testibus.

Resp. tenêri. Ratio est, quià solemnitas testium non requiritur ad valorem talis fidei-commissi, idem est de Legato; sed in foro conscientiæ sufficit voluntas Testatoris sufficienter manifestata hæredi; nec requiritur propria hujus confessio, nisi pro foro externo. Siquidem Instit. de fidei-commissariis hæreditatibus §. ultimo hæres *dicitur perfidus*, si interrogatus de voluntate Testatoris eam neget. Hæc autem fidei commissa, & legata etiam in foro externo sunt valida independenter à solemnitate testium, quià tunc non subest periculum fictionis.

Petes 2. *An Testamentum possit revocari ante mortem?*

Resp. per se posse revocari semper: id enim jure gentium, & communi hominum usu conceditur Testatori, ac propterea voluntas hominis dicitur usque ad mortem ambulatoria.

Si tamen testator juraverit se non revocaturum, per accidens tenetur stare juramento.

Et

Et quamvis stipulatio de Testamento non revocando in jure civili dicatur esse contrà bonos mores, nihil obest, cum ad summum sit contrà bonos mores civiles, non contrà naturales & in foro conscientiæ.

Petes 3. *Quid si Testator juret, se non revocaturum Testamentum, & tamen postea revocet?*

Resp. talem revocationem esse illicitam, & verum perjurium; non tamen contrà justitiam, si juramentum factum sit quodammodò soli Deo, & non instar promissionis juratæ ipsi hæredi: quià nullum jus erat acquisitum hæredi, cum Testamentum non sit promissio dandæ hæreditatis, sed liberalis Donatio, antè mortem revocabilis, & juramentum per se non obliget nisi ex Religione: quarè juramentum in tali casu habet se instar voti.

Idem cense, si facta sit promissio jurata de non revocando, quam hæres non acceptavit, vel non admisit, puta, quià nescivit, vel recusavit, aut remisit.

Si autem promissio jurata sit ab hærede acceptata, Testamentum validè revocabitur, sed cum injuria prioris hæredis. Undè hæres posterior, etsi morte Testatoris fiat Dominus hæreditatis, tenebitur tamen ex justitiâ eam tradere priori, non quidem ut hæredi, sed ut Creditori, cui Testator vi suæ promissionis obstringitur.

Porrò validam esse revocationem, constat, quià per postremum Testamentum, prioris revocatorium, Testator disponit de re adhuc suâ, eamque ut suam hæredi posteriùs, suppositâ morte, assumpto, tradit.

Esse autem contrà justitiam, etiam ostenditur ex eo, quod promissio obliget ex justitiâ, & tribuat jus promissario. Talis tamen promissio non tribuit actionem in foro civili, ut colligitur ex Leg. 61. ff. *de ver-*

verborum obligationibus, & Leg. 24. Codice *de transactionibus.*

Imò cum jus Civile videatur non tantùm denegare actionem, sed insuper promissionem irritare, non est usque adeò certum, quod promissio talis obliget in conscientiâ, secundùm dicta articulo præcedenti de nullitate Testamenti non solemnis in foro conscientiæ. Potuit autem jus civile tales promissiones ex causâ rationabili irritare, ne scilicet mors testatoris fortè procuretur ab illo, cui promissio facta est.

Petes 4. *An ultima voluntas defuncti possit ab alio mutari?*

Resp. id juxtà *Trid.* sess. 22. cap. 26. de reformatione fieri non posse absque justâ causâ. Potest tamen ex causâ legitimâ, V. G. si ultima voluntas non possit implêri eo modo, quo Testator voluit, modò fiat authoritate publicâ, à Magistratu quidem quoad ultimas voluntates ad causas profanas: Si verò ad causas pias, ab Ecclesiâ.

Et in hoc eventu pertinet ad Episcopos prævie cognoscere, utrum in precibus, quæ pro impetranda commutatione allegantur, non taceatur veritas, aut falsitas misceatur, ut habetur in *Trid.* loco citato.

Qui possint testari, & hæredes esse, apud authores vidêri potest. Obiter tamen hîc advertendum, Religiosos non posse esse executores Testamentorum absque licentia Superioris, ut constat ex Capitulo 2. *de Testamentis* in sexto, & Clementinâ unicâ, eodem titulo.

Porrò sufficit respectu nostrûm licentia Prioris provincialis, juxtà caput 15. partis 3. nostrarum Constitutionum.

CA-

CAPUT XI.

De Tributis, & Vectigalibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid Tributum? Et quomodò juſtè exigi queat?

RESp. & *Dico* 1. *Tributum*, & *Vectigal* quandoque accipiuntur generatim, & ità latè, ut pro eodem ſumantur, & tunc ſignificant omne illud, quod à privatis ſolvitur Principi, aut Reipublicæ ad ſuſtentationem, & communia onera ferenda.

Quandoque verò ſpeciatim, itaut tributum ſit penſio Subditis impoſita juxtà cujuſque media, præſertim prædialia, ad Principis dignitatem, & onera communia ferenda.

Vectigal autem penſio pro rebus, quæ in civitatem, vel Provinciam adferuntur, vel efferuntur, ſolvenda, vel pro tranſvectione mercium per pontes, & flumina, vel pro tranſitu per viam, aut locum ratione cuſtodiæ, protectionis, vel reparationis viarum &c. quod pro tranſvectione mercium penditur, dicitur *portorium*, quod pro tranſitu, *pedagium*, quod pro ducatu, ſive protectione *quidagium*.

Tributum ſpeciatim acceptum aliter nuncupatur *impoſitio*, & *collecta*.

Vectigal ſpeciatim acceptum etiam gabella nuncupatur, licet hoc nomen etiam quandoque ſumatur pro Tributo generatim accepto.

Dico 2. Certum eſt, Tributa poſſe legitimè imponi, ut conſtat ex *Apoſtolo* ad Rom. 13. item ex eo, quod poſſint ſubeſſe cauſæ legitimæ.

Dico 3. Quatuor conditiones exigi ſolent ad juſtitiam Tributi.

Prima eſt, ut ſit authoritas in imponente.

Secunda, ut imponatur ex causâ rationabili, ſcilicet vel in ſuſtentationem Principis, qui in Reipublicæ tranquillitatem incumbit, vel ob utilitatem, neceſſitatemque Rcipublicæ, V. G. ad conſcribendum militem, &c.

Tertia, ut in modo imponendi ſervetur proportio reſpectu ſtatûs cujuſque, & graventur divites magis, quam pauperes, nec aliquis eximatur abſque causâ, & pro arbitrio Principis.

Quarta, ut pro majori parte rebus ad uſum vitæ humanæ, & familiæ ſuſtentationem non neceſſariis, quoad fieri poteſt, imponatur, V. G. *ſericis*, *vinis*, & aliis ejuſmodi, quæ divitibus ad pompam, & oblectationem ſervire ſolent, ne alioquin pauperes æqualiter, aut fortè magis graventur.

His adde, quod tributum non debeat eſſe majus, magiſque diuturnum, quam cauſa requirit, aliàs tenebitur exactor ad reſtitutionem.

Eâdem reſtitutionis lege obſtringitur Princeps, qui tributum in uſus publicos collectum, uſibus propriis, aut alienis, vel etiam inutilibus applicat.

QUÆSTIO II.

Nonnulla huc pertinentia reſolvuntur.

PEtes 1. *An vectigal poſſit imponi rebus, quæ proprii uſûs causâ, & non ad negotiationem invehuntur?*

Reſp. id ſeclusâ neceſſitate prohibêri Cap. *Quamquam.* de cenſibus in ſexto. Et Leg. *Univerſi.* Cod. de Vectigalibus. Idem eſt de illis, quæ evehuntur ſeminandi, aut ruris excolendi gratiâ,

Petes

Petes 2. *An solutio tributorum, & vectigalium obliget in conscientiâ?*

Resp. *affirmativè*: constat ex verbis *Apostoli* ad Rom. 13. v. 5. & 6. *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideò enim & Tributa præstatis, &c.*

Ratio est, quià par est, ut Communitas præstet Principi subsidia sustentationi illius, & Reipublicæ saluti necessaria, quod fit per solutionem Tributorum. Imò Communitas ad hoc obligatur ex tacito contractu cum Principe, quandoquidem Princeps viciſſim obligetur ex justitiâ ad curandam Reipublicæ incolumitatem. Ex quo

Collige, defraudatorem vectigalium, aut Tributorum, si justa fuerint, ad restitutionem obligari.

Deindè Tributum obligare ante exactionem: neque enim imponitur instar pœnæ, sed exigitur ut debitum, nullâ culpâ præsuppositâ.

Quarè falluntur, qui dicunt, leges Tributarias esse pœnales: quamvis enim lex, quâ exigitur mulcta à Defraudatore Tributorum, culpam præsupponat, ideòque sit pœnalis, nec obliget in conscientiâ ante exactionem, neutiquam tamen id verificari potest de lege, quâ tributum imponitur.

Obj. 1. Quid si exactores Tributorum soleant remittere, & dicere, sibi satis esse, quod mulcta pendatur à defraudatore deprehenso?

Resp. tunc exceptionem esse, modò tamen exactor Tributorum habeat authoritatem remittendi, ut si jus omne ad Tributum à Principe emerit, ut in aliquibus locis fieri solet: aliàs si authoritatem non habeat, tributa erunt in foro conscientiæ præstanda.

Obj. 2. Quid si vectigalia sint apertè injusta?

Resp. tunc non obligare. Hoc etiam aliqui extendunt ad casum dubii de justitiâ vectigalium, eo-

quòd in dubio sit melior conditio possidentis. Verùm existimo tali casu præsumendum esse pro lege Principis, & pro illius judicio standum, cum & ipse sit in possessione potestatis legislativæ. Saltem hoc habetur pro indubitato, quando vectigal non est novum, sed antiquum.

Petes 3. *An, si quis emat à Mercatore, quem scit vectigal defraudasse, teneatur, eo non solvente, solvere?*

Resp. *negativè*: quiâ vectigal non est onus reale, sed personale, immediatè adhærens personæ Mercatoris, qui mercem vendidit: neque enim merx ipsa debet vectigal, sed Mercator.

Petes 4. *An Ecclesiastici à Tributis, & Vectigalibus eximantur?*

Resp. certò eximi, ut constat ex Jure Ecclesiastico, & Civili.

Utrum autem, quod parùm ad praxim facit, eximantur jure non solùm humano, sed etiam Divino, controvertitur, de quo vide Capitulum *Quamquam*. de censibus, in sexto.

Interim Ecclesiasticorum exemptio probatur ex SS. Litteris.

Genesis 46. *Joseph* eum totam *Ægypti* terram Regi obligasset, & Tributariam, sive Vectigalem fecisset, Sacerdotum terram excepit, quam voluit esse liberam.

Deindè *primo Esdræ* 7. excepti sunt Sacerdotes, & Levitæ à Lege solvendi Tributa Regi Persarum.

Prætereà *Matthæi* 17. v. 25. 26. cum objiceretur Apostolis, quarè censum Augusto Imperatori, sicuti cæteri, non penderent, cumque Christus interrogasset Apostolos, à quibus Reges terræ accipiant Tributum, & censum, à filiis suis, an ab alienis? dicente Petro: *ab alienis*; intulit ipse Dominus: *ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, tolle, & da*

pro

pro me, & te Christus igitur excepit ab obligatione solvendi ex justitia & se, & *Petrum*, cui Ecclesiam gubernandam commiserat.

Denique in *Trid.* sess. 25. cap. 20. de reformatione dicitur: *immunitas hæc Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus est instituta.*

Interim sunt certi casus, quibus non eximuntur.

Primò, si negotiationem exerceant: non enim sunt immunes respectu eorum, quæ ad lucrum vendunt, & emunt.

Secundò, si acquirant bona aliqua, certo onere, V. G. solvendi censum Principi, vel vias publicas reparandi, ante acquisitionem affecta: res quippe transit ad emptorem cum suo onere.

Tertiò, si assumant habitum Clericalem animo non persistendi in Clericatu, sed in fraudem Vectigalium.

Quartò, si necessitas postulet, & facultas exigendi ab eis tributa concedatur à Superiore, V. G. à summo Pontifice.

Quintò, si causa exactionis Tributi concernat principaliter Ecclesiasticos: ut si agatur de obstruendo flumine, à quo aliàs submergendi sunt agri vicini Clericorum.

Petes 5. *Quinam intelligantur nomine Ecclesiasticorum, dum hi à Tributis dicuntur immunes?*

Resp. intelligi omnes Ecclesias, pia loca, ut Hospitalia in Eleëmosynas, & sustentationem pauperum erecta, Religiosos, & Moniales, eorumque Novitios, item Clericos omnes, dummodò sint vel in majoribus constituti, vel Beneficio Ecclesiastico potiantur.

De Clerico non Beneficiato, nec in Majoribus constituto, sed vel minoribus tantùm, aut sola primâ Tonsurâ initiato, dubium est, interim quià verus Clericus est, videtur hîc etiam comprehendi, si observet ea, quæ statuuntur in *Trid.* sess. 23. cap. 6. de reformatio-

matione. Plura de his vidêri poſſunt apud *Paulum Comitolum* l. 6. Moralium reſponſionum quæſt. 20.

Petes 6. *An poſſit Princeps taxare vinum, & triticum per ſingulos annos ab Eccleſiaſticis conſumendum?*

Reſp. talem conſuetudinem contrariam eſſe privilegiis Immunitatis Eccleſiaſticæ, adverſus quæ nullo tempore præſcribi poteſt, ut conſtat ex authentica *Frederici* Imperatoris dicentis: *Caſſa, & irrita omnia ſtatuta, & conſuetudines contrà libertatem Eccleſiæ, ejuſque perſonas:* Cod. de Sacro-Sanctis Eccleſiis, titulo 2. Lege prima.

Petes 7. *Quis habeat poteſtatem imponendi tributa?*

Reſp. eam habêre Principem, & omnem illum, cui poteſtas ſuprema, & quaſi Regalis competit. Item qui ex vi conſuetudinis, de cujus initio non eſt memoria, imponit. Conſtat ex Cap. *Super quibuſdam.* De verborum ſignificatione.

Eadem poteſtas competit Pontifici indirectè reſpectu Chriſtianorum, quatenùs ad defenſionem Eccleſiæ, & orbis Chriſtiani, nec non ad animarum regimen eſt neceſſaria.

Quid poſſit, & non poſſit Epiſcopus exigere à Clerico, & populo fideli, vide causâ decimâ quæſt. 3. Can. *Quià cognovimus.* & Cap. *Cum Apoſtolus.* de cenſibus. §. *prohibemus.*

CAPUT XII.

De Justitiâ servandâ in Judiciis publicis.

QUÆSTIO I.

An liceat Christiano litem instituere in judicio?

Nota, nos hîc ante omnia supponere, licitum esse judicium publicum: tum quià juris pronuntiatio est actus justitiæ; tum quià *Apostolus* 1. ad Corinth. 6. v. 5. id manifestè innuit dicens: *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare fratrem suum*? Hoc posito

Resp. & *Dico* 1. Per se licitum est Christiano litem in judicio instituere. Hinc *Apostolus Paulus* Actorum 25. v. 11. ad Cæsarem appellavit. Et rationi difforme non est, quod suum quisque jus à Superiore postulet.

Dico 2. Nisi tamen causa gravis excusset, ut est V. G. necessitas familiæ, defensio propriæ vitæ, bonorum Ecclesiæ, aut Communitatis, viduarum, Pupillorum, &c. non vacat omni culpâ litigare.

Id S. *Aug.* Enchiridii cap. 78. disertè tradit ex Apostolo 1. ad Corinth. 6. v. 7. dicente: *Jam quidem omninò delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quarè non magis injuriam accipitis? Quarè non magis fraudem patimini*? Hinc addit Sanctus Doctor, quod Ecclesia talia judicia exercêri permittat ob infirmitatem hominum, & secundùm veniam, id est, non ut rem licitam, sed veluti minus malum ad evitandum majus, & quod propter

hæc, & ejuſmodi peccata debeamus crebrò dicere: *dimitte nobis debita noſtra.*

Obj. Apoſtolus eos tantùm redarguit, qui inſtituunt lites contrà juſtitiam.

Reſp. *negando aſſumptum*, ſiquidem ne quiſquam hoc ità excuſaret, ut diceret, juſtum ſe habêre negotium, & iniquitatem ſe pati, quam velit à ſe per Judicum ſententiam removêri, continuò talibus cogitationibus, vel excuſationibus occurrit *Auguſtinus*, & ait: *Quarè non magis iniquitatem patimini? Quarè non potius fraudamini? Ut ad illud redeatur, quod ait Dominus: ſi quis voluerit tunicam tuam tollere, & judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium.* Et alio loco, *qui abſtulerit*, inquit, *tua, noli repetere.*

Et verò quamvis non ſit contrà juſtitiam res verè ſuas, aut ſibi debitas in judicio proſequi, eoquòd utamur jure noſtro, quià tamen plerumque agnata ſunt pericula ſpiritualia, ſcilicet quod inordinato rerum temporalium affectu litigemus, & ex litibus aliquando oriantur magnæ diſtractiones, judicia temeraria, affectus vindictæ, imprecationes peſſimæ, inimicitiæ, rixæ utrimque contumelioſæ, pugnæ, perpetua fraternæ pacis, & charitatis jactura &c. non eſt ab omni peccato alterius rationis excuſandus, qui citrà gravem, & rationabilem cauſam id aggreditur.

QUÆSTIO II.

An in Judice requiratur authoritas?

REſp. & *Dico*, ut valida ſit ſententia, requiritur authoritas in Judice.

Conſtat omnium conſenſu: item ex eo, quod ſententia Judicis ſit inſtar legis particularis, ut ait S. *Thomas*

mas 2. 2. quæst. 67. art. 1. in Corp. lex autem absque authoritate non fertur, & non nisi in subditum.

Porrò quatuor titulis subjicimur judici: *primò*, propter potestatem ejus ordinariam. *Secundò*, propter delegatam. *Tertiò*, ex consensu partium sese alicui tanquam arbitro submittentium. *Quartò*, propter delictum in loco extraneo perpetratum; uti & ratione contractûs, domicilii, aut etiam rei, de quâ movetur contrà possessorem quæstio: nam etiam ob similia sortimur alibi forum, ut vocant. Constat ex capitulo ultimo de foro competenti.

Addunt etiam communiter, quod ratione injuriæ subdito alterius Principis illatæ, si proprius judex officio suo fungi, & ad præstandam satisfactionem compellere nolit, reus subjiciatur Principi injuriam passi, ita ut Princeps possit eum suâ authoritate ad satisfactionem cogere. Ex dictis

Collige 1. Judicem absque authoritate judicantem, quià alienam potestatem usurpat, peccare tum in personam, quam judicat, tum in Superiorem ejusdem, ac utrique esse injuriosum.

Quâ ratione delinquunt judices laici judicantes Clericos etiam in civilibus, utpote ab eorum Tribunali exemptos. De hoc vide Capitulum *si diligenti.* de foro competenti. Item Concilium Constantiense sess. 8. & *Trid.* sess. 25. cap. 20. de Reformatione.

Neque possunt Clerici huic privilegio renuntiare; cum non sit personale, sed publicum, & in favorem totius Ordinis Clericalis datum, ut expressè dicitur capitulo jam citato. Possunt tamen se subjicere laico tanquam arbitro, imò etiam indirectè tanquam judici ordinario, in quantùm possunt laicos ad judicium laicorum velut actores pertrahere.

Collige 2. Nullas, & irritas esse sententias Tyranni, qui absque titulo justo Rempublicam invasit, supposito quod nondum pacificè toleretur.

Si autem toleretur pacificè, eoquòd V. G. non possit ei amplius resisti, valent ejus sententiæ, non quidem quatenùs ab illo promanant, cum sit usurpator potestatis alienæ, & superior illegitimus, sed quatenùs tacitè approbantur à Republica ad vitanda graviſſima incommoda, id est, ne durante toto illo tempore regimen publicum cesset, & non sit, qui mitiam regat, vel jus dicat; atque hæc est ratio, cur tunc non peccent subditi jus ab illo petendo, quamvis interim ipse peccet jus dicendo: utuntur quippe jure suo, & ex causâ rationabili peccatum Tyranni permittunt.

Collige 3. Sententiam judicis excommunicati non tolerati, id est, cum quo non possumus communicare, nullam esse, cum sit privatus usu suæ jurisdictionis; si autem toleretur, valet.

Cæterùm quamvis ejus subditi ex causâ rationabili petentes, ut jus dicat, à peccato excusentur, peccat tamen ipse, si non rogatus se ingerat, licet occultà excommunicatione laboret. Ratio est, quià Ecclesia solùm permittit communicare cum excommunicato tolerato in favorem innocentium, sive non excommunicatorum, qui cum illo communicare volunt, ut scilicet evitentur scrupuli, & scandala, ipsum verò excommunicatum in quoquam relevare non intendit, ut expressè habetur in Constitutione *Martini* V. quæ incipit: *Ad evitanda*. Et passim citatur ex *Concilio Constantiensi*, & refertur à *S. Antonino* tertiâ parte, titulo 25. capite 2. Item ex *Concilio Basileensi* sess. 28. Hinc subditus potest ejusmodi excommunicatum, si ad jus dicendum se ingerat, rejicere, & contrà eundem excipere.

Petes 1. *Undè constet, valere sententiam, & acta judicis excommunicati, & tolerati?*

Resp. hoc constare ex constitutione *Martini* V. jam citatâ, in quâ permittitur omnibus talem excommunicatum

municatum adire in quibusdam actionibus, etiam publicis: frustrà enim aditur judex, qui jus dicere non potest.

Petes 2. *Quinam censeantur excommunicati tolerati?*

Resp. à tempore, quo in Concilio Constantiensi emanavit constitutio dicta *Martini* V. omnes tolerantur, qui nec sunt denuntiati, id est, nominatim, & expressè excommunicati, nec notorii percussores Clerici, ita ut factum non possit ullâ tergiversatione celari.

Addendum ex eadem constitutione, quatenùs in Concilio Basileensi sess. 20. refertur, nec adeò notoriè excommunicati, ut nulla tergiversatione, nec aliquo saltem modo juris remedio negari queat.

Petes 3. *Quid censendum de judice, officio suo ob crimen privato?*

Resp. post sententiam declaratoriam ejus acta non valere. Antequam tamen accedat declaratio, valent, uti & acta judicis laborantis occulto defectu, habentis tamen titulum coloratum, seu putatitium communi errore nixum, id est, itaut non ab aliquo particulari tantùm, sed communiter habeatur legitimus superior: tunc enim defectus veræ jurisdictionis propter bonum commune authoritate publicâ suppletur.

Petes 4. *Utrum judex ferens sententiam in peccato mortali peccet?*

Resp. *negativè*, ut constat ex D. *Thomâ* 2. 2. q. 60. art. 2. ad 3. Si tamen esset peccator notorius, posset delinquere ratione scandali.

QUÆSTIO III.

Quænam regulæ ſint Judici obſervandæ?

REſp. & *Dico* 1. Judex quantùm fieri poteſt, tenetur judicare ſecundùm allegata, & probata in judicio: cum ſit eo modo, & non aliter conſtitutus judex à Republicâ.

Hinc tenetur abſolvere, quem privatâ ſcientiâ novit eſſe nocentem, ſi juridicè probetur inſons, aut ſufficienter non convincatur in judicio, præſertim in criminalibus: nec poteſt eum in ſecretò occidere, cum Reſpublica non dederit ei authoritatem occidendi ex propriâ, & privatâ ſcientiâ, obſtetque omninò illud Deuter. 17. v. 6. *Nemo occidatur, uno contra ſe dicente teſtimonium.* Uti & Capitulum *Licet.* de teſtibus: in quo dicitur: *Licet ſint cauſæ, quæ plures, quam duos exigunt teſtes, nulla tamen eſt cauſa, quæ unius teſtimonio, licet legitimo, terminetur.* Aliàs judex perindè erit reus homicidii, acſi privatus occultum homicidam ex privatâ ſcientiâ interficiat. Vide Canonem *Deus omnipotens.* cauſa 2 quæſt. 1.

Dico 2. Judex tenetur ſecundùm leges ſcriptas, ſi turpitudinem non contineant, judicare. Siquidem ad hoc ſcriptæ ſunt.

Neque poteſt judex inferior in iis diſpenſare, mutationemve inducere, ſed ad ſummum uti Epykeiâ, ſive interpretatione, dum ſuperior judex non poteſt adiri.

Judici ſupremo è contrà fas eſt leges ſcriptas, quæ merè humanæ ſunt, mutare, explicare, & ope diſpenſationis ex causâ relaxare. Sine causâ autem non poteſt licitè diſpenſare: an verò poſſit valide, dictum eſt in Tractatu de Legibus.

Dico

Dico 3 Non potest judex in aliquem inquirere, nec in judicium vocare, multò minus condemnare absque accusatore saltem virtuali, ut V. G. est infamia publica, vel denuntiatio judicialis, de quâ quæstione sequenti.

Antequam verò ferat sententiam, tenetur, quamvis certus de crimine, audire testes, Reum citare, & audire, eique remedia juris ad propriam defensionem, crimen V. G., quod occultum putatur, negando, æquivocatione tegendo, & excusando &c. permittere, & locum debitæ defensionis etiam contrà accusatores, & testes tribuere. Ità Deus ipse *Genesis* 3. Adamum inobedientiâ lapsum citare voluit, & audire.

Porrò defensionem jure naturali debitam esse, cum de crimine agitur, asserit *Clemens* V. Clementiná *Pastoralis.* De sententia, & re judicatâ §. *Cæterùm.*

Hinc tamen exceptio est in Notoriis, in quibus evidentia in judicio est loco spontaneæ confessionis, & legitimæ convictionis : undè in talibus non est opus formá judicii, citatione, teste &c. ut constat ex Capitulo *Ad nostram.* 3. de jurejurando. Cap. *Evidentia.* de accusatoribus. Cap. *Tua nos.* de cohabitatione Clericorum, & Cap. *Super eo.* de testibus cogendis. Hinc absque processu judiciario, & ex incontinenti, omnique defensione denegatâ puniuntur malefactores, V. G. latrones, à judice coram aliquot testibus in flagranti delicto deprehensi.

Exceptio præterea est in contumace, quem absentem, & non auditum, si legitimè convincatur, condemnari posse, certum est : citatus namque à judice, & comparere nolens, suæ contumaciæ debet tribuere, quod condemnetur absens, & non auditus.

Dico 4. Quando Judex debet procedere summariè, sive simpliciter, & de plano, ac solâ rei veritate inspecta, ut loquuntur jura, servare debet ea,

quæ

quæ jure Divino, & Ecclesiastico, aut evidentissima ratione requiruntur, in judicio V. G. debet reus audiri legitimis, & necessariis probationibus, id est, ad minus duabus convinci, & locum defensionis accipere, prout declarat *Clemens* V. Clementina, *Sæpè contingit.* De verborum significatione.

Quarè procedere de plano, & solâ rei veritate inspectâ, non est idem, ac procedere pro suo arbitrio, & secundùm inspectionem veritatis, prout hæc apparet judici independenter à substantiá veri processûs, sed est procedere absque ullo strepitu judicii, & rigore formalitatum, quæ servantur in judicio seculari contentioso. De his vide Clementinam citatam.

QUÆSTIO IV.

Quibus modis procedat Judex adversùs crimina?

REsp. & *Dico* 1. Exceptis notoriis (in quibus nec testis, nec accusator, nec inquisitio desideratur) procedit judex tripliciter adversùs crimina:

Primò, viâ accusationis, quando est aliquis Actor, vel Accusator suscipiens onus probandi, quod objicit. In eo autem differt simplex denuntiator ab accusatore, quod hîc obliget se ad probandum objecta, non ille.

Secundò, viâ denuntiationis, quando aliquis crimen detulit, & onus probandi suscipere detrectat.

Si deferat ut Patri, & merè ad emendationem ipsius Rei, dicitur denuntiatio fraterna, Evangelica, & extrajudicialis, debetque ex præcepto Evangelico, & naturali præmitti fraterna monitio, quià hæc fortè emendabit Reum absque ejus infamatione apud Superiorem.

Si deferat ut judici, id est, ad punitionem criminis,

nis, vel ad avertendum aliquod malum Reipublicæ, dicitur denuntiatio judicialis: nec requiritur monitio fraterna, eoquòd finis denuntiationis hujusmodi, V. G. punitio, nequeat per monitionem fraternam obtinèri.

Si tamen malum Reipublicæ, vel alterius posset monitione fraternâ averti, prævièe esset adhibenda. De his aliqua diximus in Tract. de Jure & justitiâ cap. 11. quæst. 2. circà finem.

Tertiò, viâ inquisitionis, quando judex procedit ex Officio ad inquirendum authorem criminis, quod novit certò, aut fortè perpetratum.

Addo *fortè*, quià plerumque non aliter procedunt Superiores Ordinum in suis visitationibus, dum inquirunt in mores conventuum, quos visitant.

Porrò inquisitio alia est *generalis*, ut si generatim inquiram, an sit aliquis prævaricator legis, suspectus, aut infamatus de crimine. Alia *specialis*, quæ de certo crimine & certâ personâ in particulari; Alia *mixta*, quæ vel de speciali persona simul, & de crimine in genere, vel de persona in genere, simul & de crimine speciali instituitur.

Dico 2. Judex potest procedere viâ inquisitionis generalis absque infamiâ prævià, vel remotè publicâ: constat ex Cap. *Romano.* de censibus in sexto §. *Sano.* Item ex praxi Superiorum Regularium in suis visitationibus, & ex eo, quod interfit boni publici sic inquirere, ne scilicet crimina multiplicentur, & remaneant impunita, præsertim cum nullus in particulari sit rationabiliter invitus, quandoquidem de nullo in particulari inquiratur.

Non tenentur tamen Subditi sic interrogati aperire judici occulta crimina eorum, qui non laborant aliquâ infamiâ, imò nec possunt, nisi fortè ut Patri, & solùm ad necessariam emendationem Rei, nec judex de iis interrogare potest.

Dico

Dico 3. Inquisitio specialis regulariter prærequirit infamiam publicam, clamorosam insinuationem, quæ non est à paucis, nec à malevolis, & maledicis; sed à probis, & honestis, itemque à plurimis descendit, ita ut rumor clamore veluti publico, & non duorum tantùm, aut trium ad aures judicis perveniat. Constat ex Cap. *Qualiter, & quando*. de accusationibus.

Collige 1. Ordinariè non posse inquiri de hac personâ in particulari, de quâ non processit publica infamia, quando crimen est publicum, & auctor ignoratur.

Collige 2. Infamatum, aut convictum de uno crimine, non posse etiam interrogari ordinariè de aliis criminibus, aut complicibus occultis, de quibus non præcessit infamia, nisi unum crimen sit conjunctum cum altero, aut suspicionem illius ingerat: quâ ratione licet adulterum V. G. interrogare de marito adulteræ domi occiso.

Porrò dum convictus, vel infamatus de uno crimine, de aliis occultis interrogari non potest, tunc etiam ab aliis inquisitione speciali de hujusmodi criminibus inquiri non potest. Et verò testis, aut reus desuper interrogatus, ut communiter docent, potest dicere, se nescire: quià censetur interrogari solùm de illis, de quibus potest judex juridicè interrogare.

Adverte, quod subinde fieri possit inquisitio specialis sine præviâ infamiâ, ut si tantùm cedat in emendationem illius, vel in bonum regimen, ut cum agitur V. G. de Beneficiis, aut Officiis publicis conferendis, de Electione, de Matrimonio contrahendo, &c.

Cæterùm non est integrum Superiori divulgare crimina occulta, quæ tunc deteguntur.

Prætereà dum agitur de criminibus Reipublicæ,

vel

vel alicui tertio nocivis, ut sunt V. G. hæresis, conspiratio in Principem, proditio Civitatis, &c. ut hæc præcaveantur V. G. si sint adhuc inferenda, & nondum patrata, judex potest procedere ad inquisitionem specialem, tendentem ad punitionem absque præviâ infamiâ, sufficitque suspicio vehemens, aut indicia non levia: quià reus non est rationabiliter invitus. Secùs dicendum de criminibus patratis, quando non agitur de nocumento inferendo, item de nocituris soli criminoso.

QUÆSTIO V.

Satisfit nonnullis quæstionibus.

PEtes 1. *Utrum judex in causâ criminali possit reum condemnare, quem privatâ scientiâ novit innocentem, si juridicè probetur nocens?*

Resp. *negativè*, juxtà illud Exodi 23. v. 7. *insontem, & justum non occides.* Quæstionem hanc fusè discussam vide in Tractatu de Jure & Justitiâ cap. 6. q. 6.

Petes 2.° *An quando per imprudentiam subditi interrogati inquisitione generali, detegitur crimen occultum alicujus personæ, cujus infamiâ non laborabat, possit judex procedere ad inquisitionem particularem?*

Resp. *negativè*, quià alter non dicitur propterea laborare infamiâ, cum ad hoc non sufficiat dictum unius.

Si tamen præcesserit accusatio, & is qui generaliter interrogatus detexit crimen, perhibeat testimonium sufficiens, ut habeatur semiplena probatio, non video, quare non possit fieri inquisitio specialis, & reus ipse super hoc crimine interrogari, præsertim quando potest crimen in judicio probari: tunc enim accusatio, & semiplena probatio judicialis æquivalet infamationi, & utitur judex peccato illius, qui imprudens-

prudenter crimina detexit, in ordine ad bonum commune.

Petes 3. *An, & quando judex possit Reum torturæ adjudicare?*

Resp. non posse, quando Reus est plenè convictus, licet crimen fatêri nolit : tunc enim frustrà adhibetur.

Deinde non potest, quando crimen aliunde plenè probari potest : undè omnes dicunt, torturam esse ultimum remedium Juris ad veritatem extorquendam.

Nec etiam potest, quando vel præcessit sola accusatio, vel sola infamia, vel utrumque simul absque semiplenâ probatione, vel indiciis æquivalentibus, sufficienter quidem, id est, per duos testes probatis.

Ratio est, quià accusatio nihil probat contrà Reum, nec facit, ut possit reus citari, vel interrogari : sed tantùm aperit viam ad audiendum testes. Similiter nihil infamia probat, sed est loco accusationis, & solùm aperit viam ad inquirendum, an sint indicia infamiæ conformia, quibus non apparentibus, evanescit : aliàs si sufficeret accusare, & infamare, facilè opprimerentur innocentes.

Potest tamen judex uti torturâ, habitâ semiplenâ probatione unius testis occulti, omni exceptione majoris, id est, qui sit virilis sexûs, non minor 25. annis, bonæ famæ, non excommunicatus, non de malevolentiâ suspectus ; puta, quià habet litem cum eo

Petes 4. *An possit Judex remittere pœnam Reo jam convicto?*

Resp. inferiorem non posse, superiorem posse, cum consensu Partis habentis interesse: quamvis minùs frequenter, & non nisi ex causâ. Siquidem interest boni publici, ut puniantur malefactores. Vi-

de

de Tractatum de Jure & Justitiâ cap. 6.

Petes 5. *An valeat sententia materialiter solùm injusta & erronea, id est, quâ judex quidem bonâ fide procedit, & secundùm allegata, & probata judicat, sed contrà veritatem, ita ut innocens puniatur, aut jure suo spolietur?*

Resp. in foro conscientiæ esse nullam, tam in causis Ecclesiasticis, quam in secularibus.

Ratio est, quià tale judicium est à parte rei iniquum, nititurque falsâ præsumptione, id est, veritate allegatorum, quæ non subest. Deindè juxtà D. *Thomam* sententia judicis est instar legis particularis in aliquo particulari facto, lex autem injusta nulla est. Ex hoc

Collige 1. Eum, in cujus favorem sententia lata est, posse quidem præscribere rem sibi adjudicatam, postquam bonâ fide possedit tempore præscripto; minimè verò, si antequam tempus illud elabitur, intelligat, sententiam fuisse injustam.

Collige 2. Dari locum occultæ compensationi respectu illius, qui re suâ spoliatus est, si nondum sit legitimè ab altero præscripta, & certò sciat rem sibi injustè ereptam fuisse.

Petes 6. *An judex possit à partibus accipere munera?*

Resp. non posse exigere, quando habet stipendium aliunde: unde tenetur reddere quidquid accepit non liberaliter, sed ut debitum datum, aut postulatum, quià expressè, vel virtualiter extortum est; quod fit, dum judex protrahit judicium datâ operâ, ut acceleratio per munera solicitetur. Secùs est, si judex non habeat aliunde stipendium, ut plerumque evenit in judicibus delegatis: quià illud tunc potest à partibus moderatè exigere.

Judici tamen Ecclesiastico expressè vetitum est accipere munera, etiam sponte, & liberaliter oblata, præter stipendium, & expensas; jubeturque restituere, licet

licet Partes renuntient, ut constat ex Cap. *Statutum.* de rescriptis in 6. §. *si quid.*

Permittitur tamen ei accipere esculentum, vel poculentum liberaliter datum, quod paucis diebus consumi potest, ut dicitur ibidem §. *insuper.* id multò magis licet judici seculari secluso pacto etiam virtuali. Cæterùm graviter peccat munera accipiendo antè sententiam, quando sunt majoris momenti, propter periculum perversionis. De quo vide Deut. cap. 10. Exodi 13. & Eccles. 20.

QUÆSTIO VI.

Quid de Accusatore, & Teste dicendum?

REsp. & *Dico* 1. Accusatio strictè dicta est criminis apud judicem vindictæ publicæ causâ legitimè factâ declaratio, cum obligatione probandi sub pœnâ talionis.

Rationabiliter autem institutum est, ut accusatio, uti & alia, quæ in judicio aguntur, fiat scripto: quià dum processus peragitur verbo, judex plerumque non potest habêre certitudinem ante sententiam, eoquòd partes eorum, quæ acta, & probata sunt, facilè elabantur, ut observat D. *Thomas* 2. 2. q. 68. art. 2 in corpore.

Nulla insuper accusatio admittenda est, quin Accusator cogatur subscribere libello accusatorio, & ad probandum crimen sub pœnâ talionis scripto se obligare, ne detur occasio calumniandi propter impunitatem.

Dico 2. Clericus nequit accusare in causa mortis: potest tamen judicialiter denuntiare cum protestatione, quod non ob mortem Rei, sed ob ejus, suumve, aut Reipublicæ bonum denuntiet.

Verius tamen apparet, eum peccare saltem contrà chari-

charitatem, qui citrà necessitatem accusat, aut denuntiat. Hinc, si possis fraternâ monitione obvenire malo, quod Reipublicæ, aut alicui tertio imminet, reus prævièmonendus est, quamvis laboret infamiâ & possit crimen in judicio probari.

Si obviare nequeas, vel si monitio fraterna ex causâ rationabili omittenda videatur, *V.* G. quià periculum est in morâ, vel tibi imminet grave incommodum ex admonitione, item si necessè sit Reum ad exemplum aliorum, aut sui ipsius emendationem puniri, potest fieri accusatio, vel denuntiatio etiam judicialis absque prævià monitione

Dico 3. Tenemur accusare, dum necessè est, ut si crimen vergat in detrimentum animæ, modò possit in judicio probari. Ità D. *Thomas* 2. 2. q. 68. art. 1. in Corp. nec requiritur prævia infamia.

Si autem tunc sufficere possit denuntiatio, possumus partes denuntiatoris assumere. Interim non tenemur accusare, vel denuntiare cum notabili incommodo proprio, *V.* G. cum periculo vitæ &c. nisi necessitas Reipublicæ id postulet. Idem statuendum est, quando crimen vergit in detrimentum tertii.

Dico 4. Quando non agitur de avertendo damno Tertii, vel Reipublicæ, quià *V.* G. crimen jam patratum est, & Reus emendatus, nec alicui nocet, &c. non tenemur denuntiare, vel accusare.

Si tamen à Judice desuper legitimè interrogemur, tenemur fatêri veritatem, modò præcesserit infamia, vel accusatio cum semiplenâ probatione: nam occulta prodere non possumus, nisi ad avertenda mala Reipublicæ, vel alicujus tertii, vel ipsius Rei.

Dico 5. Testis debet citari, nam ultrò se offerens suspectus est.

Debet insuper jurare de dicenda veritate, quam à judice legitimè interrogatus tenetur aperire, si grave damnum alicui tertio, aut Reipublicæ imminet

mineat; item si author criminis laboret infamiâ delicti, vel præcesserit accusatio cum semiplenâ probatione.

Si autem noverit crimen ex Confessione, testari non potest, item si non præcessit infamia, vel accusatio, vel denuntiatio cum semiplenâ probatione, nec immineat damnum Reipublicæ, vel alteri, non tenetur, uti nec in casu, quo grave incommodum sibi metuit, seclusâ necessitate Reipublicæ.

Porrò quando præcessit infamia, vel crimen vergit in Reipublicæ detrimentum, tenetur ferre Testimonium, quamvis solus sciat, nec alius testis habêri queat: quià ejus Testimonium faciet semiplenam probationem, vi cujus Reus torquêri potest.

Hæc de teste, cujus Testimonium petitur in ordine ad puniendum: nam si merè ad emendationem Rei expetatur, potest quis, & tenetur testari, si necessè sit, & spes emendandi Reum affulgeat. Prævièe tamen dispiciendum est, quo animo judex feratur; an non invidioso, & animo castigandi potiùs, quam corrigendi nos interroget.

Petes 1. *Quot testes requirantur in criminalibus?*

Resp. ordinariè requiri, & sufficere duos: & hi plenè probant, dummodò deponant jurati; item de facto, itaut conveniant de tempore, loco, & specie delicti: aliàs enim non erunt contestes, sed testes singulares. Deindè si sensu externo, V. G. visu delictum spectaverint. Denique si sint omni exceptione majores, id est, qui nullâ prorsùs exceptione secundùm jura repelli queunt.

Porrò in criminalibus jure Canonico repellitur mulier, nisi fortè agatur de criminibus exceptis V. G. de hæresi &c. aut commissis eo tempore, aut loco, ubi copia testium idoneorum habêri nequit, V. G. in campo, sylvâ, noctu, &c.

Repellitur etiam inimicus Rei, aut de inimicitiâ susp-

suspectus. Item domestici accusatoris, ejusque ascendentes, & descendentes, imò & collaterales usque ad quartum gradum testari nequeunt, sicut nec infamis infamiâ juris, qualis est de omni crimine damnatus, perjurus, complex, item persona vilis, & inops, de cujus perversione potest esse suspicio.

Petes. 2. *Utrum testis teneatur ad restitutionem, si Testimonium legitimum neget?*

Resp. non tenêri, si nondum citatus subterfugiat, V. G. foras proficiscendo, quià tunc nondum ligatur præcepto testandi.

Citatum, & legitimè interrogatum obligant nonnulli ad restitutionem, si testari nolit, aut veritatem occultet. Cæterùm non apparet eum peccare contrà justitiam particularem, & aliter quam contrà obedientiam, & justitiam legalem; secùs tamen dicendum, quando non merè occultat veritatem, sed falsum positivè attestatur: quià tunc est injusta causa damni, quod alteri advenit.

QUÆSTIO VII.

Quomodo se Reus gerere debeat?

REsp. & *Dico* 1. Reus non tenetur respondêre, aut veritatem confitêri, dum contrà juris ordinem interrogatur: V. G. à judice non competente, vel de crimine occulto, de quo non est fama contrà illum, nec semiplena probatio, aut indicia æquivalentia.

Quare vel poterit tacêre, vel appellare, vel amphibologicè respondêre, imò juxtà graves authores poterit dicere, *se non feciſſe*: eoquòd istud responsum intelligatur de crimine ad forum judicis pertinente, quale non est, de quo hîc agitur.

Dico 2. Quando à judice interrogatur Reus, & hoc

illi

illi constat: (aliàs enim respondêre non tenebitur) V. G. quando præcessit accusatio cum plenâ, aut semiplenâ probatione, quam legitimè repellere non potest, tenetur veritatem contrà se, etiam in causâ capitis confitêri, quamvis nonnulli (inter quos *Octavianus Spatarius*) aliter opinentur.

Ratio est, quia omnes fatentur, tunc illi legitimè præcipi à Judice, ut veritatem confiteatur, ergo ad hoc tenetur: ubi enim viget præceptum, obedire necesse est.

Dico 3. Potest Reus se defendere appellando, si causam habeat. Item si necessè sit, infirmando testimonia testium, per objectionem criminis veri occulti, de quo vide quæst. 6. cap. 9. de Jure & Justitiâ. Si tamen hæc defensio sit necessaria. An autem possit sibi, vel testibus falsum crimen imponere, vide ibidem quæst. 7.

Petes 1. *An reus justè ad mortem condemnatus possit licitè ex Carcere fugere?*

Resp. Verbis D. *Thomæ* 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. ordinariè *nullus ità condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur. Et ideò non tenetur facere id, undè mors sequatur, quod est manêre in loco, undè ducatur ad mortem. Tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est eum pati.* Non potest ergo ministris justitiæ vim inferre. Hæc à fortiori locum habent in injustè damnato, uti & ante condemnationem. Licet etiam reo fugam consulere, non tamen instrumenta ministrare, quibus compedes frangat.

Petes 2. *An reus condemnatus ad moriendum fame, possit sumere cibum clam sibi oblatum?*

Resp. *affirmativè*, ità D. *Thomas* loco citato subdens: *sicut etiam, si aliquis sit condemnatus, ut moriatur fame, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat: quià non sumere, esset seipsum occidere.*

Et

Et ratio est, quià, cum abstinêre ab omni cibo tendat in mortem, & reus non habeat justam causam, ad ponendam actionem hujusmodi, indubiè censeretur velle occisionem sui.

Licet ergo oporteat obedire judici, hic tamen ordinariè similes actiones non jubet, sed tantùm ut patiamur nobis inferri mortem. Hoc autem non est resistere justitiæ, sed uti jure suo, cum ad hoc non solcat reus condemnari.

Si tamen ex causâ legitimâ condemnaretur ad abstinendum ab omni cibo, etiam oblato, uti etiam ad manendum in carcere, & hoc expressè contineretur in sententiâ, non video, cur non teneretur parêre. Tunc enim non videretur se occidere, ut alii qui putant, sed tantùm non tueretur vitam, mortemque ex justâ causâ permitteret.

Deinde licet se occideret, id faceret non authoritate propriâ, sed publicâ, quod quandoque licêre ostendimus quæst. 5. capitis 6. de jure & justitiâ.

QUÆSTIO VIII.

Quid Advocato, Procuratori, & Notario incumbat?

REsp. & *Dico* 1. Advocatus, si causa videatur ipsi injusta, Patrocinari non potest, multò minus iniqui Patrocinii stipendium accipere.

Si autem ignoranter injustam causam defendit, putans esse justam, excusatur secundùm modum, quo ignorantia excusari potest. Ità D. *Thom.* 2. 2. q. 71. art. 3. in Corp.

Deinde si careat scientiâ Officio suo congruâ, vel

tali, qualem se habêre jactitat, obnoxius est restitutioni, si Cliens defectu illius causâ cadat.

Prætereà stipendium commune, non immoderatum, exigat, nec paciscatur cum Cliente eâ conditione, ut partâ victoriâ pars aliquota, V. G. quarta sibi cedat, prout Legibus cautum est.

Denique, in patrocinio pauperibus gratis præstando, servetur Regula charitatis, & misericordiæ ergà pauperes, scilicet attentâ necessitate, &c. Salvâ tamen justitiâ.

Dico 2. Procuratori, seu Causidico *scientia* necessaria est, & diligentia, ut in judicio appellet, cum appellandum est; probet, quod probandum. Item *Veritas*, ut dicat, quod verum est, & non quod falsum, aut incertum. Item *justitia*, quâ non nisi causam justam defendat.

Deinde lites, quas primò patrocinio defendendas suscepit, priùs absolvat, nisi aliquod notabile detrimentum alius ob moram incurrat, altero illud non incurrente: cum autem prior etiam incurrit, non debet suscipere secundum patrocinium, nisi secundo admonito, se non posse statim in ipsius negotio patrocinari.

Denique in pretio servanda est æquitas: quare post causæ victoriam ultrà stipendia laborum, non potest exigere auctaria.

Dico 3. Notarius, sive Tabellio, scientiam, fidelitatem, & justitiam in instrumentis servet: hinc si ex ignorantiâ, vel negligentiâ aliquid necessarium omittat, V. G. numerum testium, annum, si fecit Testamentum, quando erat amens, vel extrà sensus, qui testabatur, &c. ad restitutionem tenetur.

Deinde in instrumento ne fingat falsa acta, & in causâ criminali præsertim, accuratè circumstantias, V. G. quantitatis, & qualitatis criminis observet.

Præte-

Præterea Regiſtrum verum, & ſincerum apud ſe ſervet, nec niſi copiam, ſeu Deſcriptum alicui tradat, aliàs obnoxius erit reſtitutioni, ſi ex defectu Regiſtri quis damnum patiatur.

Denique inſtrumenta non occultet, quando juſtè exiguntur, maximè in favorem Partis, negando ſe tale inſtrumentum confeciſſe. Porrò quià de his ſuſè affatim tractant Authores, ſit

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

INDEX
CAPITUM, ET QUÆSTIONUM.
TRACTATUS
DE JURE, ET JUSTITIA.
CAPUT I.
De Justitia, & Jure in genere, nec non de Dominio, & modis illud acquirendi.

Quæstio 1. *Quid, & quotuplex justitia?* 4
Quæst. 2. *Quid, & quotuplex jus?* 7
Quæst. 3. *An Deum inter, & creaturam justitia propriè dicta intercedat?* 9
Quæst. 4. *Quid, & quotuplex Dominium?* 11
Quæst. 5. *Nonnulla de Dominio expediuntur.* 14
Quæst. 6. *Quid usus, & usus-fructus?* 16
Quæst. 7. *Quid, & quotuplex Possessio?* 18
Quæst. 8. *An usus facti separari queat ab usu juris?* 22

CAPUT II.
De Subjecto Dominii.

Quæst. 1. *An sola intellectualis natura, & omnis, sit capax Dominii?* 25
Quæst. 2. *An, & quale Dominium habeant servi, & filii-familias?* 27
Quæst. 3. *An Religiosis competat Dominium?* 28

Quæst. 4. *An Clerici bonorum Beneficialium, aliorumque sint Domini?* 30
Quæst. 5. *An, & quomodò Beneficiati sint Domini portionis fructuum, quæ sustentationi superflua est?* 34
Quæst. 6. *Quædam materiæ jam discussæ affinia resolvuntur.* 40

CAPUT III.

De objecto Dominii.

Quæst. 1. *Utrum homo cadat sub Dominium hominis?* 43
Quæst. 2. *An homo sit Dominus vitæ, & famæ suæ?* 46
Quæst. 3. *Quæ res aliæ cadant sub Dominium hominis?* 50

CAPUT IV.

De modis acquirendi Dominium.

Quæst. 1. *Quomodò acquiratur Dominium per venationem, vel aucupium?* 52
Quæst. 2. *An, & quando venatio prohibêri possit?* 56
Quæst. 3. *Quomodò acquiratur Dominium illarum rerum, quæ nullius erant in bonis?* 58
Quæst. 4. *An bona incerta, id est, quorum Dominus ignoratur, occupanti, & possidenti cedant?* 63
Quæst. 5. *Quid Præscriptio, & quæ ad eam requirantur?* 67
Quæst. 6. *An dubium superveniens bonam fidem interrumpat?* 69
Quæst. 7. *An, & quomodò Præscriptio transferat Dominium in foro conscientiæ?* 72

INDEX CAPITUM,

Quæst. 8. *Reliqua ad Præscriptionem pertinentia expediuntur.* 77

CAPUT V.

De Injuriâ, & Restitutione in genere.

Quæst. 1. *Quid Injuria? & an volenti possit inferri?* 79
Quæst. 2. *Quid Restitutio, & undè ejus obligatio nascatur?* 84
Quæst. 3. *An, & quomodò restitutio sit ad salutem necessaria?* 87
Quæst. 4. *Ex quâ culpâ oriatur obligatio restituendi ratione injustæ acceptionis?* 91
Quæst. 5. *An grave damnum, ex culpâ Theologicâ dumtaxat veniali illatum, ex toto sit reparandum?* 95
Quæst. 6. *Ex quâ culpâ oriatur obligatio restituendi, supposito contractu, vel officio?* 99

CAPUT VI.

De Injuriâ, & Restitutione ratione homicidii, & mutilationis.

Quæst. 1. *Quæ occisio prohibeatur præcepto* non occides? 105
Quæst. 2. *An liceat seipsum occidere, vel mutilare?* 109
Quæst. 3. *An liceat seipsum occidere ad evadendam mortem acerbiorem?* 112
Quæst. 4. *An pro salute corporali, vel spirituali proximi seipsum liceat interimere?* 115
Quæst. 5. *An liceat Reo ad mortem condemnato seipsum occidere?* 118
Quæst. 6. *An judex homicidii reus sit, qui capitis damnat*

damnat innocentem, qui probatus est nocens? 121
Quæst. 7. *An liceat occidere invasorem bonorum temporalium?* 126
Quæst. 8. *Utrum invasorem Virginitatis, vel honoris interficere liceat?* 129
Quæst. 9. *An liceat occidere injustum vitæ aggressorem?* 134
Quæst. 10. *De quibusdam ad resolutionem jam datam spectantibus.* 143
Quæst. 11. *An, & quomodò Homicida, & Mutilator ad restitutionem teneantur?* 147
Quæst. 12. *Nonnulla expediuntur materiæ jam discussæ affinia.* 151
Quæst. 13. *Quando contrahatur irregularitas ex homicidio?* 154

CAPUT VII.

De Injuriâ, & Restitutione ratione Stupri, & Adulterii.

Quæst. 1. *Ad quid teneatur, quì corrupit Virginem consentientem?* 160
Quæst. 2. *Ad quid obligetur Corruptor Virginis invitæ?* 162
Quæst. 3. *An Stuprum fornicationi specialem superaddat malitiam?* 164
Quæst. 4. *Ad quid obligetur Adulter, si proles ex Adulterio genita sit?* 166
Quæst. 5. *Ad quid obligetur Adulter, si proles ex crimine non sequatur?* 168

INDEX CAPITUM,

CAPUT VIII.

De Injuriâ, & Restitutione ratione Furti.

Quæst. 1. *Quid Furtum, quid Rapina, & an specie inter se differant?* 171

Quæst. 2. *An, & quandò furtum sit peccatum mortale?* 173

Quæst. 3. *An Domesticorum furta possint esse lethifera?* 176

Quæst. 4. *Quomodò per minuta furta peccetur?* 179

Quæst. 5. *Quomodò peccent, qui leve nocumentum eidem singuli inferunt, ità tamen, ut alter grave damnum patiatur?* 182

Quæst. 6. *An compensatione occultâ uti citrà furti notam liceat?* 283

Quæst. 7. *An fur teneatur etiam ad restitutionem fructuum, quos ex re percepit?* 185

Quæst. 8. *An res apud furem meliorata restitui tota debeat?* 186

Quæst. 9. *Quomodò restitui debeat res non meliorata?* 189

Quæst. 10. *Quænam sit obligatio restituendi ratione* Rei acccptæ. 192

Quæst. 11. *An res bonâ fide empta furi restitui queat, ut pretium recuperetur?* 194

Quæst. 12. *Quo ordine restitutio fieri debeat, quando omnibus Creditoribus satisfieri nequit?* 197

Quæst. 13. *Quæ causæ à restitutione excusent.* 201

CA-

ET QUÆSTIONUM.

CAPUT IX.

De Coöperantibus ad furtum.

Quæst. 1. *Quomodò restituere teneatur jubens?* 203
Quæst. 2. *Ad quid obligetur consulens?* 206
Quæst. 3. *Quomodò alii Coöperantes ad restitutionem obligentur?* 209
Quæst. 4. *An prædicti Coöperatores teneantur in solidum? & quo ordine?* 211

CAPUT X.

De *Injuria*, & *Restitutione honoris*, & *famæ*.

Quæst. 1. *Quid fama, Honor, Detractio, Contumelia?* 215
Quæst. 2. *An viro prudenti, & taciturno crimen alterius revelare liceat?* 217
Quæst. 3. *An liceat alterius crimen in uno loco publicum divulgare in alio?* 219
Quæst. 4. *De diversis materiam præsentem concernentibus.* 221
Quæst. 5. *An judicium temerarium, Opinio, & suspicio justitiæ opponantur.* 224
Quæst. 6. *An se, vel alium infamare liceat ad evadendum grave incommodum?* 226
Quæst. 7. *An liceat sibi, vel alteri falsum crimen imponere ad evadendam torturam?* 229
Quæst. 8. *Quinam ad restitutionem famæ teneantur?* 231
Quæst. 9. *Apud quos fama reparari debeat, & quid loco famæ restituendum?* 233
Quæst. 10. *Quomodò fama restitui debeat?* 235
Quæst. 11. *Quænam excusent à restitutione famæ?* 236
Quæst. 12. *Quomodò honor restituendus?* 238

INDEX CAPITUM,
CAPUT ULTIMUM.

De Injuriâ, & Restitutione in bonis spiritualibus.

Quæst 1. *Quomodò peccet, & ad obligationem obligetur nocens in bonis spiritualibus?* 239
Quæst. 2. *De injustitiâ, quæ in collatione Beneficiorum committi potest.* 240

TRACTATUS
DE CONTRACTIBUS.
CAPUT I.

De Contractibus in genere.

QUæstio 1. *Quid Contractus?* 243
Quæst. 2. *Quotuplex Contractus?* 244
Quæst. 3. *Utrum ad valorem Contractûs requiratur voluntas præstandi ea, ad quæ Contractus obligat?* 347
Quæst. 4. *An ad valorem Contractûs sufficiat consensus in verba externa?* 248
§. 1. *Datur resolutio.* ibid.
§. 2. *Solvuntur argumenta.* 251
Quæst. 5. *Quomodo error, & dolus Contractum vitient?* 253
§. 1. *Quædam prænotantur.* ibid.
§ 2. *Datur resolutio.* 254
Quæst. 6. *Quædam huc spectantia resolvuntur.* 260

Quæst.

ET QUÆSTIONUM.
Quæst. 7. *An valeat Contractus initus ex metu?* 262
§. 1. *Quædam prænotantur.* ibid.
§. 2. *Datur resolutio.* 263
Quæst. 8. *An Contractus metu gravi injustè extortus jure naturæ sit invalidus?* 266
§. 1. *Datur resolutio.* ibid.
§. 2. *Argumenta adversùs primam resolutionem solvuntur.* 269
Quæst. 9. *An juramentum promissorium gravi metu injustè extortum jure naturæ obliget?* 271
Quæst. 10. *An Contractus injusto metu extorti jure positivo vim habeant?* 277

CAPUT II.

De Contractu conditionato.

Quæst. 1. *An, & quomodò valeat Contractus sub conditione de præsenti, præterito, vel futuro initus?* 280
§ 1. *Quædam prænotantur.* ibid.
§. 2. *Datur resolutio.* 281
Quæst. 2. *An Contractus sub conditione de futuro initus, positâ conditione statim valeat?* 283
Quæst. 3. *An qui contraxit sub conditione de futuro, pendente conditione possit resilire?* 286
Quæst. 4. *An valeat Contractus sub conditione impossibili, aut turpi?* 288

CAPUT III.

De Promissione, & Donatione.

Quæst. 1. *Quid Promissio? Et an exteriùs manifestari debeat?* 291
Quæst. 2. *An Promissio obliget ante acceptationem?* 293

Quæst. 3. *Quomodò promissio exteriùs facta obliget?* 295
Quæst. 4. *Quid* **Donatio?** *Et qui possint donare?* 297
Quæst. 5. *Quibus casibus revocentur promissiones, & donationes?* 300
Quæst. 6. *An promissio ob turpem causam obliget?* 302
§. 1. *Datur resolutio.* ibid.
§. 2. *Nonnulla resolvuntur huc spectantia.* 308

CAPUT IV.

De Depositо, Commodato, & Precario.

Quæst. unica. *Quid Depositum, Commodatum, & Precarium?* 311

CAPUT V.

De Mutuo, & Usura.

Quæst. 1. *Quid Mutuum, & Usura? Et quotuplex?* 313
Quæst. 2. *An Usura juri naturæ repugnet?* 316
Quæst 3. *An licitè aliquid exigatur suprà sortem ratione obligationis non repetendi summam capitalem ante certum tempus?* 319
Quæst. 4. *An liceat mutuare obligando Mutuatarium ad remutuandum?* 322
Quæst. 5. *Quædam ex jam dictis deducuntur.* 325
Quæst. 6. *An licitè aliquid exigatur ratione periculi sortis?* 327
Quæst. 7. *An ratione damni emergentis, aut lucri cessantis aliquid suprà sortem justè exigatur?* 329
Quæst. 8. *An Usurarius ad restitutionem teneatur?* 333
Quæst. 9. *Nonnulla jam dictis affinia resolvuntur.* 335
Quæst. 10. *An Montes Pietatis, & Lombardi ab usuris sint immunes?* 337

CA-

ET QUÆSTIONUM.

CAPUT VI.

De Censibus, & contractu Societatis.

Quæst. 1. *Quid Census, & quotuplex?* 340
Quæst. 2. *An emptio novi censûs sit usuraria?* 342
Quæst. 3. *An, & quomodò census personales sint liciti?* 345
Quæst. 4. *An census perpetui sint liciti?* 347
Quæst. 5. *An liceat census emere pretio minori, & vendere majori?* 350
Quæst. 6. *An licitus esse possit redimibilis ex parte utriusque?* 351
Quæst. 7. *An liceat pacisci de censu solvendo, quamvis res ei subjecta pereat?* 354
Quæst. 8. *Cætera ad contractum censualem pertinentia discutiuntur.* 356
Quæst. 9. *Quid contractus Societatis, Et quæ conditiones ad ejus justitiam requirantur?* 358
Quæst. 10. *An liceat contractus triplex cum eadem personâ, Societatis, Assecurationis sortis, & Assecurationis lucri?* 360

CAPUT VII.

De Cambio.

Quæst. 1. *Quid, & quotuplex sit Cambium?* 364
Quæst. 2. *An in Cambio minuto possit aliquid accipi suprà valorem nummi legalem?* 365
Quæst. 3. *An in Cambio locali aliquid exigi possit?* 366
Quæst. 4. *De Reliquis ad Cambium pertinentibus.* 370

CA-

INDEX CAPITUM,

CAPUT VIII.

De Fide-jussione, Assecuratione, Conductione, Locatione, Emphyteusi, Feudo, Pignore, & Hypothecâ.

Quæst. 1. *Quid Fide-jussio, & Assecuratio?* 373
Quæst. 2. *Quid Locatio, quid Conductio?* 375
Quæst 3. *Quid Feudum, & Emphyteusis, Pignus, & Hypotheca?* 377

CAPUT IX.

De Emptione, & Venditione.

Quæst. 1. *Quid Emptio? Quid Venditio? Quid Negotiatio? Et an hæc liceat?* 379
Quæst. 2. *Quo pretio sit emendum, & vendendum?* 382
Quæst. 3. *Nonnulla huc spectantia resolvuntur.* 384
Quæst. 4. *An liceat cariùs vendere creditò, quam paratâ pecuniâ?* 387
Quæst. 5. *An liceat emere debita à Creditore minoris, quam valeant?* 389
Quæst. 6. *An Proxeneta possit augmentum pretii retinere?* 391
Quæst. 7. *Cui res vendita pereat, deterioretur, & decrescat?* 393
Quæst. 8. *Quid sit, & an liceat Monopolium?* 395

CAPUT X.

De Testamentis.

Quæst. 1. *Quid, & quotuplex ultima voluntas?* 399

Quæst.

ET QUÆSTIONUM.
Quæst. 2. *An, & quomodò Testamenta ad pias causas valeant Solemnitatibus juris destituta?* 400
Quæst. 3. *An Testamenta solemnitatibus destituta valeant ad causas profanas?* 402
Quæst. 4. *Expediuntur cætera huc spectantia.* 406

CAPUT XI.

De Tributis, & Vectigalibus.

Quæst. 1. *Quid Tributum? Et quomodò justè exigi liceat?* 409
Quæst. 2. *Nonnulla huc pertinentia resolvuntur.* 410

CAPUT XII.

De Justitiâ servandâ in Judiciis publicis.

Quæst. 1. *An liceat Christiano litem instituere in Judicio?* 415
Quæst. 2. *An in Judice requiratur authoritas?* 416
Quæst. 3. *Quænam regulæ sint Judici observandæ?* 420
Quæst. 4. *Quibus modis procedat Judex adversùs crimina?* 422
Quæst. 5. *Satisfit nonnullis quæstionibus.* 425
Quæst. 6. *Quid de Accusatore, & Teste dicendum?* 428
Quæst. 7. *Quomodò se Reus gerere debeat?* 431
Quæst. 8. *Quid Advocato, Procuratori, & Notario incumbat?* 433

FINIS.

MONITUM
AD
LECTOREM.

EX ſolito Scholarum ordine ſequitur TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS. Nos tamen cum præmiſimus, & Virtutem hanc THEOLOGICIS conjunximus ; partim quidem ne PARS HÆC TERTIA excreſceret nimium ; at potiſſimùm propter materiæ affinitatem , quam inter Duos hos Tractatus intercedere conſpeximus. Rem, ut ſpes eſt, præſtiterimus non ingratam, nec incommodam, maximè ubi jam etiam uſus obtinuit apud multos , ordinem præfatum in Scholis ſuis Theologicis ſervare. Sic utere, & probabis.

Menda sic emenda.

Pag. 27. l. 10. *córporalium.* l: *temporalium.* P. 39. l. 17. *noſce.* l. *noſſe.* P. 119. l. 4. *legibus.* l. *legimus.* P. 127. l. 27. *& jacturam vitæ eſſe irreparabilem.* l. *& jactura vitæ ſit irreparabilis.* P. 175. l. 28. *commoditates.* l. *incommoditates.* P. 290. l. 26. *legima.* l. *legitima.* P. 378. l. 14. *arra , arrabo.* l. *arrha. arrhabo.* P. 379. l. 20. *Pſalmo* 7. l. Pſalmo. 70. P. 397. l. 27. *illud.* l. *aliud.* P. 402. l. 24. *externam.* l. *extremam.*

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Roy, Léonard van

Theologiae Moralis

Bd.: 3

Antverpia 1702
Mor. 1061-3
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10597647-1